Fr. Nicholas Meyer



DE ACTIBUS HUMANIS

AUCTORE

VICTORE FRINS S. J.

PARS III

DE FORMANDA CONSCIENTIA

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXI
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE.
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

DE

FORMANDA CONSCIENTIA

AUCTORE

VICTORE FRINS S. J.

WITHDRAWN

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

941.1 F914d v.3

541.1 F914D v.3

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S. S. CORDIS JESU.

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXI
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE,
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 29 Maii 1911.

✠ **Thomas,** Archiepps

Imprimatur

Exaeten, die 28 Februarii 1911.

Ern. Thill S. J.
Praepos. Prov. Germ.

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae

PROOEMIUM.

Quod mihi imprimis incumbit et maxime, hoc est, ut ex animo gratias agam iis, qui alterum etiam huius operis tomum benignissime recensuerunt.

Modo iuris publici fit tertium eiusdem operis volumen. Non continet quidem omnia, quae antea promiseram; sed conditio valetudinis ea est, ut hoc tractatu de formanda conscientia contenti esse debeamus. Sitne addendus aliquando tractatus de peccatis — eum enim promiseram —, ipse modo nescio; dependet id ex circumstantiis, quarum dominus minime sum.

Spero tamen, lectores plura inventuros esse in hoc volumine non adeo nota et praesertim ipso apertius manifestatum iri veritatem communioris de probabilitate sententiae.

Fuldae, die 16 Maii 1911.

V. Frins S. J.

22,091

INDEX.

	Pag.
Prooemium	v
Introductio	1

SECTIO PRIMA.

DE VINCIBILI ET INVINCIBILI IGNORANTIA.

Art. I.	De ignorantia vincibili	3
§ 1.	Demonstratur operationem ex ignorantia vel cum ignorantia vincibili positam peccatum esse	3
§ 2.	Ipsa ignorantia peccatum quomodo dicatur et sit; et cuius speciei illud peccatum sit, quod ex ignorantia oritur .	11
Art. II.	De ignorantia invincibili	16
§ 1.	Quid sentiant theologi de invincibilitate ignorantiae circa varia obiecta	16
§ 2.	De ignorantia invincibili iuris positivi divini . .	19
§ 3.	De ignorantia invincibili iuris naturalis	26

SECTIO SECUNDA.

DE CONSCIENTIA.

Art. I.	Quid sit conscientia	58
Art. II.	De necessitate conscientiae in genere	66
Art. III.	Generalia quaedam de conscientiae formatione. De iudiciis reflexis, de synderesi, de necessitate prudentiae .	77
Art. IV.	De conscientiae divisione	83
Art. V.	De necessaria veritate et certitudine conscientiae .	89
Art. VI.	De conscientia erranti	105
Art. VII.	De conscientia dubia	133

SECTIO TERTIA.

DE PROBABILISMO.

Art. I.	Quid sit et dicatur probabile	147
Art. II.	De probabilis opinionis divisione	159

Pag.

Art. III. De quibusdam notionibus notioni probabilis affinibus et connexis 170
Art. IV. De simultanea probabilitate 184
§ 1. Possitne utraque contradictionis pars vere et solide simul esse probabilis 184
§ 2. Num probabile motivum probabiliore vel aequiprobabili elidatur 188
Art. V. De probabilitatis usu 198
§ 1. De sententia unice probabili 198
§ 2. De variis systematis circa practicum usum sententiae probabilis 202
A. De systematis a probabilismo moderato diversis 202
B. De probabilismo moderato 230
I. De essentia et ambitu probabilismi moderati 230
II. De liceitate probabilismi moderati . . 240
III. Qua auctoritate moderatus probabilismus utatur 253
IV. De aliis obiectionibus contra probabilismum . 269
V. Difficultates rationis contra propositam sententiam 276
VI. Liceatne probabiles omnes promiscue sententias in eadem materia vel in eadem actione vel in eodem actionum tractu simul usurpare . . 283
VII. Liceatne agenti, qui habet propriam opinionem, quam ipse veram esse putat, operando sequi alienam, quam ipse directe falsam esse censet 285
VIII. Romana Sedes num suam contra probabilismum aversionem manifestaverit 289

APPENDIX.

De auctoritate et doctrina S. Alphonsi 294

Index alphabeticus 305

INTRODUCTIO.

1. Actum est in ultima parte praecedentis tomi de actibus humanis formaliter bonis, malis, indifferentibus. Et multi sane actus humani eiusmodi indolis sunt. Ratio autem, cur de hac morali indole actuum saepe nobis certo constat, generatim est haec: quoniam nobis certo constat de morali indole obiectorum ipsorum[1]. In oppositione vero ad haec sunt alia obiecta, de quibus iure dubitamus, cuiusnam moralis conditionis et indolis sint. Sunt obiecta, pro quorum *una dumtaxat parte* rationes adsunt, aut eorum moralem bonitatem suadentes, aut accusantes eorum malitiam; neutram vero partem evincunt. Sunt alia obiecta, ubi rationes de eorum morali indole omnino *in utramque partem* vergunt, suadentes unae, bona ea esse, aliae innuentes, ea esse mala. Quaeritur igitur, quomodo nos in huiusmodi obiectis incertae moralis indolis secundum regulam vel regulas morum gerere debeamus.

2. Neque tamen haec unica quaestio est, quam nos disputare hic oportet. Etenim certum est, nos saepe in diiudicanda moralitate obiectiva rerum et actionum errare; quandoque quidem sic, ut errorem cavere antecedenter non potuerimus atque invincibiliter erremus; quandoque vero sic, ut aliquo

[1] Haec cum ita sint, constat, quando de doctrina, quae via in sententiarum probabilitate nobis tenenda sit, disputantes, eam doctrinam *systema morale* vocamus, id nomen nequaquam amplo et universali sensu accipiendum esse, sed sensu ad eas omnino quaestiones restricto, de quibus directa certitudo in re morali comparari non potest. Nam de multis quaestionibus et gravissimis directe nobis constat. Ipsum igitur rectius systema morale subsidiarium dixeris, ne in eam absurdam sententiam inducaris, quasi in theologia morali omnia agantur probabilitatibus; quod utut absurdum est, a multis tamen pro re explorata habetur.

saltem modo apud nos fuerit praecavere et praevenire errorem, erremusque vincibiliter. Quid igitur iudicandum de actibus et actionibus, quas ita errantes ponimus vel posuimus.

3. Cum hac quaestione cohaeret alia tertia ei admodum affinis, scil. quaestio de ignorantia. Ignorantia enim parens et mater erroris est.

Etenim consistit ignorantia, quatenus hic de ea agimus, in hac re, ut momenta quaedam obiectiva et moralia, quae in obiectis revera adsunt, aut vincibiliter aut invincibiliter a nobis agentibus aut non advertantur (actu) aut etiam plane ignorentur (habitu). Unde habemus obiecti notitiam omnino partialem et inadaequatam. Hinc enascitur quaestio, quandonam nobis haec obiectiva momenta imputari possint, quando non possint; seu quandonam ob haec momenta actus noster evadat formaliter malus, et quando non. — Atque evidens est, hic de solis momentis obiective moraliter malis agi posse. Nam bona obiective momenta, cum nobis imputari non possint, nisi positive et perfecte ipsa ut talia sunt, prosequamur (cf. tom. II, n. 134), patet non posse ea nobis ascribi, quando ea vel vincibiliter vel invincibiliter ignoramus vel non advertimus. Etenim non possumus id secundum indolem bonam positive et perfecte amplecti, quod quale moraliter sit, ante mentem nostram minime observatur.

Tres igitur quaestiones sunt, quas hic solvendas habemus: una de ignorantia, quatenus talis est, ut a peccatis excuset aut non excuset; altera, quid iudicandum sit de formali indole operationis, quando in diiudicanda morali indole obiecti conscientia nostra aut vincibiliter aut invincibiliter erret; tertia tandem, quomodo formanda sit conscientia, quoties de morali indole obiecti directe certi evadere non possumus. Et haec huius loci praecipua quaestio est. Alteri quaestioni necesse est generalem quandam de conscientia quaestionem praemittamus.

SECTIO PRIMA.
DE VINCIBILI ET INVINCIBILI IGNORANTIA.

ARTICULUS PRIMUS.
DE IGNORANTIA VINCIBILI.

§ 1.

Demonstratur operationem ex ignorantia vel cum ignorantia vincibili positam peccatum esse.

4. *Prius quaedam praenotanda.* Ignorantia de aliqua re consistit, si proprie in oppositione ad puram nescientiam accipitur, in habituali eius notitiae de ea re carentia, quam absolute quis habere potest, seu, ut *S. Thomas* 1, 2, q. 76, a. 2 ait, est privatio scientiae eorum, quae quis aptus natus est scire. Nescientia autem est eorum, quae quis saltem hic et nunc scire omnino non potest. Cf. huius operis tom. I, n. 315.

Quoniam vero de actuum humanorum moralitate agitur, manifestum est, eatenus hic de ignorantia nobis agendum esse, quatenus ipsa quodammodo in actum per actualem inconsiderationem seu inadvertentiam seu oblivionem prodit. Nam sola actualis notitia aut sola actualis notitiae absentia actum nostrum moralem qualificant; habitualis vero et quae in mente latet notitia per se et ut talis minime in actus nostros morales influere potest.

5. *Dividitur* autem *ignorantia secundum se primum in ignorantiam perversae seu pravae dispositionis,* quando nimirum mens pravis vel perversis principiis imbuta in falsa de rebus iudicia prorumpit. Est porro haec ignorantia scientiae positive contraria atque ultra ignorantiam seu nescientiam positivum mentis includit errorem. Huic *opponitur* altera, scil. *ignorantia simpliciter seu mere privativa.* Haec nullum dicit mentis errorem, sed simpliciter, qualis sit res, nescit. Cf. *S. Thom.,* De malo q. 8, a. 7.

6. Quamvis autem ex ignorantiae definitione consequi videatur, omnem ignorantiam vinci posse, siquidem eius notitiae carentia est, quam quis aptus natus est scire, nihilominus *secundo loco* ipsa *ex parte principii dividitur in vincibilem et invincibilem.* Quoniam nimirum huiusmodi notitia, quamquam ultra facultatem mentis humanae absolute constituta non est, tamen hic et nunc, saltem per eam, ad quam morali officio tenemur diligentiam, acquiri non potest[1]. Adest igitur *ignorantia invincibilis duplici modo:* uno, *stricte,* quoties nobis etiam mere naturalis cogitatio de malitia actionis abest, seu abest omnis cogitatio de periculo eius aut omnis de ea dubitatio aut scrupulus. Quomodo enim ignorantiam eius rei vincere possumus, cuius exsistentiam ne suspicamur quidem? Altero modo, *late,* quando adhibita debita diligentia ad inveniendum verum, nihil, quod vere et certo nos obliget aut deobliget, in re detegimus, sed manet res dubia. In hoc casu habetur saepe ignorantia probabilis seu ignorantia, in qua secundum regulas conscientiae probabilis nos procedere oportet (cf. *Salmanticenses,* De vitiis et peccatis disp. 13, sect. 2, n. 10, § „Denique"; *Suarez* 1, 2, tr. 2, disp. 4, sect. 1, n. 20; *Vasquez* 1, 2, disp. 107, c. 3 et disp. 123, c. 2; *Sanchez,* Decalog. l. 1, c. 16, n. 21[2]). Vincibilis vero ignorantia tum adest, quando praesente cogitatione de malitia obiectiva, non plane levi, vel eius periculi, nihil aut parum inquirimus, adsitne in obiecto vera malitia annon.

[1] Vincibilis igitur nobis est sola ignorantia eius rei, quam scire seu potius in quam inquirere debemus. Absolute quidem potest etiam omnis eius rei ignorantia vincibilis dici, cuius notitiam hic et nunc acquirere possumus, licet id minime debeamus. At cum eius vincendae moraliter obligans nullum motivum sit, ad invincibilem merito reducitur. Cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 72, a. 2; q. 17 De verit. a. 3 ad 4 etc.; *Salmant.,* De vitiis et peccat. disp. 13, dub. 1, n. 3 et 5.

[2] Quaeres fortasse, cur in describenda invincibili ignorantia casum omi serim, quem *Wirceburgenses* n. 77 memorant. Scilicet cogitatur de possibilitate malitiae in obiecto, nihil tamen ulterius cogitatur de officio inquirendi in veritatem; sic autem videtur ignorantia invincibilis adesse. Sed revera ratio naturalis atque synderesis, i. e. habitus naturalis primorum principiorum practicorum homini, qui de obiectiva honestate actionis ponendae

7. Patet igitur, *num vincibilis dicenda sit ignorantia, nihil ab exitu inquisitionis adhibendae pendere.* Nam etsi sufficienter instituta inquisitione nulla erueretur obligatio, nihilominus vincibilis dicenda esset ignorantia, quoties in actione, in quam inquirere debemus, aut non aut non sufficienter inquirimus. Aliis verbis: Quando debitum et sufficiens tentamen ad vincendam ignorantiam non fit, omnis ignorantia pro vincibili reputanda sive instituta inquisitione de ignorantia reportaretur victoria, est, veritate detecta, sive ignorantia etiam postea permaneret. Cf. *Salmant.* l. c. disp. 13, sect. 2, n. 7.

Neque a nobis simpliciter dependet, vincibilis an invincibilis sit ignorantia. Nam nisi cogitatio quaedam de obiectiva malitia rei in mente nostra praecesserit, vincere ignorantiam de facto non possumus. Deest enim momentum obiectivum omne actuale, vi cuius moveri possimus, ut diligentius de veritate deque praecepto inquiramus. Et hic adverte, licet proxima cogitatio possit esse voluntaria et libera, primam tamen cogitationem, unde tota series cogitationum de aliqua re ortum ducit, voluntariam esse non posse. Nam ante omne voluntarium omnemque volitionem, necesse est praecedat aliqua conveniens cogitatio, quae igitur ipsa voluntaria esse non potest, quamque in oppositione ad voluntariam *naturalem* appellant. Cogitatio igitur naturalis debet esse aut immediate de ipsa pravitate obiecti aut saltem talis, quae vi connexionis idearum cogitationem de malitia obiectiva actionis sponte sua in nobis evocet. Quando vero omnis huiusmodi cogitatio a mente afuit, invincibilem ignorantiam fuisse palam est. Cf. *Salmant.*, De vit. et pecc. disp. 13, dub. 1, n. 8; *Vasquez* 1, 2, disp. 107,

---

dubitat, immediate suggerit, non temere esse agendum, sed priusquam liceat agere, in dubio inquirendum, quid veritas circa rem propositam habeat. Unde videtur fieri non posse, ut is, qui videat adesse in re possibilitatem malitiae obiectivae, alterum de obligatione ulterius inquirendi non videat. Si tamen ita obtusus esset homo, ut nihilominus hoc non videret, perseverante dubio tutius debet eligere, ne se prodat incurium malitiae actionis.

c. 3, ibidem disp. 123, c. 2, n. 6; *Suarez,* De censuris disp. 4, sect. 8, n. 15 et 18; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 16, n. 21 sqq.

8. Diximus, ut ignorantia invincibilis sit, oportere *debitam ad verum inveniendum adhibitam fuisse diligentiam. Quae autem haec debita diligentia est?* Ait *Suarez* l. c. disp. 4, sect. 8, n. 17; De act. hum. tr. 2, disp. 4, sect. 3, n. 29 (cf. *Vasquez* 1, 2, disp. 123, c. 2, n. 7; *Sanchez* l. c. l. 1, c. 16, n. 34 sqq; *Salmant.* l. c. n. 7 et 9 § „Deinde" et n. 10) vix aliud posse dici, nisi prudenti arbitrio id esse relinquendum, pensatis omnibus, quae ad tale praeceptum indagandum pertinent. In specie tamen tria attendenda: a) *qualitas praecepti,* nam quo gravius praeceptum est, de quo dubitatur, eo diligentius ceteris paribus est inquirendum; diligentissime vero, quando de quaestionibus agitur, quae ipsam salutem animae immediate et proxime contingunt. Attamen etiam, quando de lege naturali agitur aut de lege negativa, maior cautio est necessaria, quam si agitur de lege mere positiva aut de affirmativo praecepto. Deinde b) tenetur ad maiorem diligentiam *doctus prae indocto,* maxime quando in rebus moralibus doctus est. Indoctus enim fere officio satisfacit, quando in re morali peritum virum atque probum consulit eiusque responsum suum facit. Id tamen alteri, qui quaestionibus ipsis studere scit, generatim nequaquam sufficit. Tertio c) attendenda est *natura operationis,* sitne v. g. ex ea magnum nocumentum, scandalum etc. sibi aliisve timendum. Quae igitur in particulari casu diligentia requiratur, secundum haec paccate et prudenter diiudicandum est; regula autem et mensura omnino infallibilis et quae in nullo possit deficere, non potest indicari. Ergo neque tali regula est nobis utendum. — Duo tamen hic monenda sunt: ut cogitatio vel suspicio de possibilitate malitiae obiectivae nos ad diligentiorem inquisitionem veritatis obliget, necessarium esse, ut rationes dubii vel suspicionis nequaquam manifesto leves vel inanes sint. Has enim oportet despicere. Deinde quidquid ceteroquin est, constat, neminem teneri ultra id in inquisitione procedere, quod ipse bona fide et prudenter

iudicat, sibi hic et nunc praestandum esse. Itaque quaecumque diligentia adhibenda esset, si aliud quid sciretur, quod modo inculpabiliter nescitur, eam de facto minime adhibere opus est. Cf. *Martinon,* Disput. theol. De peccatis disp. 22, sect. 2, n. 10.

9. Quando vero supra de vincibili ignorantia agentes statuimus, ipsam semper adesse, quoties vel nihil vel parum debitae inquisitionis quaestioni propositae impendimus, recordandum, *triplicem esse ignorantiae modum vel gradum:* unum, quo qui ignorat homo libere et studiose lumen veritatis in quaestionibus dubiis declinat et fugit, quae dicitur *ignorantia affectata.* Huc pertinet, quod exstat Ps 35, 4: „Noluit intelligere, ut bene ageret", apud Iob 21, 14: „Recede a nobis, viam et scientiam mandatorum tuorum nolumus" etc. Alter gradus adest, quando homo socordia aut indifferentia aut aliarum rerum studio detentus nihil aut parum de veritate inquirenda curat. Haec est *indirecte voluntaria, i. e. voluntaria omissione libera inquisitionis debitae.* Est autem ipsa ex satis communi sententia duplex: *aut simpliciter talis aut insigni quodam modo talis, quae crassa etiam vel supina ob omne neglectum studium veritatis nominatur* (cf. tom. I, n. 318). Tres igitur gradus ignorantiae sunt: ignorantia affectata, ignorantia indirecte voluntaria et simpliciter talis, ignorantia crassa vel supina. Quicunque vero ex his tribus ignorantiae modis vel gradibus intervenit, semper in causa est, ut ignorantia vere vincibilis sit, atque ipsa sequensque actio nobis in culpam vertatur. Cf. *Suarez* l. c. disp. 4, sect. 8, n. 4; huius operis tom. I, n. 318.

10. Quam vincibilem diximus ignorantiam, ea etiam voluntaria, culpabilis, iniusta, improbabilis, consequens vocatur. Voluntaria vocatur, quia adest aut volitione explicita agentis (affectata) aut eius voluntaria negligentia. Culpabilis est, quia cum actuali agentis culpa adest[1]; iniusta, quia adest contra debitum agentis; improbabilis, quia nemo prudens potest eam

[1] Cave tamen, ne confundas ignorantiam culpabilem cum ea ignorantia, quae per accidens ex culpa seu ex peccato oritur. Sic qui culpabiliter neglexit missam audire die dominica, in qua denuntiatur ieiunium quatuor

approbare; consequens denique, quia est post cognitam obligationem ulterius in veritatem inquirendi directe aut indirecte a voluntate causata[1]. Contra invincibilis ignorantia vocatur etiam involuntaria, inculpabilis, iusta, probabilis, antecedens ob contrarias rationes. Cf. *Suarez,* De censuris disp. 4, sect. 8, n. 4; De act. hum. tr. 2, disp. 4, sect. 1, n. 1 sqq; *Salmant.,* De vit. et pecc. disp. 13, dub. 1; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 16, n. 4; huius operis tom. I, n. 316 sqq.

11. Tertio *ex parte obiecti dividitur ignorantia in practicam et speculativam.* Prior est carentia scientiae practicae, *qua ut tali diriguntur nostrae operationes;* altera est carentia cognitionis, qualis res ipsa sit; ibi nimirum sistendo et sine ullo ulteriore per se respectu ad consequentes nostras operationes. De hac posteriore ignorantia hic in doctrina morali per se non agitur.

12. *Dividitur prior in ignorantiam iuris et ignorantiam facti.* Iuris ignorantiam tum habemus, quando legem ignoramus vel praeceptum, quae propositam quaestionem attingunt, sive praeceptum illud divinum est (naturale vel positivum)

---

temporum, sane si postea obligationem ieiunii ignorat, ex culpa admissa eam ignorat, neque tamen ideo iam ipsa ignorantia culpabilis censenda est, nisi tamen eam eventuram esse antea praevidit, atque id quod necessarium fuit ad eam deponendam, voluntarie neglexit. Similiter, qui peccatis suis in causa est, ne fide illuminetur, atque adeo multa praecepta, quae ipsum ligant, ignorat, is, nisi animadvertit, ex huiusmodi peccatis huiusmodi ignorantiae periculum imminere, ignorantia tali nihil peccat, licet ignorantia ex peccatis ortum ducat. Cf. *Vasquez* 1, 2, disp. 107, c. 3, n. 7 sqq; disp. 120, c. 4, n. 12; disp. 123, c. 2, n. 6; *Suarez* 1, 2, sect. 2, tr. 2, disp. 4, sect. 1, n. 12 et 17; *Salmant.* l. c. disp. 13, dub. 1, n. 19; *Sanchez* l. c. l. 1, c. 16, n. 30; *Bouquillon,* Theol. mor. fundam. l. 3, n. 73, alii. Immo vero, etiamsi praeceptum quoddam impositum esset praecise ad hoc, ut illa ignorantia evitaretur, nihilominus quando praeceptum transgrediens culpamque in ea transgressione admittens nihil prorsus cogitaret de periculo illius ignorantiae incurrendae, ignorantia quidem ex culpa esset, culpa ipsa non esset. Cf. *Vasquez* 1, 2, disp. 120, c. 4, n. 12; *Sanchez* l. c. De hac culpabili ignorantia mox plura.

[1] Ita communius. Nam rationem antecedentis, consequentis, concomitantis ignorantiae varii varie relate ad varium terminum explicant. Cf. *Suarez* l. c. sect. 1, n. 1—10; *Salmant.* l. c. n. 4; *Bouquillon* l. c. n. 151; huius operis tom. I, n. 319 sqq.

sive humanum, ut v. g. quando ignoramus, haec actio praeceptane sit iure naturali annon; factum vero hic intelligitur omne id, quod in quaestione de licito et illicito in singulis operationibus praeter quaestionem iuris scire nos oportet, ut recte fiant. Cf. *Martinon* l. c. disp. 23, sect. 1, n. 2; *Suarez* l. c. disp. 4, n. 21; *Curiel,* Quaest. in S. Thom. Aq. 1, 2, q. 76, praelud. „Secundo dividitur"; *Schildere,* De principiis conscientiae form. tr. 3, n. 4; huius operis tom. I, n. 322. — Patet autem ignorantiam tam iuris quam facti posse esse vincibilem et invincibilem.

13. *Dico 1°. Ignorantia vincibilis a peccato simpliciter non excusat.*

Ita *S. Thom.* 1, 2, q. 76, a. 2 et 3; ib. q. 19, a. 6; q. 17 De verit. a. 5 in c. et ad 3 et alibi. Est contra Pelagium, qui videtur aliquando docuisse contrarium (cf. *Dechamps,* De haeresi Ianseniana l. 3, c. 5). Est etiam contra Abaelardum (cf. *S. Bern.,* Ep. 77 ad Hugonem a S. Victore).

Aio, ignorantiam vincibilem a peccato simpliciter non excusare. Etenim si saltem affectatam excipias, sine dubio vincibilis omnis ignorantia secundum quid a peccato excusat, siquidem ratio voluntarii, quae ad formale peccatum requiritur, communiter in actibus, qui cum ignorantia vincibili fiunt, imminuitur. Est enim talis ex ignorantia vincibili procedens actus 1° voluntarius et peccaminosus indirecte tantum ex omissa diligentia explorandae veritatis. Nam circa veritatem in re morali non licet nobis habere nos indifferentes; 2° quatenus tenditur in obiectum, quod non est certo malum, attamen est fortasse malum. Affectata autem ignorantia licet rationem voluntarii eatenus imminuat, quatenus iam non plena notitia mali in malum tenditur, hanc enim studiose cavet, ex altera tamen parte agens ita voluntarie afficitur ad rem, quae fortasse est mala, ut caveat vel plenam eius notitiam, ne ab ea avertatur. Ideo de eius malitia dissentiunt auctores. Alii opinantur affectatam ignorantiam minuere rationem peccati et voluntarii, ut *S. Bonaventura* l. 2 sent., dist. 22, a. 2, q. 3 et *Lugo,* De poenit. disp. 16, n. 183; alii ob contrariam rationem

eam augeri, ut *S. Thomas* 1, 2, q. 76, a. 4, *Durandus* l. 2, dist. 22, q. 4; alii modo ipsa augeri, modo imminui rationem peccati et voluntarii pro vario motivo, ob quod ignorantia sustentatur. Ita *Azor* l. 1, c. 14; *Suarez* 1, 2, tr. 2, disp. 4, n. 24 et 25; *Curiel* 1, 2, q. 76, a. 4, dub. 1; *Salmant.*, De vit. et pecc. disp. 13, n. 87; *Sanchez*, Decal. l. 1, c. 17, n. 5 etc.

14. *Probatur 1°.* Qui peccatum vel malum vincibiliter ignorans operatur, is non solum operatur sciens sese operari cum periculo operandi mali transgrediendique praecepti, sed operatur etiam sine ullo aut saltem sine debito conatu removendi periculi. Atque hoc nihil est aliud, quam exercite velle opus, etiamsi malum est, seu est voluntas ponendi operis etiam pro casu, quo reapse malum et fugiendum est, quod est manifesto peccare. Ergo quicumque cum vincibili ignorantia operatur, peccat nec potest ullo modo a peccato simpliciter excusari.

Probatur 2°. Quicumque operatur cum vincibili ignorantia, is operatur non solum suspicans cum non plane levi ratione, se transgredi legem, sed etiam nulla aut saltem non facta sufficienti diligentia ad illud periculum removendum. Atqui id est quidam exercitus et interpretativus contemptus legis. Ergo cum vincibili ignorantia operari est peccare.

Probatur 3i°. Incumbit homini officium, ut legem observet. Atqui is qui cum vincibili ignorantia operatur, hoc officium non satis curat. Maior patet. Minor constat ex ipsa definitione ignorantiae vincibilis, quippe quae sita sit in ea ignorantia, quam homo, priusquam operetur, potest et debet conari deponere, neque tamen eam prius deponit aut saltem non sufficienter deponere curat.

Huc pertinent illa quae exstant in S. Scriptura Lc 23, 34 Domini verba: „Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt"; 1 Cor 14, 38: „Si quis autem ignorat, ignorabitur"; Ps 24, 7: „Delicta iuventutis meae et ignorantias meas ne memineris, Domine."

15. ***Coroll. 1.*** Ergo quidquid cum vincibili ignorantia seu cum conscientia intrinsecus et formaliter dubia attentatur, id

peccatum formale est. Aio, cum conscientia intrinsecus et formaliter dubia, quia operans cum vincibili ignorantia procedit ad operationem manente in mente eius dubitatione circa honestatem obiecti actionisque suae, et ideo praecise est vincibiliter dubitans et operans, et operando peccat.

Coroll. 2. Ergo quicumque suscipiens munus vel officium scit, se implendo ei imparem esse ob ignorantiam, is in causa et confuse reus exsistit omnium transgressionum, quae forte eveniunt; immo etiam omnium quas aliquo modo praevidit transgressionum reus erit in particulari.

§ 2.

Ipsa ignorantia peccatum quomodo dicatur et sit, et cuius speciei illud peccatum sit, quod ex ignorantia oritur.

16. Vincibilis ignorantia, ut supra (n. 10) vidimus, dicitur etiam culpabilis. Quaeritur iam, quomodo ipsa culpabilis et peccatum sit. Ante omnia revocandum in memoriam, ignorantiam, quae peccatum sit, non posse esse ignorantiam habitualem, sed debere esse actualem, quae etiam inconsideratio et inadvertentia appellatur. Cf. n. 4[1].

17. *Dico 2°. Ignorantia vincibilis actualis rationem formalis peccati habet. Saepe tamen peccatum solummodo est ratione alterius, i. e. operationis sequentis et unum cum ipso.* Cf. *Vasquez* 1, 2, disp. 119, c. 2 et 3; *Curiel* 1, 2, q. 76, a. 2, dub. 2, § 2 et 4; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 17, n. 11; *Salmant.* l. c. disp. 13, dub. 2, n. 39 sqq; *Martinon,* Disp. theol. II, disp. 22, sect. 1, n. 6 sqq; *Viva Trutina* ad propos. 2 ab Alexandro VIII damnatam.

[1] Et profecto *ignorantia habitualis numquam nec est nec dici potest peccatum proprie et secundum se* (cf. *S. Thom.* 1, q. 48, n. 5). Quid ita? Quoniam nec lex per se de habitibus est, sed de solis actibus. Praecipi enim proprie et vere non possunt habitus, sed soli actus. Quare *effectus* quidem formalis peccati, i. e. ignorantiae actualis et negligentiae potest esse ignorantia habitualis; potest etiam esse *pravae operationis principium,* removens prohibens seu removens notitiam, qua ab operando malo avertamur, prout etiam ceteri habitus pravi; peccatum vero formale proprie

Probatur 1ª pars.

Ignorantia vincibilis actualis est actualis ignorantia seu inadvertentia atque inconsideratio libera, quae ideo nostro intellectui inest, quoniam culpabiliter ea addiscere aut ad ea attendere negleximus, quae addiscere aut ad quae attendere ob adiuncta debuimus. Tale autem adiunctum modo est praeceptum secundum se, modo alia operatio sequens, ut ex dicendis patebit. Iam vero non addiscere ea seu non ad ea attendere libera negligentia, quae addiscere et ad quae attendere debemus, est peccatum formale. Ergo ignorantia vincibilis actualis est formale peccatum. — Habere se autem ignorantiam ipsam actualem vincibilem, quae suo modo, privative, intellectui inest, ut actum peccaminosum exteriorem, negligentiam vero et inattentionem culpabilem, quae est suo modo in voluntate, ut actum peccaminosum interiorem, a quo externus actus rationem peccati habet, per se patet.

Probatur 2ª pars.

18. *Sunt plura, quae per se et ratione sui addiscere debemus*, etsi omni ordine ad operationem proxime carerent, sed ideo praecise debemus ea audire et scire, quia Deus ea nobiscum

---

non est. Nihil tamen obstat, *ut per metonymiam dicatur peccatum*, prout palam est. *Recte* quoque *moraliter mala* dicitur, et quidem proprie. Patet enim vox moraliter mali latius quam nomen proprie dicti peccati; est ceteroquin huiusmodi, ut neque eam appetere neque delectari de ea liceat. Et ita etiam S. Thomas saltem in posterioribus suis scriptis censuit; iunior enim aliter opinatus est (cf. in l. 2 sent., dist. 22, q. 2, a. 1). Etenim iam ignorantiam habitualem peccatum esse non vult, nisi „quatenus negligentia, secundum quam ignorantia est peccatum, continetur sub praedicta definitione", scil. sub definitione: peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei aeternam. Quare peccatum est, inquit, „in quantum *praetermittitur aliquid, quod habuit dici vel fieri vel concupisci ad scientiam debitam acquirendam*" (1, 2, q. 76, a. 2 ad 1). Cf. ib. ad 3 et 4; 2, 2, q. 53, a. 2 ad 3; et imprimis q. 3 De malo a. 7 ad 1, ubi haec: „Privatio scientiae et gratiae habent rationem culpae, secundum quod accipitur simul cum sua causa, quae pertinet ad genus actus." Consentiunt *Salmant.* l. c. dub. 2, n. 27; *Curiel* 1, 2, q. 76, a. 2, dub. 1, § 4; *Vasquez* 1, 2, disp. 118, c. 2 et 3; *Sanchez*, Decal. l. 1, c. 17, n. 8 contra alios nonnullos apud *Salmant.* l. c. n. 32, qui putant ignorantiae habituali proprie nomen peccati competere eodem fere modo ut actui pravo externo.

communicavit; quales sunt multi articuli fidei [1] et praecepta decalogi [2]. Quando igitur huiusmodi ignoramus, i. e. quando ea data opportunitate non addiscimus, omissio haec secundum se formale et speciale peccatum est. — *Alia vero tantum addiscenda sunt ratione alicuius operationis praeceptae a nobis exercendae.* Et profecto quando iubemur aliquid operari, iubemur etiam eam nobis scientiam procurare, sine qua id, quod per se iubetur, exsequi convenienter non possumus. Huiusmodi autem scientia est praeter notitiam, quomodo actus, ut conveniat rationi, fieri debeat, imprimis actualis notitia obligationis. — In aliis tamen rebus non praeceptis debemus, ratione operis, quod operari volumus, debitum eius modum operandi discere. Nam quidquid operamur, iussi aut non iussi, id debemus semper convenienter operari et ut decet. Quoniam vero haec in his casibus notitia est tantum debita propter consequentem operationem, eius negligentia et ignorantia actualis, quoties operamur, unum tantum cum sequenti operatione peccatum constituit, non duo peccata, iuxta illud: ubi est unum propter aliud, est unum tantum. — In priore vero ignorantia, de qua diximus, quando nimirum iubemur aliquid *discere propter se,* quoties id, quod iussi sumus cognoscere, ordinem etiam ad operationem dicit, adesse possunt duo peccata, unum contra eam virtutem (fidem), quae iubet nos eam notitiam acquirere ratione sui, alterum propter operationem peccaminosam consequentem. Sic qui ignorantia vincibili actuali concupiscit alienam mulierem, primum quidem et manifesto contra castitatem peccat; peccat tamen etiam contra fidem, ea verba Do-

---

[1] Dico, multa fidei capita nos oportere *explicite* discere et credere ob reverentiam Dei loquentis ut sic; non omnia, quia multa quidem ab omnibus, quaedam vero et plura a quibusdam tantum disci oportet et credi pro varietate conditionum et status vitae. Cf. praeter *S. Thom.* 1, 2, q. 76, a. 2 imprimis *Lugo,* De fide disp. 13 per totam, potissimum sect. 2, n. 35 sqq; sect. 4; sect. 5, n. 144 sqq; sect. 6, n. 161 sqq; *Salmant.* disp. 13. n. 37.

[2] Ita *Lugo* l. c. sect. 5, n. 126 et communiter contra *Vasquez* disp. 119, c. 2 et 3, et *Thom.-Sanchez* l. 1, c. 17, n. 11 et alios quosdam.

mini negligens: „Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo“ (Mt 5, 28). His enim verbis Dominus naturale praeceptum innovavit et omnibus suis specialiter observandum denuo inculcavit atque imposuit. Quod autem ita a Domino intimatum est, id per se credendum est. Ergo etiam per se discendum est. Cf. *Lugo* l. c. n. 38 et n. 166.

Hic notandum, quoniam de affirmativo praecepto agitur, quod ut tale non semper urget, tum demum negligentiam discendi evadere peccatum, quando praeceptum scire reapse debemus, i. e. quando aut mox opus agendum est aut adest ultima opportunitas ante operis exercitium eius exercitii discendi: aut quoties de notitia propter se et ratione sua praecepta agitur, quando conveniens opportunitas eius addiscendi adest.

19. *Dico 3^io: Opera facta cum culpabili et vincibili ignorantia sunt specifice eiusdem malitiae ac si scienter fiant.* Cf. *Suarez,* De poenit. disp. 22, sect. 4, n. 14; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 17, n. 14 sq.

Probatur: Nam haec opera et peccata offendunt contra idem praeceptum idemque obiectum; differunt tantum in ratione voluntarii, quatenus una magis voluntaria sunt quam altera; una magis expresse et directe, alia minus expresse et indirecte malitiam obiecti volunt. Haec autem speciem non mutant.

20. Obicit *Vasquez* 1, 2, disp. 126, c. 2 et 3 cum aliis: Non est eiusdem speciei peccatum, negare ex ignorantia culpabili et vincibili veritatem fortasse revelatam a Deo et negare eam cum scientia et notitia divinae revelationis. Ergo thesis est falsa. Probatur antecedens: Nam posita ignorantia vincibili non manet in peccato commissionis contra fidem malitia infidelitatis et haeresis, quae tum solum adest, quando praesens est notitia revelationis factae. Nam malitia infidelitatis et haeresis consistit in hac re, ut quis scienter adversetur dictis et auctoritati Dei loquentis; at hoc profecto non facit is, qui ignorat Deum loqui, licet culpabiliter id ignoret. — *Respondetur,* negandam esse sententiam. Ad probationem reponitur, infidelitatem, quod attinet ad speciem actus contrahi toties, quoties cum laesione divinae auctoritatis negamus ea vera esse, quae menti

nostrae obversantur aut ut certo dicta a Deo aut saltem cum formali dubitatione, sintne dicta a Deo, quando scil. aut nihil aut parum inquisivimus, sintne reapse talia. Id autem toties usuvenit, quoties cum vincibili ignorantia ea negamus. Nam auctoritas Dei utrumque a nobis exigit, ut et mente amplectamur ea, quae sufficienter nobis proposita sunt ut verbum Dei, et inquiramus circa ea, priusquam negemus, de quibus iure dubitamus, sintne verbum Dei, sicut ad eandem speciem irreverentiae pertinet, alicui debitum honorem non exhibere, sive id facio illum cognoscens sive ex culpabili negligentia eum, qualis sit, ignorans. Est quidem maior irreverentia, quando cognoscens ei debitum honorem detrecto, quam quando dubitans aut vincibiliter ignorans id facio, neque tamen haec differentia sufficit, ut alia sit species, quandoquidem in utroque casu contra idem obiectum offenditur.

21. *Instas:* obiectum esse diversum. Nam in una conditione contradico Deo manifesto loquenti, in alia vero conditione tantum contradico Deo, qui fortasse loquitur. Iam vero diversa obiecta sunt, Deus, qui loquitur certo et manifesto, et Deus, qui loquitur fortasse. — *Respondetur,* negatur assertum. Ad rationem additam, concessa maiore minor distinguitur: diversum vere obiectum est, nego minorem; diverso modo idem obiectum ante mentem obversatur, modo ut omnino certum, modo ut dubium, concedo minorem. Haec autem diversitas efficit quidem, ut hi dissensus diversa eiusdem speciei individua sint, secundum maius et minus, neque tamen haec apprehensionis diversitas sufficit ad constituendam diversam speciem actionum. Et revera eadem auctoritas Dei, quae nos obligat, ne contradicamus ipsi manifesto aliquid loquenti, eadem etiam obligat nos, ne audeamus temere negare id, quod interim iuste suspicamur, sitne dictum a Deo.

22. Ad argumentum igitur respondetur in forma: Nego assertum. Ad probationem: concessa maiore suppositum eius negatur. Scilicet *infidelitatis et haeresis nomen convenit et reservatur proprie et perfecte istis solis peccatis contra fidem,*

quae in sua specie perfectum aliquid et consummatum constituunt et ob quae commissa secundum Tridentini sess. 6, c. 15 perditur habitus fidei. Evidens autem est in peccatis contra fidem, quae ex vincibili ignorantia committuntur, eam malitiam perfectam, quae haeresim et infidelitatem proprie dictam constituunt, inveniri non posse. Habent ipsam sola ea peccata, quae cum notitia a parte saltem rei perfecta seu cum debita propositione revelationis factae contra fidem negando aut dubitando committuntur. Atque haec sola peccata consensum revelationi divinae debito modo praestandum omnino impossibilem reddunt. Haec autem impossibilitas sola obiectiva ratio est, cur habitus fidei amittatur. Quod cum locum non habeat apud eum, qui vincibili ignorantia negat ea, quae fortasse sunt dicta a Deo, manet in eo habitus fidei. Potest enim adhuc, prout dictum est, omnia et singula, quae ei debite et perfecte proponuntur, ut a Deo revelata summo assensu credere. Haeresis igitur non propria species est, sed aliquid in sua specie consummatum atque perfectum. Cf. *Lugo,* De poenit. disp. 16, sect. 4, n. 187 sqq; De fide disp. 20, sect. 5, n. 80 sqq; *Salmant.,* De vit. et pecc. disp. 13, dub. 1, n. 16; *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 300. — Constat igitur ex doctrina de haeresi nihil contra thesim colligi posse.

23. *Dico 4°: Ignorantia olim vincibilis, quando ultima occasio eius vincendae et scientiae debitae acquirendae culpabiliter neglecta est et transiit, cessat esse peccatum peccandique causa, quoties negligentia postea serio retractata est atque rationem ignorantiae invincibilis induit.*

Videtur esse evidens. Nam omne formale peccatum voluntarium et liberum est. Atqui postquam ultima occasio discendi aliquid et ignorantiae deponendae abiit, deponi iam ignorantia nequit. Ergo nisi retractatio seria prioris negligentiae a peccato excusaret, homo, qui olim scientiam debitam acquirere culpabiliter neglexit, iam hic et nunc necessario peccaret, quod est absurdum. Cf. *Lacroix* l. 1, n. 760; *Terillus,* De consc. q. 16, assert. 1 et 2; Reg. mor. q. 65, n. 18.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IGNORANTIA INVINCIBILI.

§ 1.

Quid sentiant theologi de invincibilitate ignorantiae circa varia obiecta.

24. Nullam umquam ignorantiam sive iuris sive facti invincibilem esse, docuisse videtur *Guilelmus Parisiensis,* Tract. de legibus c. 21 (cf. *Schildere,* De princip. consc. form. tr. 2, n. 9; *Rassler,* Norma recti disp. 1, n. 118). Ea tamen sententia diu ab omnibus relicta est.

I. *Alii nullam ignorantiam iuris naturalis invincibilem esse arbitrantur.* Inter hos est *Gerson,* De vita spirituali lect. 4, cor. 3; *Durandus* l. 3, dist. 25, q. 5 ad 1[1] et alii plures, praesertim ex furfure Baiano et Iansenisto ut *Sinnichius, Wendrochius* etc. Accedunt *Contenson,* Theol. mentis et cordis II, l. 6, diss. 6; *Concina* qui eam sententiam ut longe probabiliorem defendit in suo Apparatu ad theol. christ. II, diss. 2, n. 56 sqq, alii.

25. *Contrariam vero sententiam plurimi et gravissimi doctores defendunt,* ut *Albertus Magnus* l. 2, dist. 22, a. 10; *S. Antoninus,* Summa P. 1, tit. 3, c. 10, § 10; *Hadrianus,* Quodlib. 1, art. 3 in Alphab. 2, lit. H; Quodlib. 4 in Alphab. 3, lit. G et H etc. Is tamen minus sibi constat; *Conradus,* De contract. q. 100, concl. 2; *Ant. de Corduba,* Quaestionarium theol. l. 2, q. 4, concl. 1; *Suarez,* De legib. l. 2, c. 8, n. 7 et l. 5, c. 12, n. 6; *Vasquez* 1, 2, disp. 122, c. 2, n. 3; *Curiel* 1, 2, q. 76, a. 2, dub. 4, § 2; *Moya,* Electae quaest. tr. 1, q. 6, n. 27; *Terillus,* De consc. prob. q. 16, n. 83 sqq;

---

[1] Nominantur etiam pro hac sententia *Gratianus* l. 1, q. 4, can. „Turbatur"; *Alex. Halens.* p. 2, q. 153, membr. 3. „Numquid recte?" *Schildere* l. c. n. 11, § „Illis tamen" id negat. Et merito (cf. v. g. *Halens.* l. 2, q. 112, n. 7). Hi quidem universaliter negant ignorantiam aliquem excusare, in particulari vero affirmant. Videntur igitur loqui de ignorantia eorum, quae quis potest et debet scire.

Rassler l. c. n. 255; *Schildere* l. c. tr. 2, n. 11; *Platel,* Synopsis P. 2, n. 260 et 263; *Cathrein*, Moralphil. P. 1, l. 5, § 3 II et alii plurimi. Vide inter alios apud *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 720. — Videtur etiam esse *D. Thomae* sententia, praesertim 1, 2, q. 94, a. 4 et 6; q. 100, a. 1 et 3; quamvis verum sit *S. Thomam* aliis locis videri contrariam sententiam defendere (cf. Quodlib. 8, a. 13; Quodlib. 9, q. 7, a. 15; q. 17 De verit. a. 4 ad 5; 1, 2, q. 19, a. 6). De hac re diligentius infra agendum erit.

Hi igitur theologi omnes fatentur, circa prima quidem iuris naturalis principia ignorantiam invincibilem locum habere non posse, posse tamen talem adesse circa remotiores eius conclusiones vel etiam circa conclusiones propinquiores quidem, quae tamen certis quibusdam conditionibus et circumstantiis, quae eas obscuriores reddunt, sunt affectae.

26. II. *Ad legem positivam Dei quod attinet,* sunt theologi, praesertim inter veteres, qui etiam ullam eius invincibilem ignorantiam sive apud fideles sive etiam apud infideles locum habere posse, infitiantur[1]. *Omnem igitur eius ignorantiam vincibilem atque culpabilem esse statuunt.*

[1] Afferuntur pro hac sententia a *Vasquez* 1, 2, disp. 120, sect. 1, n. 1 sqq; *Rassler* l. c. n. 123; *Schildere* l. c. tr. 2, n. 9 et 10; *Platel* l. c. P. 2, n. 254, aliis praeter *Guilelmum Parisiensem* l. c. c. 21 inter alios *Hugo a S. Victore* l. 2 De sacramentis P. 6, c. 5; *Altissidorensis* l. 3 Summa tr. 3, c. 2; *D. Bonaventura* l. 3, dist. 25, a. 1, q. 1 ad ult. et q. 3, qui tamen hac tertia quaestione de solis fidelibus agit; *Gerson,* De vita spirit. l. 4, cor. 3; *Gabr. Biel* l. 2, dist. 22, a. 1, dub. 1. Hic tamen hoc unum docet, hominem facientem, quod in se est, observantemque, quantum potest, legem naturalem illuminatum iri a Deo circa ea, quae ad salutem necessario credenda sunt. Concludunt docere ipsum, culpabiliter omnem hominem scientia salutis necessaria carere. At potest aliquis ob culpam suam et peccata hac Dei illuminatione et notitia privari, et nihilominus liber esse ab omni vincibili ignorantia. Quod idem animadvertendum est circa *Halensem* l. 2, q. 112, membr. 8 et alios. — De hac porro sententia cf. *Suarez* l. c. tr. 2, disp. 4, sect. 1, n. 12; l. 4 De grat. c. 16, n. 24; *Vasquez* 1, 2, disp. 120, c. 4, n. 12; disp. 123, c. 4, n. 6; *Sanchez,* Decalog. l. 1, c. 16, n. 31; *Salmant.,* De vit. et pecc. l. c. disp. 13, dub. 1, n. 7 sqq; *Martinon,* De peccatis disp. 22, sect. 1, n. 12 sq; *Bouquillon,* Theol. moral. fundam. De lege naturali n. 72, p. 215 nota 5. — Et profecto potest Deus ita disponere, ut homo propter peccata sua vel prima suspicione ali-

Alii vero iam communissime admittunt, posse invincibilem ignorantiam quandam etiam in iure divino positivo apud omnes, tam fideles quam infideles, usuvenire, idque vel in iis ipsis rebus, quae ad salutem sunt necessariae. Id testantur inter alios *Vasquez* l. c. 2 et 3, disp. 121, c. 2, n. 3, § „Caeterum"; *Rassler,* Norma recti disp. 1, n. 125 et 229 sqq; *Schildere,* De princip. consc. form. n. 9 et 10; *Platel,* Synopsis P. 2 n. 254 et 256. Et omnes saltem huc referri debent, qui idem circa ius naturale concesserunt. Plures tamen etiam alii ut *Contenson* etc.

27. III. *Quod vero ad ius humanum attinet et ad ignorantiam facti*, sane *omnes* contra Lutherum hoc *docent*, *ipsa saepe posse invincibiliter ignorari* (cf. *Platel* l. c. P. 2, n. 254; *Vasquez* 1, 2, disp. 124; *Rassler* l. c. n. 126).

Ne autem reverti cogar ad hanc quaestionem *de iure humano,* rationes pro sententia posita breviter afferam. Rationes sunt 1° universalis consensus theologorum; 2° absentia omnis rationis efficacis pro contraria sententia; 3^io^ saepissime nihil humana natura ut talis est cum huiusmodi lege cohaeret; quare nec potest ansam praebere ad talem legem suspicandam; ex altera vero parte frequenter homines rudes, immo etiam docti, de talibus legibus nihil umquam audierunt; dicere vero, Deum supernaturaliter et miraculose intervenire, ut hae leges singulis innotescant, inepte et sine fundamento asseritur; 4° ipsa harum legum innumera multitudo obstat, ne omnes innotescant, omnesque nosse superat vires humanas. Multae etiam sunt intellectu difficillimae, ita, ut vel inter doctores de earum sensu disputetur.

---

cuius obligationis et officii privetur et careat. Quodsi accidit, ignorantia huius hominis semper quidem ex culpa est, ipsa vero non est ideo culpabilis et culpa. Non enim potest carens omni suspicione de aliqua obligatione de hac obligatione indagare (cf. inter alios *Vasquez* 1, 2, disp. 123, c. 2, n. 6). Ceterum multi veteres doctores commiscent haec duo, licet admodum diversa sint, ignorantiam esse ex culpa et ignorantiam esse culpabilem; quare nec mirum est, plura confuse ab ipsis dici (cf. *Suarez* et *Bouquillon* l. c.).

§ 2.

De ignorantia invincibili iuris positivi divini.

28. *Dico 1°. Ius positivum divinum, etiam id, quod est ad salutem scitu necessarium, invincibiliter ab hominibus usum rationis habentibus, saltem per tempus, ignorari potest.*

Ita statuimus cum omnibus fere doctoribus, prout modo dictum est.

Ius divinum positivum opponitur iuri divino naturali.

Et rationes pro ignorantia iuris humani numero praecedenti allatae praeter ultimam fere a fortiori hanc assertionem evincunt. Sunt tamen etiam aliae rationes.

Probatur 1°. Invincibiliter ignoratur a nobis id, cuius nobis omne inquirendi initium et principium deest. Atqui multis fidelibus, plurimisque infidelibus, plane deest omne principium et initium inquirendi in varia praecepta iuris divini positivi. Aut quomodo dubitant aut dubitare possunt de eo, cuius ne levissimam quidem suspicionem naturaliter aut supernaturaliter habent? (Cf. supra dicta de naturali cogitatione.)

29. *Oppones 1°:* Est sententia communissime recepta: Facienti id, quod in se est, Deus non denegat gratiam. Ergo quoties homo ius divinum aliquod positivum, maxime vero illud, quod scire ad salutem ipsi est necessarium, ignorat, ipsum culpa sua ignorat. Ergo ius positivum divinum, maxime illud, quod est ad salutem necessarium, numquam invincibiliter ignoratur.

Respondetur: Distinguo antecendens: Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam, i. e. Deus ei gratiam ad salutem saltem necessariam hic et nunc semper concedit aut proxime offert, *nego antecedens;* dat eam suo tempore, *subdistinguo:* semper quantum est praecise ad salutem necessaria, *concedo antecedens,* ultra eam gratiam saepe, *concedo*; semper[1], *nego antecedens.* Quare homo, etsi facit id, quod

[1] Adagium vel axioma hoc quomodo ipsum oporteat intelligere, modo accuratius investigare non vacat. Intelligitur tamen diversissime. Vide inter alios *Suarez* l. 4 De gratia c. 13 sqq; praesertim c. 15, n. 39 sqq

in se est, ius divinum aliquod positivum, immo etiam illud, quod est ad salutem scitu necessarium, et per diuturnum quidem tempus, prorsus nescire potest, utut certum est, ipsum notitiam iuris divini ad salutem necessariam, quantum est ex parte Dei, aliquando habiturum esse. Unde etiam *alterum consequens negatur.* — Haec difficultatis solutio hoc loco prorsus sufficit, quia in Theologia morali tantummodo agitur de hac quaestione: Essene possit homo rationis usum plenum habens, qui ius aliquod divinum positivum, quando scilicet contra ipsum operatur, sine sua formaliter hic et nunc culpa nesciat, quod utique secundum dicta affirmandum est. — Ceterum *transmittendo antecedens distinguo prius consequens:* ignorat ipsum ex quadam sua culpa vel propter illam, *transeat consequens;* ignorat ipsum semper cum sua culpa, i. e. qua formaliter praesenti ignorantia peccat, *nego consequens* (cf. supra dicta n. 10 nota; cf. etiam *Vasquez* 1, 2, disp. 20, c. 1, n. 2; *Rassler,* Norma recti disp. 1, n. 161 et 162).

30. *Oppones 2°.* Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (cf. 1 Tim 2, 4). Ergo omnis, qui ea, quae ad salutem scitu necessaria sunt, non cognoscit, culpa sua formali ea scientia caret. Ergo potuit ea expedite cognoscere. Ergo omnis, qui ea ignorat, vincibiliter ea ignorat; ergo non invincibiliter.

Respondetur 1°: Quantum est ex vi huius argumenti, potest homo non alia solum, sed ea etiam, quae scitu necessaria sunt ad salutem, per totam fere vitam invincibiliter ignorare, modo habeat occasionem discendi ea ante obitum vitae. In hoc responso ad solos adultos respicitur, in quibus solis potest esse ignorantia formaliter culpabilis. Patet autem vi textus allati non esse necessarium, ut ipsis semper et ubique occasio et possibilitas iuris divini positivi cognoscendi offeratur et adsit, sed ante obitum

---

et c. 16, n. 13 sqq; *Ruiz,* De providentia disp. 22, sect. 2, n. 7 sqq; sect. 3, n. 3 sqq; *Ripalda,* De ente supernaturali disp. 20 sqq; *Ioannes a S. Thoma* 1, 1, disp. 24, a. 2; *Rassler* l. c. disp. 1, a. 5, n. 193 sqq et eas, quae apud ipsos variae sententiae discutiuntur.

tantum, quia ex hoc solo momento pendet aeternitas; et ne hoc quidem consequitur, si additis novis semper peccatis culpa hominis impedimenta salutis et cognitionis continenter augentur et increscunt. Ergo possunt homines ignorantes nec animadvertentes, se peccatis suis impedimenta salutis sibi procreare, ius positivum divinum invincibiliter ignorare.

Respondetur 2°: Concesso antecedenti prius consequens distinguitur: culpa sua ea non cognoscit alterutro modo: aut ratione culpae personalis antecedentis atque ob peccata sua praeterita, aut ea non cognoscit culpa sua formali et praesenti, *concedo prius consequens;* tantummodo culpa sua formali et praesenti ea non cognoscit, *nego prius consequens.* Etiam huc pertinent ea, quae n. 10 dicta sunt.

Respondetur 3io: Potest etiam antecedens hoc modo distingui, et a quibusdam distinguitur: Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, quantum est de se, i. e. praeparando media de se universalia et omnibus ad salutem convenientia, *concedo antecedens;* quasi Deus velit etiam miraculose removere omne impedimentum salutis, quod exoritur ex parte causarum secundarum, *nego consequens* (cf. *Platel,* Synopsis P. 1, n. 162; *Schildere,* De princip. consc. form. n. 10, § „Addo ulterius"). Obstat autem institutioni et saluti hominum praeter praematuram mortem saepe hominis a puero inter barbaros, qui de positivo iure divino nihil sciunt, commoratio, aliave similis naturalis circumstantia (cf. *Platel* l. c. P. 2, n. 256, § „Dices"). Hoc igitur responso statuitur sine ulla hominis personali culpa posse ipsum, licet Deus salutem omnium hominum serio, quantum est de se, neque tamen absolute velit, nihilominus ius divinum positivum universaliter idque per totam vitam ignorare, quia aliud est serio, aliud absolute aliquid velle. Priore modo Deus salutem omnium hominum vult, posteriore ipsam non vult. Possunt igitur obstare homini sine ulla sua culpa invincibilia impedimenta salutis cognitionisque salutaris. Ergo potest ipsi adesse ignorantia vere invincibilis. Cf. tamen *Rassler* l. c. n. 187 et 190, qui,

sequens *Suarez,* De gratia l. 4, c. 11, n. 14, videtur iure animadvertere hanc solutionem minus convenire adultis. Nam locutiones S. Scripturae et SS. Patrum satis clare edicunt, hominem adultum non perire nisi propria culpa. Ergo in potestate eius erat saltem remote omne absolutum impedimentum salutis a se amovere.

31. *Probatur 2°.* Unica via invincibilis ignorantiae est, qua excusari multi SS. Patres et Ecclesiae Doctores a peccatis possunt et debent, quando contradictoria praecepta in rebus fidei et morum tradiderunt. Debet aut unus aut alter eorum errasse invincibiliter. Clare id docet *Conradus,* De contractibus q. 100, ubi haec: „Quia nisi sic [esset, i. e. nisi invincibiliter errassent], sequeretur, quod aliquis ex sanctis Doctoribus Ecclesiae decessisset in peccato mortali. Consequens est inconveniens. *Sequela probatur.* Quia *S. Thomas* tenet in 4, quod post lapsum in mortale, non opus [est] aliquem statim confiteri, habita copia confessoris; nisi in quibusdam casibus, qui ibidem exponuntur dist. 17 etc. Sed S. Bonaventura, qui et ipse nostris temporibus, scilicet sub Sixto quarto est canonisatus, est contrariae opinionis etc. Cum ergo alteram illarum opinionum oporteat esse falsam: ponamus, quod opinio Thomae fuerit falsa: tunc ipse docendo alios et non revocando peccasset mortaliter, quia seduxisset homines ad mortalem omissionem per suam doctrinam. Si autem ponatur e contra, quod opinio S. Bonaventurae sit falsa, tunc similiter ipse decedendo in tali opinione et doctrina et non revocando eam decessisset in mortali, quia alligasset onus grave in humeris hominum et clausisset regnum Dei ante homines faciendo viam Dei arctiorem quam sit, sua doctrina falsa."

32. *Probatur 3ⁱᵒ.* Ostenditur, dari invincibilem ignorantiam circa ius divinum positivum, ut supernaturaliter revelatum, maxime vero circa ea, quae scitu sunt ad salutem necessaria.

Huiusmodi enim ignorantia versatur circa divinitus et supernaturaliter revelata, maxime circa proprie dicta mysteria divinaque fide credenda. Ea igitur naturali prorsus via et

naturali prorsus cognitione innotescere nobis minime possunt. Ergo quicumque nihil omnino de iis audivit, cuiusmodi sunt sane plurimi, de iis scire nihil potest. Ii igitur omnes laborant ignorantia eorum invincibili. Si dicas, iis in poenam peccatorum suorum personalium nihil de iis neque praedicatione externa neque illuminatione interna innotescere: etiam sic, quoniam omnino nescirent et ne suspicarentur quidem, se peccatis suis exponi periculo praecepta iuris divini positivi ignorandi, eorum ignorantia nec in causa, scil. in peccatis olim commissis, nec modo in seipsa est iis culpabilis. Ergo etiam sic ignorantia eorum prorsus invincibilis est.

33. *Dico 2°: Huiusmodi invincibilis ignorantia iuris divini positivi actionem, quae contra ipsum fit, a peccato prorsus excusat.*

Nihil opus est exponere, quid sit ius divinum positivum. Id enim iam dictum est.

Praenotanda. Affertur pro hac thesi probanda quidam locus ex Evangelio S. Ioannis, nimirum 15, 22 et 24: „Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.“ — „Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me et patrem meum.“ Sed contra hos locos iure opposueris: eae, quae ibi apponuntur conditiones, si reapse locum habuissent, legem novam non fuisse promulgatam, saltem non sufficienter; proinde neque eam legem esse omnino neque ignorantiam legis invincibilem contra eam accidere potuisse.

Melius et efficacius id probatur per locum apud Ioannem 9, 41: „Si caeci essetis, inquit Dominus, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis: Quia videmus; peccatum vestrum manet.“

Probatur igitur 1° ex hoc loco. Caecitas, de qua hic agitur, non est caecitas corporalis, sed mentis caecitas, qua homo a perspiciendo vero impeditur. Huiusmodi autem caecitas est sine dubio ea, quae est in homine, qui laborat ignorantia in-

vincibili; qui licet sufficienter conetur videre obligationem, nullam tamen sufficienter animadvertit. Ergo secundum verba Domini hic est ab omni peccato liber.

34. *Probatur 2°.* Eandem doctrinam tradit S. Augustinus tr. 89 in Ioannem (*Migne,* P. L. 35, 1857), ubi haec: „Sed quod adiunxit atque ait: ‚Nunc autem excusationem non habent de peccato suo‘, potest movere quaerentes, utrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habent excusationem de peccato suo. Si enim non habent, cur hic dictum est, propterea istos non habere, quia venit et locutus est eis? Si autem habent, utrum ad hoc habeant, ut a poenis alienentur an ut mitius puniantur? Ad haec inquisita ita pro captu meo, Domino dante, respondeo, habere eos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit et quibus non est locutus. Sed non in eo sunt numero hi, ad quos in discipulis venit et quibus per discipulos est locutus, quod et nunc facit; nam per Ecclesiam suam venit ad gentes et per Ecclesiam loquitur gentibus.“ Ergo ex mente S. Augustini omnes legem evangelicam etiam promulgatam non credentes liberi sunt a culpa, quoties ipsi de ea nuntium non acceperunt nec quidquam de ea audierunt, seu qui invincibiliter ipsam ignorant. — Si autem ab hac lege implenda eos invincibilis excusat ignorantia, idem dicendum de omni lege; excusari scilicet homines ab iis implendis, quoties ipsas invincibiliter ignorant. Nam est eadem ratio. — Consentit *S. Thomas* 2, 2, q. 10, a. 1: „Si infidelitas“, inquit, „accipiatur secundum negationem puram, sicut in iis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poenae, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt, non autem propter infidelitatis peccatum.“

35. *Probatur 3° idem ratione.* Etenim ut malitia actus, quem agit quis, ei imputetur, necesse est, sit voluntaria. Constat hoc inter alia ex damnata propositione Baii 46: „Ad

rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium.“ Atqui materialis malitia actus, qui fit cum ignorantia invincibili malitiae, non est agenti ullo modo voluntaria. Nam ad voluntarium omne requiritur cognitio termini, in quem est motus. Malitia autem ab invincibiliter ignorante eam omnino abscondita est, estque pro eo, quasi non sit. Ergo ipsi non est voluntaria. Ergo talis actus, utpote qui non sit voluntarius, caret culpa. Ergo invincibilis ignorantia a peccato omnino excusat. — Quod idem constat ex Baii propositione 68 damnata: „Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.“ Nam ratio damnandi hanc propositionem est, quia huiusmodi infidelitas ex invincibili ignorantia revelationis Christi procedit. — Quare vere fundata est disiunctio illa, quam *S. Thomas* q. 3 De malo a. 8 facit: „Si“, inquit, „in eodem actu aliquid sit ignoratum et scitum, potest esse voluntarium, quantum ad id, quod est scitum, semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum, sive ignoretur deformitas actus, puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum; sive ignoretur circumstantia actus, sicut cum aliquis accedat ad mulierem, quam credit esse suam.“ Addo: quamvis iuris invincibilis ignorantia efficiat solum actum eatenus involuntarium, quatenus malus et peccaminosus est, facti tamen invincibilem ignorantiam reddere ipsum simpliciter et secundum substantiam involuntarium. Etenim fit aut id, quod facere omnino positive (adversante scilicet habituali animi nostri dispositione) nolumus, quando laboramus facti invincibili ignorantia antecedenti, aut id saltem fit, quod facere non volumus, quando nimirum adest facti ignorantia invincibilis concomitans (cf. *Sanchez* l. 1, Decalog. c. 16, n. 9).

36. *Confirmatur 1°.* Fuerunt SS. Patres, qui in fide et moribus vere falsas et erroneas sententias docuerunt easque etiam exsecuti sunt. Sic S. Cyprianus docuit, baptizatos ab haereticis esse rebaptizandos; abbas Ioachim negavit, unam

rem unamque substantiam esse SS. Trinitatem (cf. Lateran. IV, caput „Damnamus"). Neque tamen his sententiis peccasse censentur, quia videntur invincibili ignorantia iuris divini positivi laborasse.

Confirmatur 2°. Nisi ignorantia invincibilis iuris divini positivi a peccato excusaret, confessarii, conciliarii, iudices vix a peccato liberi esse possunt, cum vix ac ne vix quidem fieri possit, ne quandoque in iure divino positivo errent. Hoc autem concedere videtur absurdum esse, quandoquidem consequitur, eos omnes debere renuntiare officio, mundumque in densissimis tenebris ignorantiae relinquere, ne conscientiae suae detrimentum patiantur.

§ 3.

De ignorantia invincibili iuris naturalis.

37. *Dico 1°. Homo, qui ordinarium usum rationis habet, non potest omni notitia legis naturalis ita carere, ut vel prima eius principia vel alia eius axiomata per se nota eorumque immediatas et prorsus expeditas applicationes et conclusiones ignoret.* Ita *S. Thomas* 1, 2, q. 94, a. 4 et 6 et alii communissime (cf. supra n. 24 sq).

Legem naturalem intelligimus hic illum complexum praeceptorum et iurium, qui nobis, id exigente rerum natura, a Deo per se observandus imponitur. Dico „per se observandus", nam posse nos ab eo observando in multis per accidens excusari ex sequentibus patebit.

Prima iuris principia naturalis ab aliis axiomatis iuris naturalis per se notis hic distinguimus. Prioris conditionis sunt omnia illa communissima et universalissima iuris naturalis principia, quae, licet diversissime exprimantur, re tamen idem tandem significant. Talia sunt: Oportet bonum facere et malum omittere; rectum ordinem oportet servare; oportet rationaliter vivere, alia huiusmodi. Ea in omni particulari praecepto ut universale in particulari continentur atque relu-

cent, ipsumque firmitate sua donant. Nam sublatis ipsis reliqua firma et fixa manere non possunt.

Alia axiomata etiam per se nota sunt; distinguuntur autem a prioribus, quatenus prioribus inferiora et firmitate ipsis donata propter indolem magis particularem et ad certa obiecta restrictam cunctis aliis moralibus praeceptis subesse eaque firmare minime possunt. Huiusmodi sunt: Deus est colendus, parentes sunt honorandi, suum cuique reddendum, temperate est vivendum etc.

Tertia classis moralium praeceptorum sunt priorum principiorum et axiomatum ad certas et determinatas actiones expeditae applicationes, quae in priorum principiorum lumine ut convenientes et licitae aut inconvenientes et illicitae immediate innotescunt. Versantur igitur circa certas quasdam et *concretas et particulares* actiones. Talia sunt: non licere per se hominem occidere, non licere furari nec calumniari, fidem datam esse servandam, non licere, saltem per se, umquam mentiri etc.

Reliqua est *quarta quaedam et satis ampla classis praeceptorum iuris naturalis,* in quibus applicatio principiorum et axiomatum ad certas actiones magis impedita est, et ubi convenientia aut disconvenientia earum cum recto ordine, quia obscurior est et cognitu difficilior, nec cognoscitur sine multo maiore experientia et comprehensione (cf. *S. Thomam* 1, 2, q. 100, a. 1). Huiusmodi sunt indissolubilitas matrimonii, prohibitio pluralitatis uxorum, prohibitio fornicationis, absoluta prohibitio et illiceitas ultionis privatae etc. (cf. *S. Thomam* 1, 2, q. 94, a. 6 et q. 100, a. 5; 3 Quodlib. a. 26; q. 17 De verit. a. 2; *Cathrein,* Moralphilos. I[3] 363 sq). — Hic tamen animadverto, plurima praecepta iuris naturae, quae via rationis et inquisitionis difficillime tantum deteguntur et cognoscuntur, christianis revelatione et doctrina christiana immediate patere.

Thesis in omnibus trium priorum classium praeceptis locum habet; non valet de quarta classe, de qua infra dicemus; et licet vix non per se evidens sit thesis, probatur tamen.

38. *Probatur 1° unanimi consensu theologorum.* Pauci enim illi, qui contradicunt, hanc unanimitatem non tollunt.

Probatur 2° auctoritate SS. Patrum. S. Hieronymus epistola ad Algasiam q. 8 (*Migne,* P. L. 22, 1025) haec scribit: „*Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat.*“ Idcirco iustum iudicium Dei est scribentis in corde humani generis: „Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.“ *S. Augustinus,* De spiritu et littera c. 28 (*Migne,* P. L. 44, 230): „Verumtamen, quia *non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: unde merito dici possit, etiam in impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere“;* si hoc est, quod dictum est, „quia gentes, quae legem non habent“, hoc est legem Dei, „naturaliter quae legis sunt, faciunt, et quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex et scriptum opus legis habent in cordibus suis“, i. e. „*non omni modo deletum, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est.*“ In Ps 118 conc. 25, n. 4 (*Migne,* P. L. 37, 1574) haec exstant: „Nullus est, qui faciat alteri iniuriam, nisi, qui fieri nolit sibi, dum id, quod facit, non vult pati“ (cf. etiam Ps 57, n. 1 [*Migne,* P. L. 36, 673 sq]). — Similia habet *Tertullianus,* De corona militis c. 6 (*Migne,* P. L. 2, 103), *S. Chrysostomus,* In Genes. hom. 54, n. 1 (*Migne,* P. G. 54, 47); Ad populum Antiochenum hom. 12, n. 3 (*Migne,* P. G. 49, 131) etc. *Et revera qui prima et universalissima iuris naturalis principia cognoscit, cum in iis omne ius et praeceptum radicaliter contineatur, is potest recte dici aliquo modo ius naturale cognoscere. — Idem tradunt, ut dictum est, etiam scholastici Doctores,* v. g. *Halensis,* Summa 2, q. 112, membr. 8, qui haec pronuntiat: „Quanto plus tenetur homo ad cognitionem iuris, tanto minus excusatur [ob ignorantiam]; quia vero unusquisque tenetur ad scientiam iuris naturalis: ideo nullus adultus excusatur; nulli enim adulto licet legem naturalem ignorare, quoniam ipsa scribitur in corde humano naturaliter.“ Quod quomodo intelligendum sit, in eodem membro postea explicat. Ait enim: „*Quod quilibet tenetur scire*

implicite vel explicite, particulariter vel ad minus generaliter, sub illa scilicet ratione generali, qua dictat natura." Ergo satis clare videtur insinuare, legis naturae, quod ad prima eius principia et axiomata attinet, ignorantiam invincibilem non esse. In iis vero principiis cetera quodammodo (implicite) cognoscuntur, ut modo dictum est. Idem docet *B. Albertus Magnus* in 2, dist. 22, a. 16 med.: „Iuris autem ignorantia est duplex. Quia quoddam est universale, quod omnibus proponitur ad sciendum, et quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium. Et puto, quod prima est crassa et non excusans; secunda autem excusat vel a tanto vel a toto, si est casus multum difficilis" (cf. *Esparza,* Appendix ad quaestionem de usu licito opinionis probabilis P. 1, art. 32).

Probatur 3° ratione. Sicut prima principia metaphysica ita evidentia sunt, ut omnem intellectum de ipsis cogitantem ad assensum sui et conclusionum ex ipsis deductarum necessitent: ita necesse est, sint etiam principia quaedam prima moralia aeque evidentia et in sese et in conclusionibus etiam evidenter ex iis collectis. Nam debuit conditor humanae naturae certo non minus de his quam de illis nostram naturam providere, siquidem homini ad ducendam vitam rationalem et felicitati accomodatam non minus saltem haec necessaria sunt quam ista.

Coroll. Est igitur in nobis naturalis habitus primorum principiorum practicorum, quem scholastici *synderesim* communiter vocant (cf. *S. Thom.* q. 16 De verit. a. 1; *Cathrein,* Moralphilos. I[3] 385).

39. *Dico 2°: Homines usum rationis perfectum habentes saepe illa praecepta iuris naturalis invincibiliter ignorant, quae cum primis eius principiis aut remote tantum aut obscure cohaerent.*

Quaenam haec praecepta sint, supra n. 37 diximus. Sunt praecepta quartae classis, quam ibi commemoravimus. Aliis verbis: sunt aut conclusiones ex primis principiis remotae aut etiam conclusiones ceteroquin satis propinquae, certis tamen

et particularibus circumstantiis affectae. Est communissima iam sententia, ut patet ex iis, quae supra n. 25 dicta sunt. Immo vel ex notissimis antiprobabilistis plurimi huic thesi subscribunt. Cf. v. g. *Thyrsum Gonzalez,* Fundam. theol. mor. disp. 11, c. 5; *Gonet,* alios; estque manifesto sententia *S. Thomae* 1, 2, q. 94, a. 4 et 6; q. 106, a. 1 et 3 (cf. q. 3 De malo a. 8).

40. *Probatur 1°. Consensu omnium fere theologorum. — 2°. Idem probatur ratione.* Etenim, ut *S. Thomas* 1, 2, q. 94, a. 4 auctor est, multa particularia praecepta legis naturae ignorantur „propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione seu ex mala consuetudine seu ex mala habitudine naturae". Et revera saepe passio sine hominis propria culpa rationem praevertit; postea autem omnem eius vim et influxum ratio et voluntas frustra excutere et reprimere conatur. Idem de consuetudine, imprimis publica et communi dicendum. Eius quoque influxum et vim, saepe inscii, subimus et patimur. Aut quis dubitet mores ethnicos et late pervagatos homines a veritate cognoscenda saepe impedivisse? Idem a fortiore de mala habitudine naturae dicendum est. Quot enim sunt, qui naturali quadam mentis hebetudine, maxime quoties fucata quaedam apparentia honestatis malitiam obiecti tegit, ita a veritate cognoscenda arcentur, ut ne prima quidem illis suspicio malitiae in multis pravis actibus suboriatur; quot, qui propter intricatas complexiones veritatem penetrare non possunt, idque non solum accidit inter indoctos, sed etiam inter ipsos doctissimos, prout id docent plures propositiones olim a multis doctoribus magni nominis defensae, ab Alexandro tamen VII, Innocentio XI, aliis pontificibus profligatae. Et quam incerta mens humana in multis quaestionibus de se haereat, disce ex iis, quae *S. Augustinus*, De serm. Domini in monte l. 1, c. 16, n. 50 (*Migne,* P. L. 34, 1254) enarrat. Statuerat S. Doctor adulterium gravissimum esse peccatum. At accedentibus quibusdam circumstantiis videtur uxor ad committendum ipsum teneri. Etenim ait: „Quamquam nonnullae causae

possunt exsistere, ubi et uxor, mariti consensu, pro marito hoc facere debere videatur: sicut Antiochae factum esse perhibetur ante quinquaginta ferme annos Constantii temporibus. Nam Acyndinus tunc praefectus, qui etiam consul fuit, cum quendam librae auri debitorem fisci exigeret, nescio unde commotus (quod plerumque in istis potestatibus periculosum est, quibus quodlibet, licet aut potius putatur licere) comminatus est iurans et vehementer affirmans, quod si certo die, quem constituerat, memoratum aurum non exsolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani custodia nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere et propinquare coepit. Et forte habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniae, qua subveniret viro. Cuius mulieris pulchritudine cum quidam dives esset accensus et cognovisset, maritum eius in illo discrimine constitutum, misit ad eam pollicens pro una nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tum illa, quae se sciret non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens, paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse coniugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tamquam de re sua pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias et ut id fieret imperavit, nullo malo iudicans adulterium esse concubitum, quem et libido nulla et magna mariti caritas, se iubente et volente, flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis, fecit, quod voluit impudicus: sed illa corpus non nisi marito dedit, non concumbere ut solet, sed vivere cupienti. Accepit aurum; sed ille, qui dedit, fraude subtraxit, quod dederat et supposuit simile ligamentum cum terra. Quod ubi mulier iam domi suae posita invenit, prosiluit in publicum, eadem mariti caritate clamatura quod fecerat qua facere coacta est: interpellat praefectum, fatetur omnia, quam fraudem passa esset, ostendit. Tum vero praefectus primum se reum, quod suis minis ad id ventum esset, affirmans, pronuntiat tamquam in alium sententiam dicens, de Acyndini bonis auri libram fisco inferendam; illam vere mulierem dominam in eam terram, unde pro auro

terram accepisset, induci." Hoc factum. Quid vero ad haec Augustinus? „Nihil hinc", inquit, „in aliquam partem disputo; liceat cuique aestimare quod velit; non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est: sed tamen narrato facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere, viro iubente, commissum est, quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus" (cf. etiam ea, quae exstant apud *S. Augustinum,* Lib. contra mendacium ad Consentium c. 10, n. 23; c. 11, n. 25; c. 15, n. 33 [*Migne,* P. L. 40, 532 535 540]).

41. Ne dicas, Deum non posse permittere invincibilem ignorantiam iuris naturae; nam contrarium testatur quotidiana experientia. Idem etiam ostendit ratio. Etenim eo magis potest Deus ignorantiam iuris naturalis in hominibus permittere, quoniam transgressio legis invincibiliter ignoratae nec iustificationem acquirendam impedit nec acquisitam tollit; peccatum enim ita factum non est formale et ad imputationem aptum, sed tantum materiale, prout iam demonstrabitur.

42. *Dico 3^io^. Ignorantia invincibilis sive legis naturalis sive facti, quod applicandae legi naturali sive etiam positivae praesupponitur, a tota culpa legis transgressae excusat.*

Haec thesis statuitur imprimis contra Baium, Iansenium, Sinnichium et eiusdem coloris scriptores[1], qui sequentes Lutherum et Calvinum contendunt, etsi invincibilis sit ignorantia iuris naturalis, adeoque in opere ratio voluntarii necessario deficiat, hoc nihil obstare, quominus actus peccaminosus contra ius naturae ut talis est nobis specialiter et personaliter imputetur, quoniam olim in Adamo capite humanae naturae, voluntarie contracta sit. Cf. inter alia propositiones Baii a Pio V, Gregorio XIII, Urbano VIII damnatas; propositionem 68 (*Denz.,* Enchir. n. 948, recent. n. 1068). Cf. etiam prop. 67. Inter eas vero propositiones, quas Alexander VIII die 7. Dec. 1690 damnavit, huc pertinent prima et secunda (*Denz.* n. 1158

[1] Nominat quosdam *Bouquillon,* Theol. mor. fundam. De lege naturali n. 74, p. 214, nota 4.

et 1159, recent n. 1291 et 1292). Sunt porro hae: propositio 68 „Infidelitas pure negativa in his, (in) quibus Christus non est praedicatus, peccatum est"; 1. „In statu naturae lapsae ad peccatum mortale (*Viva:* formale) et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et voluntate Adami peccantis"; 2. „Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem non excusat a peccato formali." Iansenius in opere „Augustinus" eandem sententiam defendit tom. II De statu naturae lapsae l. 2, c. 2.

Propositio est *D. Thomae* q. 3 De malo a. 8; 1, 2, q. 6, a. 8; q. 76, a. 2 3 4 et est communissima (cf. *Annatum* in Augustino a Baianis vindicato; *Moraines* in Antiiansenio disp. 16; *Dechamps* in Haeresi Ianseniana l. 3, disp. 5; *Terillum,* Fundam. theol. q. 16; *Esparzam,* Appendix etc. art. 23 sqq; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 735[1]).

I. Probatur: Ignorantia iuris naturalis invincibilis excusat.

43. *Probatur 1° S. Scriptura.* 1[um] argumentum. S. Paulus ad Romanos 1, 18 pronuntiat ethnicos et atheos ideo esse inexcusabiles, quia principia cognitionis Dei sufficientia cum haberent, eam cognitionem acquirere neglexerunt. Ergo si caruissent principiis cognitionis Dei sufficientibus, potuissent excusari. Atqui quicumque totaliter et invincibiliter ignorat, iis principiis caret. Ergo.... — 2[um] argumentum. Christus de Iudaeis fidem et venerationem sibi ut Messiae Filioque Dei dare recusantibus haec ait: „Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo." Manifesto hic indicat

[2] Immerito tamen haec praesens thesis a *Lacroix* l. c. l. 1, n. 727; *Antoine,* De peccatis c. 4, q. 6; *S. Alph.,* Theol. mor. l. 1, n. 171; *Müller, Pruner* explicite damnata dicitur ob hanc propositionem: „Nullam admittimus ignorantiam invincibilem iuris naturalis in ullo homine, dum hic et nunc contra ius naturale agit." Continetur quidem in libello, qui damnatus est, ipsa non est damnata (cf. *Bouquillon,* De l'ignorance invincible des conclusions éloignées de la loi naturelle 27; *id.,* Theol. mor. fundam. 219; *Concina,* Apparatus l. 2, c. 3, n. 58).

Dominus eos excusandos fuisse a peccato, si ipsum talem esse invincibiliter ignorassent. Si autem ignorantia invincibilis obligationis excusat a culpa eos, qui non agnoscunt Deum in Christo sibi personaliter loquentem: par est ratio, ut ii etiam excusentur, qui alia officia similiter invincibiliter ignorant (cf. *Martinon,* Disput. theol. II, disp. 22, sect. 3, n. 21; *Terillum,* Fundam. theol. q. 16, n. 24 sqq).

44. *2° ratione. Probatur 1°.* Ut malitia actus vel obiecti cuiquam imputetur, opus est, ut sit ipsi voluntaria. Malitia autem actus vel obiecti, quae invincibiliter ignoratur ab agente, non potest esse agenti voluntaria, quoniam nihil volitum nisi praecognitum. Ergo. . . . Neque quidquam adversarios iuvat provocatio ad originale peccatum, etsi dicant eam ignorantiam in ipso ortum habere. Nam 1° etiam quae saepissime usuvenit, ignorantia iuris positivi et facti ex originali peccato ortum habet et quaedam eius poena est; nihilominus vel ipsi adversarii fatentur, opera ex ea ignorantia profecta, quoties invincibilis est, carere culpa. Ergo a pari. Deinde vero 2° utut ignorantia iuris naturalis rationem poenae habet, ipsa tamen culpa non est. Ergo multo minus actibus ex ipsa prodeuntibus rationem culpae impertiri potest. Cf. propos. Baii damnatam 46: „Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium."

Probatur 2°. Si vera est adversariorum sententia, quicumque SS. etiam Doctores varios in fide et moribus errores ea invincibili ignorantia tradiderunt, id faciendo 1° mortaliter peccarunt. Cum autem ei sententiae inhaerentes mortui sint, sunt etiam 2° propter eam in aeternum damnati. Iam vero haec affirmare omnino intolerabile, maxime si de canonizatis SS. Doctoribus agitur (cf. *Benedict. XIV,* De servorum Dei beatificatione etc. l. 1, c. 43, n. 27). Ita enim vel plures Sancti, quos colit et veneratur Ecclesia, Christi sponsa, inter damnatos essent numerandi. Sic enim aut S. Thomas aut S. Bonaventura esset damnatus. Nam *S. Thomas* docuit (l. 4,

dist. 17, q. 3, a. 1), neque umquam retractavit, post lapsum in mortale peccatum non opus esse statim data occasione poenitere et confiteri, cuius contradictorium docuit *S. Bonaventura* (l. 4, dist. 17, a. 4, q. 2). Docuit *S. Thomas* 2, 2, q. 64, a. 6 ad 3 et q. 67, a. 2 iudicem mortis condemnare reum posse iuridice convictum, quem certo scit esse innocentem, etsi alii contrarium docent (cf. *Lessium*, De iust. et iure disp. 29, a. 10; *Lugo,* De iust. disp. 34, a. 4, n. 42). Alia plura, quae huc pertinent, vide apud *Rassler,* Norma recti disp. 1, q. 5, n. 153.

Probatur 3^io. Si invincibilis ignorantia a peccato contra ius naturae non excusat, consequens est, ut eam tantum operationem possimus tuto et secure exercere, quae etiam levissimo dubio malitiae obiectivae caret; immo etiam maior securitas quaerenda est; secus adesse potest malitia obiectiva et pro agente formale peccatum. At admitti hoc non potest. Ergo.... *Minor ostenditur.* Nam haec positio virtualiter damnata est ab Alexandro VIII die 7. Dec. 1690, quando proscripsit hanc propositionem: „Non licet sequi propositionem vel inter probabiles probabilissimam." Ergo licet eam sequi. Ergo evidentia de absentia malitiae opus non est, ut licite operemur. Ergo licite quandoque ponam actionem, cui absolute potest subesse malum obiectivum contra ius naturale. Ergo non teneor reus omnis actionis, quae contra ius naturale obiectivum a me ponitur, scil. tum saltem excusor, quando id ius a me invincibiliter ignoratur.

Probatur 4^o. Si operari contra ius naturae semper et sine ulla exceptione peccatum formale est, ut adversariorum fert opinio, etiam opinari contra ipsum formale peccatum est. Nam opinari quoddam operari est a voluntate libera dependens et imperatum. Ergo opinio contra ius naturae in mente nostra formata est opus contra ius naturae voluntarie et libere positum. Ergo secundum adversarios est talis opinio peccatum formale contra ius naturae. Iam vero hominibus intolerabile imponitur iugum, si cavere debent, ne ullam opinionem etiam bene fundatam in re morali forment, ne id faciendo contra ius naturae formaliter peccent. Ergo....

45. *Confirmatur.* Secundum adversarios invincibilis ignorantia iuris divini positivi a peccato excusat. Ergo etiam excusat invincibilis ignorantia iuris naturalis. *Probatur consequentia.* Nam nulla est ratio, cur tanta differentia inter utrumque ius statuatur. Nam dicere unum ius magis cohaerere cum natura humana quam alterum, verum quidem est, nihil tamen facit ad rem, quoniam Deus tam unum quam alterum a nobis observari iubet.

Confirmantur dicta ex absurdis contrariae sententiae consequentiis. 1°. Si adversariorum sententia vera esset, non liceret cuiquam in se suscipere munus docendi theologiam, minime omnium moralem, munus confessarii, consiliarii etc. Nam se exponerent manifesto et proximo periculo aliquid decidendi, docendi, consulendi contra ius naturae adeoque formaliter peccandi, quoniam omne materiale peccatum contra ius naturae secundum adversarios formale includit. Quod quam absurde dicatur, per se patet et supra expositum est. 2° sequitur, ut homines rudes non possint acquiescere iudicio et consilio parochorum, confessariorum, doctorum, sed debeant habere de omnibus agendis semper evidentiam de absentia omnis malitiae obiectivae contra ius naturae; cum minore enim evidentia si agunt, facile contra ius naturae offendunt adeoque formaliter contra ipsum peccant. Quomodo autem ad evidentiam pertingent?

46. *Probatur 3° auctoritate Patrum.* Afferam potissimum quaedam *S. Augustini testimonia,* quia Iansenius eiusque asseclae apud hunc Patrem praesidium sibi constitutum autumant. — Primum testimonium pono illud, quod exstat l. 1 Retract. c. 15, n. 3 (*Migne,* P. L. 32, 609): „*Nam*“, inquit, „*et qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest;* quamvis et ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius potuit esse sine voluntate peccatum.“ Neque tamen id formale dici potest peccatum, quia nesciens adeoque etiam nolens peccavit. Quod S. Augustinus sequentibus effert. Pergit enim: „Quia voluit, ergo fecit, *etiamsi non quia voluit peccavit*

[peccato scl. formali], *nesciens peccatum esse,* quod fecit. Ita nec tale [materiale] peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum est, quod fieri non debuit." Commentarium horum verborum scripsit *S. Thomas,* De malo q. 3, a. 8. Vide supra n. 35.

Alterum testimonium sit illud, quod l. 3 De libero arbitrio c. 18, n. 50 exstat (*Migne,* P. L. 32, 1295): „Sed si laboriosum est, omnia mandare memoriae, hoc brevissimum tene. Quaecumque ista causa est voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: caveri igitur potest"? Iam vero invincibilis ignorantia caveri non potest; qui enim caveri potest, si vere invincibilis est? Ergo quod invincibiliter ignorantes contra ius naturae operamur, sine formali peccato operamur.

Praeterea tertio ib. l. 3, c. 22, n. 64 haec profert: „Non enim quod naturaliter nescit et naturaliter non potest, hoc animae deputatur in reatum; sed quod scire non studuit, et quod dignam facilitati comparandae ad recte faciendum operam non dedit." Profecto illa ignorantia naturalis est, quae ideo adest nec deponi potest, quoniam ne naturalis quidem cogitatio nec ulla suspicio occurrit, qua ad illam exuendam impelli possumus. Ergo nec talis ignorantia nec operatio ex ea profecta nobis personaliter in reatum verti ullo modo possunt secundum s. Augustini sententiam.

Quartum testimonium in Enarratione Psalmi 57, n. 1 (*Migne,* P. L. 36, 673) invenitur. Ibi haec: „Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset, unde iudicarentur et quibus lex non esset data." Scripta igitur lex in cordibus nostris

ideo est, ut esset, unde iudicaremur. Ergo scripta in corde nisi lex esset, non esset, unde iudicaremur. Ergo mere materialis legis naturae transgressio non sufficit ad condemnationem. Ergo invincibilis legis naturae ignorantia a culpa totaliter excusat.

Quintum testimonium addamus. Exstat l. 3 De libero arbitrio c. 19, n. 53 (*Migne,* P. L. 32, 1297), iterum De natura et gratia c. 67, n. 80 (*Migne,* P. L. 44, 286): „Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras." Ibi S. Doctor manifesto indicat, non ignorantiam ut talem, sed solam, quae per culpabilem negligentiam inducta est, ignorantiam nos reos culpae reddere. Ergo quae materialia peccata invincibili ignorantia committuntur — haec enim sola nostra culpa et negligentia inducta non est —, ad culpam non imputantur, imputantur vero commissa aut scienter aut ignorantia vincibili. Cf. ib. De lib. arb. n. 54, ubi inter alia, quae huc pertinent, *explicite docet, id, quod proprie vocatur peccatum, libera voluntate et a sciente committi.*

Quare similiter et plane recte *S. Ioannes Chrysostomus* Hom. 44 in Genesim c. 19, 4 ait: „Ea peccata nos condemnabunt, quae scientes [etiam scientia imperfecta, qualis est ignorantia vincibilis] et voluntarie facimus" (*Migne,* P. G. 54, 411). Quare quae sunt materialia tantum peccata, quaeque invincibiliter scientia carentes committimus, minime nos condemnabunt. Cui consona sunt, quae habet Hom. 15 in ep. ad Romanos: „Nemo umquam ignoranter peccavit etc.; si enim ignoranter peccaverunt, indigni utique erant, qui poenas darent."

47. *II. Probatur invincibilem quoque facti ignorantiam a peccato excusare.*

Probatur 1° ratione. Causa ut proprium effectum inducat, non tantum debet ad eum inducendum de se esse sufficiens, sed debet etiam sufficienter applicari. Iam vero lex non applicatur sufficienter, nisi satis constet, casum legis adesse, seu

omne factum, quod lex supponit, verificari. Ergo ignorantia invincibilis facti excusat.

Probatur 2° S. Scriptura. Etenim Abimelech (Gn 20, 3 sqq) tulerat Saram, uxorem Abrahae, ut sibi duceret uxorem. Quod ipsi exprobrans Deus, haec ei locutus est: „En morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum.“ De quo facto sese excusans Abimelech hoc modo Deo respondit: „Domine, num gentem ignorantem et iustam interficies? Nonne ipse dixit mihi: Soror mea est, et ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei et munditia manuum mearum feci hoc.“ Deus autem hanc excusationem ratam habuit. „Dixit [enim] ad eum Deus: Et ego scio, quod simplici corde feceris; et ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi, ut tangeres eam. Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est, et orabit pro te et vives; si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu et omnia, quae tua sunt.“ Hic duo certa sunt: unum, Abimelech a peccato attentati adulterii ob invincibilem ignorantiam matrimonii se excusare; alterum, Deum hanc excusationem ut iustam admittere. Cum autem hic de facto agatur, quod applicationi legis naturalis de adulterio vitando praesupponitur, constat insuperabilem ignorantiam facti a transgressione legis excusare.

Dices, Deum voluisse punire Abimelech propter factum, quo sustulit Saram (v. 3). Ergo ipso hoc facto peccavit. *Respondetur:* voluit eum punire, si monitus Saram Abrahae non redderet, *concedo assertum;* voluit eum propter merum factum punire, *nego assertum.* — Quod autem v. 18 de sanato Abimelech deque conclusis in domo eius propter Saram vulvis narratur, potius pertinet ad protectionem Sarae, ne ipsi et Abrahae fieret concubitu adulterino iniuria quam ad poenam Abimelech. — *Dices* iterum, indicare tamen Scripturam (v. 6) peccaturum fuisse Abimelech in Deum, etsi nihil monitus a Deo, invincibili ignorantia Sara usus fuisset. *Respondeo,* vocem peccandi ibi improprie adhiberi pro dedecore, quod in Abraham ex eo usu redundaret. Hoc porro quasi sibi inferatur significat Deus, quia omne dedecus Abrahae, amici sui, sibi quasi fieri considerabat (cf. *Vasquez* 1, 2, disp. 128, n. 8).

Similiter SS. Patres excusant a peccato patriarcham Iacob, qui cognovit Liam, quam invincibiliter habebat Rachel uxorem

suam. Excusant igitur eum a peccato ob invincibilem suam ignorantiam et errorem facti.

48. *Dices* contra propositionem paenultimam: Deus manifestabit omni homini omnem veritatem iuris naturae, saltem quae ad ipsum pertinet, dummodo homo sollicite bonis operibus, precibus, cavendis peccatis eam veritatem quaerat. Ita enim videtur tradi Io 1, 9[1]; 16, 23[2]; 1 Io 2, 27[3]; Iac 1, 5[4] etc.

Respondetur 1°: Negatur assertum. Quae vero ex sacris litteris pro confirmando asserto afferuntur, ea inepte afferuntur; siquidem omnia haec sufficientem veritatem habent, quando cognoscuntur prima et universalissima iuris naturalis principia, axiomata et eae, quae facillime colliguntur conclusiones, et suo tempore ea etiam, quae scire nos oportet necessitate medii ad salutem. Omnia vero et singula, quaecumque ad ius naturale pertinent, Deum manifestaturum esse hominibus, saltem iis, qui veritatem dicto modo quaerunt, id nihil his locis affirmatur. Etenim etiam sine hac universali iuris notitia homines salutem consequi possunt, quemadmodum ex supra dictis n. 41 et ex ultima thesi satis elucet. Ceterum quis credet, S. Ioannem vel S. Iacobum opinatos esse atque docuisse, Deum homini immediate omnem prorsus veritatem manifestaturum, cum sane scirent, plurima eaque gravissima hominibus manere occulta, nisi per Apostolos Deus ea annuntiet?

Respondetur 2°: Etsi esset Deus ad omnia et singula manifestanda, quae ad ius naturae pertinent, paratissimus, nihilominus homo, qui nescit, *se debere* ea via manifestationem veritatis a Deo sollicitare et impetrare, nihilque horum agens ignorabit veritatem invincibiliter. Quis autem dicet, omnem

---

[1] „Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum."

[2] „Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis."

[3] „Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est et non est mendacium."

[4] „Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei."

hominem scire, se debere hac via veritatem apud Deum quaerere?

Ceterum 3^io^ S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus etc. manifesto documento sunt, assertum esse falsum. Profecto enim multum omnes hi orarunt, diligenter peccatum cavebant, bonis operibus insudabant, et nihilominus in pluribus contra ius naturae falsa docuerunt.

49. ***Coroll.*** Quicumque igitur sine sufficienti causa privat sese actu deliberato usu rationis atque hoc modo incidit in statum ignorantiae vel potius inconsiderationis invincibilis, iam nesciens, quid agat, is semper quidem ita agendo (se voluntarie ebriando) peccat, neque tamen reus erit omnium peccatorum, quae in illo ebrietatis statu ab ipso inscio committi possunt vel fiunt, sed eorum tantum, quorum probabile aliquod periculum antea (in causa) animadvertit aut merito suspicatus est. Horum autem in omni eventu in causa reus erit, sive postea sequentur sive non sequentur. In quam sententiam haec *S. Augustinus* l. 22 Contra Faustum c. 44 profert: „Inebriaverunt eum (filiae Loth patrem suum) et se nescienti miscuerunt; quapropter culpandus est quidem; non tamen quantum iste incestus, sed quantum illa merebatur ebrietas" (*Migne,* P. L. 42, 427; cf. *Salmant.,* De vit. et pecc. disp. 13, n. 72 sqq; *Martinon,* De peccat. disp. 22, sect. 2, n. 17; *Platel,* Synopsis P. 2, n. 259; huius operis tom. I, n. 199 sqq; alios plurimos contra plures veteres theologos). De quibus consule *Vasquez* 1, 2, disp. 127, c. 1 sqq. — Id tamen hic notandum, verba et contumelias ebriorum et similium contra homines omni intrinseca malitia per se carere eaque quasi iocos ab hominibus communiter reputari atque rideri. Verba enim per se non sunt, sed meri sonus. Quare eorum causam ut talem scienter et voluntarie posuisse, communiter culpabile non est. Neque tamen id extendendum ad blasphemias aliaque similia delicta contra Deum (cf. *Sanchez* l. 1 Decal. c. 16, n. 43 sqq; *Vasquez* l. c.; *Lacroix,* Theol. mor. l. 5, n. 48; *Salmant.,* De vit. et pecc. disp. 5, dub. 6, n. 107 sqq; *Soto* l. 5 De iust. et iure q. 9, a. 2; cf. etiam *S. Thom.* 2, 2, q. 72 et q. 95).

50. *Ultima conclusio plurimis locis ex operibus S. Augustini a Iansenistis impetitur.* Sed attende, quamvis magna, immo ingens S. Augustini auctoritas in rebus theologicis sit (cf. *Denzinger* n. 128, olim n. 86), multum tamen abesse, quod olim opinati sunt Iansenistae, ut tenenda sint absolute omnia, quaecumque S. Doctor umquam scripserit. Cf. *Denz.* n. 1230, olim n. 1187 et „Indiculus" seu „Praeteritorum Sedis Apostolicae episcoporum auctoritates" c. 13 (*Denz.* n. 142, olim n. 97), quaeque ad hoc caput *Scheeben* docte adnotavit („Handbuch" l. 6, n. 234). Vide etiam nos in hoc opere I 124 in nota. Quibus adde ea, quae *S. Augustinus* ipse de sua doctrina animadvertit „De dono perseverantiae" c. 20, n. 55 (*Migne*, P. L. 45, 1027 sq); epistola 148, c. 4, n. 15, alias 111 vel 198 (*Migne,* P. L. 33, 628). Quae autem illa sint, quae ex doctrina *S. Augustini* absolute tenere oportet, illo c. 13 satis clare indicantur. Praesens quaestio ad illa non pertinet. Sed iam videamus.

51. *Primo loco* illud testimonium ponamus, quod *Iansenius* tom. II De statu naturae lapsae l. 2, c. 3 excitavit. Ait *S. Augustinus*, De natura et gratia c. 17, n. 19 (*Migne,* P. L. 44, 255): „Aliud est, non curasse scire, quae negligentiae peccata etiam per sacrificia quaedam legis videbantur expiari; aliud intelligere velle nec posse, *et facere contra legem, non intelligendo, quid fieri velit.*" Priora verba denotant peccata, quae committuntur ignorantia vincibili; posteriora vero ea, quae ex invincibili ignorantia procedunt; et nihilominus affirmatur, *ea hominem contra legem facere, adeoque iis faciendis peccare. Dices,* quod Augustinus asserit, id perfecte verificari, quando de mero peccato materiali intelligitur: nimirum homo tali ignorantia laborans et transgrediens legem, materialiter peccat. Contra hoc tamen *instant* iis, quae *S. Augustinus* scripsit ad Sixtum, presbyterum Romanum, ep. 194, alias 105, c. 6, n. 26 (*Migne,* P. L. 33, 883), ubi haec: „Humana quippe superbia tamquam praesumens de viribus liberi arbitrii excusatum se putat, quando ignorantiae, non voluntatis, videtur esse, quod peccat." Ergo secundum S. Augustinum superbia atque praesumptio de viribus liberi

arbitrii est, quando is, qui transgreditur legem, excusatum se opinatur propter ignorantiam. Non excusatur, sed merito incusatur secundum Augustinum. His porro adde ea, quae ib. n. 27 exstant: „Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis vel additamento propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui iudicat, sive qui non iudicat; quia et ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati; ergo in utrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio." Ergo in eos etiam, qui invincibiliter ignorantes malum operantur, iuxta Augustinum iusta cadit Dei damnatio.

Sed respondetur, errare Iansenium, quando putat hic de invincibili ignorantia agi. Quid ita? Sane humana superbia et praesumptio est, quando is continenter se immunem ab omni peccato pronuntiat, qui ignorantiam omnis malae actionis praetendere potest; siquidem culpae originali omnis per se homo, etiam inscius, obnoxius et reus est; haec enim ex primi hominis malo usu liberi arbitrii orta transiit in omnes eius posteros. Quare „non damnantur, qui non peccaverunt" [peccarunt enim omnes aut propria aut aliena voluntate]; quandoquidem „et ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione [personale] peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati [in quo quidem etiam sine propria notitia et voluntate omnes per se aliena voluntate constricti iacent]. Ergo in utrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio". Quare immerito se opinatur ab omni culpa continenter immunem esse is, qui carens omni notitia legis contra legem scienter numquam praevaricatus est. Unde quando S. Augustinus affirmat, hominem perfecte ignorantem posse esse in culpa, id verum est; nihil tamen hoc aliud docet, quam culpabili actione Adae, moralis capitis generis humani, quam hic certo sciens contraxit, posse esse et revera esse culpabilem inscium etiam hominem, culpa non quidem personali et propria, sed communi a capite generis humani contracta. Est igitur ignorantia etiam perfecta incertum per

se contra peccatum et culpam securitatis refugium. — Nihilominus vel ipsa haec excusatio hominibus eripitur. Deus enim quaedam adeo manifesto omnibus patefecit hominibus, ut ne id quidem asylum ignorantiae ulli homini adulto in iis rebus pateat. Unde magis etiam profligatur iudicium superbiae humanae, quo se innocentes putant. Hic est totus discursus, quem *S. Augustinus* hoc loco n. 24 sqq, praesertim n. 26 et 27 instituit. Sed quid hoc ad praesentem quaestionem pertinet, ubi de invincibili ignorantia iuris agitur: num invincibiliter ius ignorans formaliter peccet?

52. *Sed iterum instant:* Quamvis putaverimus nos aliquid Deo gratum aut saltem non ingratum facere, nihilominus postquam cognovimus nos aliquid contra legem naturalem operatos esse, *S. Augustino* auctore, Deus deprecandus est, ut nobis ignoscat. Ergo formaliter antea peccavimus. Nam ait c. 36, n. 64 De spiritu et littera (*Migne,* P. L. 44, 243) haec: „Qui hoc attendit, etiam illud attendat, quam in multis offendimus omnes, dum putamus, Deo, quem diligimus, placere vel non diplicere quod facimus; et postea per scripturam eius, sive certa et perspicua ratione commoniti, cum didicerimus, quod ei non placeat, poenitendo precamur, ut ignoscat.“ Unde recte concluditur, etsi quis putet se nihil prorsus peccare contra ius naturale, et proinde invincibiliter ipsum ignorare legem naturae, nihilominus, quoties contra ipsam operatur, formaliter peccare; secus enim si esset, quid deprecaremur Deum, ut nobis, qui egimus talia, ignosceret? — *At respondetur 1°:* plane voluntarie et arbitrarie hic restringi sententiam ad ius naturale (cf. supra n. 45), cum satis manifesto ab Augustino ad ius etiam positivum extendatur. *Respondetur 2°,* nos debere veniam a Deo poscere etiam circa ea, in quibus, ut putamus, invincibili ignorantia contra legem peccavimus. Quid ista? quoniam facile fieri potest et fit, ut ibi adfuerit aliqua vere vincibilis ignorantia, ubi putamus, nos vere invincibiliter malitiam operis ignorasse. Magna enim est fragilitas et caecitas hominis, et ibi facile aliquid debitae diligentiae a nobis neglectum

est, ubi se nihil neglexisse homo opinatur (cf. *Terillum*, De consc. q. 16, n. 60 sqq; *Lacroix*, Theol. mor. l. 5, n. 224).

53. *Alio etiam textu* idem efficere conatur Iansenius. Affert locum ex *Augustini* libro „De gratia et libero arbitrio" c. 3, n. 5 (*Migne*, P. L. 44, 885). „Sed", inquit, „et illa ignorantia, quae non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quid crederet; sed fortasse ut mitius ardeat. Non enim sine causa dictum est: ‚Effunde iram tuam in gentes, qui te non noverunt' (Ps 78, 6)." Ex hoc loco colligit Iansenius, hominem agentem contra legem naturalem, licet invincibili ignorantia ducatur, a culpa tamen non esse alienum. Putat autem de invincibili hic agi ignorantia ideo, quoniam omnes, qui vincibili ignorantia laborant, sive affectata ea est, sive simplex, scire nolunt. — At apparet ex praecedentibus de ignorantia vincibili simpliciter dicta hic agi. Etenim de affectata ignorantia, quae studiose quaerit ignorantiae tenebras *atque positive renuit scire*, in proxime praecedentibus locutus est; hic de illa loquitur ignorantia, quae non est eorum, qui scire positive nolunt, sed eorum, *qui tamquam simpliciter nesciunt*, qui scilicet simpliciter negligunt scire; non sine causa illud *„tamquam"* apponens, ut scilicet sciremus eos non omnino simpliciter ignorare. Nam ignorantia omnino simplex et pura eorum tantum est, qui invincibiliter ignorant; sed *quodammodo* eos simpliciter ignorare dicit, i. e. ignorare quidem vincibiliter, at ignorantia, quae ad invincibilem satis propinque accedit. — *Dices* affirmari tamen ab Augustino, eos non audivisse omnino, quid crederent. Ergo de invincibili ignorantia loquitur.

Respondetur: Non audiverunt omnino, quid crederent, quia animadvertentes, se magis quaerere et attendere debere, istud studium omiserunt et neglexerunt, *concedo antecedens;* quasi homo vel hoc ignorans seu non animadvertens peccati propter ignorantiam reus exsistere possit, *nego antecedens.* Satis clare id paulo post declarat Augustinus, quando addit: „Verum-

tamen ut habeamus et ipsam scientiam, ne dicat unusquisque: Nescivi, non audivi, non intellexi; *voluntas convenitur humana,* ubi dicitur: ‚Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus' (Ps 21, 9)." Ergo secundum Augustinum ex voluntate est, quod non intelligunt, non audierunt. Talis autem est sola vincibilis ignorantia. — *Dices* iterum, locum, quem S. Augustinus ex evangelio Lucae 12, 48 paulo ante laudavit, de servo voluntatem domini nescienti, qui eam negligens vapulabit paucis, satis ostendere agi de ignorantia invincibili. — *Respondetur,* servum, qui hic voluntatem domini nescire dicitur, nequaquam eam simpliciter et perfecte nescire, sed non adeo clare eam cognitam habere atque servum, qui dicitur eam scire. In concreto sensus est: Non cognovit servus domini voluntatem, quia dominus eam non manifestavit ipsi revelatione proprie dicta, prout Iudaei eam sciebant; scivit tamen eam, quatenus lex naturalis cordi humano impressa et naturaliter homini manifesta est. Et sane punire aliquem propter neglectum officium, quod iste prorsus et omni modo ignoravit, immo ne suspicatus est quidem, crudele est et saevum. Et profecto videtur v. 45 satis indicari, servum voluntatem domini non prorsus ignorasse. Quod idem elucet etiam ex v. 48. — Cf. etiam *Schildere,* De princip. consc. form. 47 sq.

54. *Opponit 3^io^ Iansenius,* De statu naturae laps. l. 2, c. 4 plura, quae exstant in *Augustini* l. 1 Operis imperfecti contra Iulianum. Argumentatur autem *Iansenius* sic: L. 1 De duabus animabus c. 11 (*Migne,* P. L. 42, 103) *S. Augustinus* definierat peccatum „voluntatem retinendi vel consequendi, quod iustitia vetat, et unde liberum est abstinere"; quam definitionem pluries repetiit. At haeresi Pelagiana exorta, cum Iulianus ei has ipsas definitiones opponeret, ut originale peccatum, quod sane liberum non est, evinceret non esse omnino peccatum, *Augustinus* l. 1 Operis imperfecti contra Iulianum c. 105 (*Migne,* P. L. 45, 1118) hoc modo respondet Iuliano: „Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi; vel non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate

commissum est.“ Ad quam sententiam confirmandam cum attulisset peccata violentissimae consuetudinis, subnexuit peccata ignorantiae, volens etiam ipsis ostendere hominem subesse necessitati peccandi: „*Qui autem hoc nesciunt, inquit [scil. quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita], ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantia patiuntur peccandi necessitatem*[1]. Necesse enim est, ut peccet, qui nesciendo, quid facere debeat, quod non debet, facit.“ De veris autem, non de materialibus tantum peccatis hic agi, produnt verba immediate sequentia. „De quo genere malorum, inquit *Augustinus,* Deus rogatur, ubi dicitur: ‚Delicta iuventutis et ignorantiae meae ne memineris‘ (Ps 24, 7). Quod genus delictorum si non imputaret Deus iustus, non sibi dimitti posceret fidelis.“ Haec confirmat Iansenius iis, quae exstant apud *Augustinum* ib. c. 106: „Necesse est, ut peccet, a quo ignoratur iustitia; *numquid* ideo, cum iustitiam cognoverit, *non sunt ei remittenda peccata, quae ignorantiae necessitate commisit?* Aut quia iam cognovit, quemadmodum vivere debeat, de se ipso ei praesumendum est, ut iuste vivat, non de illo, cui dicitur: ‚Ne nos inferas in tentationem? *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi.*“ Iam, quomodo haec doctrina cum priore illa definitione peccati componatur, ut ostendat *Augustinus,* distinguit l. c. l. 1, c. 44 (*Migne,* P. L. 45, 1066), inter peccatum, quod est peccatum tantum, et peccatum, quod est etiam poena peccati, statuitque definitionem datam valere tantum in priore peccato, cum tamen, ut ex dictis patet, proprie dictum et formale in se peccatum etiam illud sit, quod necessario committimus, scil. ob invincibilem ignorantiam, quae ut poena a priore dimanat (cf. ib. c. 47).

Respondetur: relinquatur, ignorantiam, de qua hic agitur, a Iansenio ad unam ignorantiam iuris naturalis *voluntarie* restringi. Negatur autem suppositum totius discursus. Nam necessitas, de qua agitur, non est absoluta, sed moralis tantum, stricta

[1] Rectius sic legitur. Olim legebatur: „Qui autem nesciunt, inquit, ipsam boni appetendi malique vitandi ignorantiam, patiuntur peccandi necessitatem.“

tamen, i. e. eiusmodi, quam effugere quidem omnino non possumus, licet id omni signato momento possimus. Quid statuimus ita? Quoniam S. Doctor eam comparat cum ea necessitate, quam strenua et profunde in mente radicata consuetudo nobis infert, quae certo non est talis, ut ei numquam prorsus et absolute non possimus resistere, difficulter tamen resistimus, et propterea nisi gratia Dei adiuvamur, per se necessario tandem aliquando ei cedimus; quod S. Augustinus etiam in sequentibus satis diserte repetit. Hinc recte dicimus, etiam necessitatem peccandi, quam ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantia secundum S. Augustinum patimur, ultimatim oriri ex difficultate magnoque labore, quo quid boni appetendum, quid mali vitandum sit, in praesenti vitae humanae conditione discendum est. Etenim magnus iste labor etsi absolute vinci a nobis potest, frequenter tamen adeo hominem arcet et deterret a cognitione acquirenda, ut moralis quaedam pro ipso necessitas enascatur ignorandi. Est igitur haec ignorantia, absolute quidem si loquimur, plane vincibilis, moraliter tamen et totam difficultatem si respicimus, per se invincibilis. Quare aliter quam formaliter peccaminose ea ducti agere tandem non possumus. Nolumus enim et negligimus aliquando culpabiliter eum, qui est necessarius ad vincendam ignorantiam laborem, atque adeo simpliciter cum vincibili ignorantia agimus et peccamus. Quare recte a S. Augustino asseritur, ipsam boni et debiti ignorantiam, qua culpabiliter laboramus, conicere nos in necessitatem peccandi. „Necesse est enim, ut peccet [formaliter], qui [culpabiliter] nesciendo, quid facere debeat, quod non debet, facit.“ — Quod vero attinet ad divisionem peccati in illud, quod est peccatum tantum, et in illud, quod est etiam poena peccati, quod posterius peccati genus etiam omnia illa peccata includit, quae cum imminuta quidem ex vincibili ignorantia vel concupiscentia, vera tamen libertate committuntur: de ea divisione satis dictum est in huius operis tom. I, n. 115 sqq.

55. Sed *4°* praesto est *alius S. Augustini locus,* cui Iansenius plurimum fidit. Exstat in epist. 47, alias 154, n. 4

(*Migne*, P. L. 33, 186), ubi haec: „Si quis autem bonum putaverit esse, quod malum est, et fecerit, hoc putando utique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiae, quando quisque bene fieri putat, quod male fit.“ Hic S. Augustinus inter ignorantiam vincibilem et invincibilem nullam differentiam agnoscens, sed utramque eodem loco collocans, docet invincibilem etiam ignorantiam peccati nos reos statuere. Hunc locum Iansenius triumphans pro sua sententia affert (apud Iansenium l. 2 De statu naturae lapsae in fine capitis 3[ii]).

Sed respondetur 1° hunc locum inepte afferri a Iansenio. Etenim ipse ib. c. 5 recte propugnat invincibilem ignorantiam facti et iuris divini positivi a peccato hominem excusare atque eximere secundum S. Augustinum. Iam vero hoc loco praecise de facti ignorantia agitur. Qui igitur hic locus recte laudatur pro invincibili ignorantia legis naturalis a peccato non excusante?

Etenim agitur quaestio de escis idolorum, quando nimirum dubitatur, immolatitia sit an non immolatitia quaedam caro. Ergo quidquid est, certo hoc loco Iansenius suam sententiam de iuris naturalis invincibili ignorantia efficere non potest.

2° respondetur, in ipsa hac epistola communem sententiam bis diserte afferri. Primum ipsam initio n. 4 S. Augustinus tradit. Ait enim: „Non peccat, qui cibum postea [i. e. post institutam debitam considerationem] nesciens manducaverit, quam prius tamquam idolothytum respuit.“ Deinde in fine n. 6 praemisso dubio de viatore christiano victo famis necessitate et vix non enecato, qui non invenit cibum nisi positum in idolo, hoc modo resolvit: „Aut certum est esse idolothytum, aut certum est non esse aut ignoratur: si ergo certum est esse, *melius* christiana virtute respuitur; *si autem non esse scitur vel ignoratur, sine ullo conscientiae scrupulo in usum necessitatis assumitur.*“ Quando igitur post debitum institutum examen ignoratur factum, num idolothytus cibus in idolo inventus sit, eadem in conditione homo circa cibum illum versatur, ac si sciat eum idolothytum non esse.

Hic autem sine dubio illum comedens non peccat. Ergo neque ille.

3^io^ quantum possumus verum sensum loci nobis oppositi evolvamus. Quis igitur verus eius sensus est? Habetur dubium facti vincibile, i. e. coniunctum cum obligatione illud examinandi et interim abstinendi. Nam si factum invincibiliter ignoraretur, certum et exploratum apud Augustinum esset, peccatum proprie dictum nullum adesse, ut ex modo dictis patet. Hoc autem ipsum adsit necne, hic controvertitur. Proponitur igitur casus eiusque resolutio his verbis: „Si quis dubitat de aliqua carne, utrum immolatitia sit, et non est immolatitia: si eam cognitionem tenuerit, quod immolatitia non sit, et ea vescatur, non utique peccat, quia nec est nec iam putatur immolatitia, etsi antea putabatur. Neque enim non licet corrigere cogitationes a falsitate in veritatem." Etenim in huiusmodi facti dubitatione, *si debitam adhibuimus examinationem, per se inveniemus veritatem;* quare *si ea peracta tenueris eam cognitionem, quod caro immolatitia non sit,* et ea vescamur, non solum verum tenemus, sed etiam edentes nihil peccamus.

Attende 1° non dicere S. Augustinum cogitationem, sed dicere, nos tenere cognitionem, quae vox per se certam notitiam significat; 2° corrigi hac via cogitationem a falsitate in veritatem. Ergo conscientiam veram et omnino rectam ita consequimur ac profecto eam sequentes nihil peccamus. Unde e contrario: Quando proposito eodem dubio, *„quis bonum putaverit esse, quod malum est"*, haec falsa opinatio *signum per se satis certum* est, debitam dubii examinationem adhibitam non fuisse; quare non solum errat, *sed etiamsi fecerit id, quod putat bonum esse, peccat, quoniam cum vincibili ignorantia id, quod malum est, operatur.* „Et ea sunt omnia peccata ignorantiae, quando quisque bene fieri putat, quod male fit"; i. e. si quis re non satis explorata vincibili ignorantia leviter sibi opinionem format, id, quod aggreditur, bonum esse, quamvis malum sit, ob vincibilem ignorantiam semper peccat. Hic est horum verborum genuinus sensus. Quam vero hic nihil causam Iansenii iuvet, per se patet.

56. Ceterum si haec analogice ad ipsam legem naturalem applicemus: Quoniam omnes per se tenemur ipsam implere, etiam nos omnes per se teneri ipsam nosse; quare si quis eam ignorat et contra ipsam peccat, *praesumitur* contra eam vincibili ignorantia peccasse. Nihilominus si reapse ignorantia invincibilis fuit, operando contra ipsam revera nihil formaliter peccatur. Et hoc sensu dicunt theologi et S. Augustinus ignorantiam iuris naturalis non excusare a culpa scil. *per se* (cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 19, a. 6, 2 dist. 22, p. 2, a. 1; Quodlib. 3, a. 10 etc.; *Esparzam,* Curs. theol. q. 24, a. 1 ad 7; *Terillum,* Fundam. theol. q. 16, n. 76 sqq).

57. Placet etiam paucis dicere *de eo loco, qui exstat apud Augustinum,* De gestis Pelagii c. 18, n. 42 (*Migne,* P. L. 44, 345), quemque *Iansenius,* De statu naturae lapsae initio c. 2 excitavit. Damnatus est a Concilio Diospolitano in Palaestina quidam illico error, ubi primum Patres eum audierunt, ne exspectata quidem responsione Pelagii. Error fuit hic: „Oblivionem et ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem." Hinc sibi struxit Iansenius hoc argumentum: Fatebantur Pelagiani, prout id testatur ipse *Augustinus* l. 6 Contra Iulianum c. 1 (*Migne,* P. L. 44, 821), operantes nos vincibili ignorantia peccati reos evadere. Ergo tantum invincibilem oblivionem et ignorantiam seu quae necessitatis est, non voluntatis, Pelagiani exemptam volebant a peccato. Hoc autem synodus illa ut manifesto erroneum damnavit. Dicendum igitur est, apud illos Patres etiam invincibilem ignorantiam non habuisse excusationem peccati. Et revera, ut *S. Hieronymus* l. 1 et 2 Contra Pelagianos testis est, sectatores Pelagii hanc sententiam, invincibilem ignorantiam subesse peccato, catholicis tamquam absurdam opponebant. Ergo catholici eo saltem tempore docebant, invincibilem ignorantiam a peccato non excusare. Catholica doctrina autem semper eadem est. Ergo necesse est, etiam modo dicamus, invincibilem ignorantiam nequaquam excusare a peccato. Ita Iansenius.

Respondetur 1°: Etiam invincibilem omnem ignorantiam hoc vero sensu subiacere peccato, quoniam omnibus hominibus

inest ex originali peccato, et non baptizatis quidem inest per se ut pars materialis peccati originalis. Ipsa igitur, concurrente culpae reatu ut forma, una cum fomite ad totum et integrum originale peccatum in non baptizatis constituendum coalescit. At quoniam Pelagiani negabant imprimis exsistentiam ipsius peccati originalis, necesse fuit, eos etiam ignorantiam et oblivionem ut eius sequelam et partem quasi materialem negare. Ergo hac sententia sensu obvio accepta et damnata damnatus est simul principalis error Pelagianorum de non exsistentia peccati originalis. Scilicet oblivio et ignorantia subiacent revera peccato originali, quod ipsum in nobis inest, non voluntate, sed necessitate. Hoc autem totum, etsi verissimum est, nihil repugnat nostrae thesi.

Respondetur vero 2°: Licet hic prior intellectus, Concilium Diospolitanum damnasse sententiam, invincibilem ignorantiam non esse necessariam sequelam peccati originalis adeoque nec subiacere ei peccato, si nimirum propositio, ut iacet et per se accipitur, de se multo probabilior sit, nihilominus videntur Patres illius synodi eam de ignorantia simpliciter vincibili intellexisse. Id aperte constat ex locis, quos ad confirmationem suae sententiae continenter addunt. Addunt enim illud Davidis: „Delicta iuventutis meae ne memineris et ignorantiae meae“ (Ps 24, 7). Memorant quoque sacrificia, quae in lege pro ignorantia sicut pro peccato offeruntur (Lv 4); atque ita oblivionem et ignorantiam subiacere peccato statuunt. Manifestum autem est, hos locos de vincibili ignorantia, et quae singulis propria inest, intelligendos esse. Quare doctrina ab illis Patribus tradita haec est, vincibilem ignorantiam subiacere peccato esseque radicem peccati secundum necessitatem, non secundum voluntatem, eo scil. modo, quo id supra n. 54 explicavimus. At tota haec doctrina nihil contra thesim nostram.

Dices: Ita si locus explicatur, Patres illi Diospolitani Pelagianis imposuerunt sententiam, quam hi minime tenebant, scil. ignorantiam vincibilem etiam excusare a peccato, quam

sententiam tamen ipsi Pelagiani teste S. Augustino loco in obiectione laudato respuerunt. — *Respondetur,* respuerunt eam postea SS. Augustini et Hieronymi argumentis convicti, *concedo assertum;* ab initio, *nego assertum;* quod quidem fecerunt etiam in aliis multis rebus, quas tandem concesserunt, postquam primum ipsas constanter negarunt.

58. Saepe etiam adversarii hic commemorant locum *S. Augustini,* qui exstat in l. 3 De libero arbitrio c. 18, n. 51 sq (*Migne,* P. L. 32, 1295), quasi contra praecedentem thesim difficultatem creet. Nam postquam S. Augustinus in praecedenti numero 50 dixit, ut adsit omnino peccatum, necessarium esse, ut caveri possit, hoc modo continuat: „Et tamen etiam per ignorantiam facta quaedam improbantur et corrigenda iudicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus; ait enim Apostolus: ‚Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci' (1 Tim 1, 13), ait et propheta: ‚Delicta iuventutis et ignorantiae meae ne memineris' (Ps 24, 7). Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere et non potest. Nam unde sunt illae voces" etc. Ob disertam igitur oppositionem ad praecedentia, in quibus agitur de iis, quae caveri possunt, et ob *parallelismum* cum sequentibus, ubi quaedam efferuntur facta, quae necessitate fiunt, videntur sibi satis recte concludere, illa per ignorantiam facta caveri omnino non posse, atque adeo cum ea ignorantia ipsa fieri, quae vere invincibilis sit. Et nihilominus secundum Augustinum improbantur et corriguntur, et Deo, ut ea indulgeat, supplicatur. Quare S. Augustinus videtur docere, ne invincibilem quidem ignorantiam, saltem non totaliter, a peccato formali agentem excusare. — *Sed respondetur,* necessitatem quandam ignorantiae, quae prorsus et totaliter evitari a nobis per se nequit, hic quidem a S. Augustino admitti et doceri, neque tamen absolutam et physicam necessitatem, sed moralem tantum, scil. eam, quam supra n. 54 descripsimus. Quare ignorantia illa prorsus invincibilis non est, sed in singulis eventibus vincibilis, licet propter difficultatem scientiae acquirendae cognitionisque

necessariae, sine opitulanti gratia Dei, totaliter et in omni prorsus casu caveri non possit. Agi autem tantum de huiusmodi morali necessitate, id evidens est 1° et maxime ex immediate sequentibus verbis. Nam magna difficultas operandi bene et enata inde necessitas operandi vel non operandi male, quae ex affectionibus mentis male domitis oritur, quaeque in loco immediate sequenti et parallelo commemoratur, sine dubio non infert absolutam agendi necessitatem, sed relinquit libertatem. Et eadem vis inest locis Scripturae ibi laudatis (cf. etiam l. 1 Operis imperfecti contra Iulianum c. 105). — Patet 2° idem ex iis, quae eiusdem rei explicationem continuans S. Augustinus mox n. 53 subicit, ubi fatetur, huius ignorantiae superandae plures opitulanti Deo vias patere.

Aliis S. Augustini locis explicandis supersedeo. Nam difficiliores expositi iam sunt; et insuper in allatis sufficienter ostensum est, nihil opus esse quam diligentem locorum inspectionem, ut ipsorum cum doctrina communi concentus detegatur. Praetera excursus nimis longus cavendus.

59. Concludamus loco ex *S. Augustini* epistola 194 (alias 105), n. 30 (*Migne,* 33, 884) desumpto. Ibi S. Doctor omne genus formalis peccati enumerat. Nullum vero ponit, quod cum ignorantia invincibili committatur. Hoc igitur genus peccati formalis non agnoscit. Locus est hic: „Sicut enim", inquit, „voluntati eius (i. e. Dei) tribuitur humana natura, nullo dubitante laudanda; sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante damnanda. Quae voluntas hominis aut haereditarium vitium transmisit in posteros, quos in se habuit, cum peccaret [peccatum originale], aut acquisivit etiam cetera vitia, cum ipse perdite viveret [peccata personalia]. Sed neque ab illo, quod originaliter trahitur, *neque ab his, quae unusquisque in vita propria vel non intelligendo vel nolendo intelligere mala congregat vel etiam instructus ex lege additamento praevaricationis exaggerat,* quisquam liberatur et iustificatur nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum." En praeter originale peccatum tria genera formalium peccatorum: unum,

quod committitur non intelligendo seu vincibiliter ignorando seu errando, alterum, quod nolendo intelligere committitur seu ignorantia affectata, tertium, quod scientes contra legem committimus. Nullum vero ponit, quod cum ignorantia invincibili committatur. Ergo neque ullum tale peccatum formale agnoscit.

60. Sunt etiam *quaedam dicta S. Thomae difficilia.* Huc pertinet imprimis illud, quod exstat in Quodlib. 8, a. 13: „Illud, quod agitur contra legem", inquit S. Doctor, „semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam." Videtur igitur asserere, saltem omne peccatum materiale contra legem naturalem formale simul esse. — *Respondeo* cum *Terillo,* De consc. q. 29: eum saltem sensum locum habere non posse, qui primum videtur. Nam istud effatum, prout iacet universaliter et ad litteram acceptum, non solum manifesto est falsum, sed etiam contra explicitam doctrinam S. Doctoris plurimis locis (cf. v. g. 1, 2, q. 6, a. 8; ib. q. 76, a. 2 3 4 etc.). Est etiam contra communissimam Doctorum. Haec enim docet, ignorantiam invincibilem semper a peccato nos excusare. — Quomodo igitur locum explicamus? Puto, eum hoc modo recte intelligi: *Illud, quod agitur contra legem, semper est malum per sese nec excusatur per sese per hoc, quod est secundum conscientiam;* quia scil. in quaestione iuris, praesertim naturalis, ad quod praesens casus de pluralitate praebendarum pertinet (cf. Quodlib. q. 9, a. 15), *supponitur per se semper, conscientiam ignorare vel errare vincibiliter,* levitate aut negligentia nostra, idque propterea, quoniam omnis homo tenetur per se ius, praesertim naturale, quantum ad ipsum pertinet, explorare atque cognoscere. Hoc tamen nihil impedit, quominus conscientia nihilominus per accidens, in casibus particularibus satis multis, invincibiliter vel ignoret vel erret; quo fit, ut in huiusmodi rerum eventu ignorantia et consequens inde peccatum a formali culpa prorsus liberum sit. Hanc explicationem ad mentem *S. Thomae* esse, patet ex iis, quae habet in 3 parte q. 80, a. 4 ad 5, ubi affirmans ignorantiam iuris non excusare a

peccato, addit, ipsam quoque ignorantiam esse peccatum, manifesto supponens, ipsam voluntariam ac liberam esse, adeoque fuisse in potestate agentis eam evitare; quod certissimum signum est vincibilis ignorantiae (cf. etiam 1, 2, q. 19, a. 6 et q. 3 De malo a. 8). Hic, De malo, quamvis in decursu articuli dicat, ignorantiam iuris ad negligentiam reputari scil. per sese, tamen antea fassus est, fieri nihilominus posse, ut ius invincibiliter ignoretur. Ait enim: „Si in eodem actu aliquid sit ignoratum et aliquid scitum, potest esse voluntarium quantum ad id, quod est scitum, semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum; sive ignoretur deformitas actus [ignorantia iuris] — puta, cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum — sive ignoretur circumstantia actus, sicut cum aliquis accedit ad mulierem, quam credit esse suam, voluntarie quidem accedit ad mulierem, sed non voluntarie ad non suam"; agit scil. cum ignorantia facti. Ignorantiam iuris, quae hic in casu affertur, esse invincibilem, patet. Nam secus actus consequens a ratione voluntarii et peccati subtrahi prorsus non posset. Quod etiam S. Thomas in fine articuli clare indicat, ubi ait: „Si autem ignorantia nullo praedictorum modorum sit voluntaria, *puta, cum est invincibilis,* et tamen est absque omni inordinatione voluntatis, *tunc totaliter facit actum sequentem involuntarium.*" [1] Ex his, quae dicta sunt, explicari facile possunt, quae apud S. Thomam difficilia in praesenti quaestione occurrunt.

---

[1] Quod *S. Thomas* l. 3 Contra gent. c. 160 in fine ait: „Ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam per suam culpam incurrit", interpretandum est, scil. quoties eius comittendi periculum in causa praevidit, secus non.

SECTIO SECUNDA.

DE CONSCIENTIA.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID SIT CONSCIENTIA.

61. Quamvis regulae operationum humanarum remotae plures sint, *una* tamen est *regula proxima, i. e. conscientia.* Inter regulas remotas per se remotissima a nobis est *lex aeterna* seu, ut *S. Augustinus* l. 22 Contra Faustum c. 27 ait, „ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens et perturbari vetans", quod *S. Thomas* explicat aiens: „Ipse conceptus aeternus divinae mentis habet rationem legis aeternae, secundum quod a Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso praecognitarum." *Wirceburgenses* vero De legibus c. 1, a. 2, n. 5 idem his verbis dicunt: „Lex aeterna est summa ratio gubernativa omnium actionum et motuum."

62. Haec primordialis et princeps omnium legum omnisque alius legis originalis fons per seipsam nobis hominibus in hac vita non est nota, sed innotescit tantum vel in aliis legibus vel etiam per alias leges (cf. *Suarez* l. 2 De legibus c. 4, n. 9). Per alias leges, inquam, ipsam nobis innotescere, quatenus nimirum aliae leges in lege aeterna et normam et exemplar habent et ex ipsa vim suam obligandi hauriunt. Cognoscimus igitur ipsam ascendendo ab effectu ad causam.

63. Sunt itaque aliae leges regulaeque agendi nobis magis propinquae: lex divina tam naturalis quam positiva; naturali ratione illa, haec divina revelatione nobis innotescit. His accedunt plurimae humanae leges, partim ecclesiasticae, partim civiles. *Omnibus his legibus uti principiis utimur ad formandam conscientiam,* quae est unica regula proxima omnium actionum humanarum.

64. *Et exstare quidem in nobis hominibus conscientiam* res est quotidianae experientiae et plane explorata; quod idem

tamen auctoritate diserta S. Scripturae multipliciter confirmatur (cf. v. g. Rom 2, 14 15; 14, 21; 2 Cor 1, 12; 1 Tim 1, 5; Sap 17, 11 etc.).

65. Conscientia autem, si unam originem vocis atque insitam ei vim spectamus, certo aliquid ad intellectum pertinens significat. Scire enim aliquid rationis et intellectus est. Nihilominus sunt, qui conscientiam vindicent voluntati, ut *Henricus Gandavensis,* Quodlib. 1, q. 18. Cui partim etiam consentit *Durandus* l. 2, dist. 39, q. 4, n. 11, quatenus vult conscientiam positam esse in quodam aggregato ex intellectu et voluntate. „Nam", inquit, „habitus naturalis intellectus practici [i. e. habitus practicus primorum principiorum] et inclinabilitas voluntatis correspondens dicitur synderesis, scientia autem particularium in operando [seu ut ipse etiam ait, conclusionum deductarum ex primis principiis] cum inclinatione voluntatis correspondenti dicitur conscientia." Id iure dici maxime probat ex particula „cum" seu *σύν*, quae in utrisque vocibus conscientiae et synderesis invenitur, in quantum nimirum praeter id, quod iis vocibus significatur in recto, aliquid aliud consignificatur, et hoc sit in synderesi scientia, in voce conscientiae voluntatis inclinatio[1].

At profecto hoc magni momenti argumentum non est, cum conscire potius alterutrum dicat, aut habere socium in sciendo (cf. *Cicero,* Catil. 1, 1) aut ipsam scientiam terminari non ad unum obiectum, sed ad alterum quoque coextendi. Et haec posterior est sine dubio conscientiae notio longe communior, ut ex dicendis patebit (cf. *S. Thom.*, De verit. q. 17, a. 1). — Nec maioris momenti est praecipua ratio Henrici, qui propterea vult conscientiam pertinere ad voluntatem, „quoniam videmus saepius, habentes maiorem operandorum notitiam minorem habere operandi conscientiam", quod esse non posset, si conscientia ad intellectum pertineret. Quo ipso argumento

[1] Eandem doctrinam tradit *Alexander Halensis,* Summa theol. q. 74, membr. 3; cf. q. 73, membr. 2.

nuper recentiores quidam[1] usi sunt, ut evincerent, S. Thomae conscientiae definitionem inadaequatam esse, quia nimirum conscientiam proprie dictam ad unum intellectum revocaverit. Sed commiscentur in hoc argumento duo valde diversa, ipsa conscientia et qui eam consequitur stimulus quidam vel pondus voluntatis, quo excitamur, sive spontanee sive libere, ad id faciendum, quod conscientia dictat; quae duo sane non idem sunt, atque multum etiam abest, ut pari semper passu progrediantur[2]. — Antiquam autem scholam Franciscanorum conscientiam ut talem partim etiam in voluntate constituisse, si Alexandrum Halensem excipias, falso videtur asseri (cf. v. g. *S. Bonavent.* l. 2 sent. dist. 39, a. 1, q. 1; *Scotum* ib. q. 2; *Richardum a Media Villa* ib. a. 2, q. 1[3]). — Alia argumenta pro eadem sententia etiam minoris valoris sunt. Sic saepe de conscientia bona et mala loquimur. Aiunt, malum et bonum ad voluntatem pertinere. Hoc utique verum est; sed haec praedicata pertinent suo modo etiam ad obiecta. Quare conscientia (consequens) bona nominatur, quando testatur de actu nostro bono seu bonum nos actum operatos esse, mala vero, quando testatur contrarium.

66. *Dico: Plurimi merito conscientiam proprie dictam intellectui et actui quidem eius, non habitui attribuunt.*

Plerique Theologi *S. Thomam,* De verit. q. 17; 1, q. 79, a. 13; 1, 2, q. 19, a. 5; Quodlib. 3, a. 26 et 27 sequuntur. Affirmant conscientiam esse actum intellectus. Alii sequuntur

---

[1] Cf. *Linsenmann,* Moraltheologie § 29, 2; *Koch,* Moraltheologie § 31, 2.

[2] Duo valde diversa sunt conscientia proprie dicta et, si ita loqui fas est, conscientiositas (Gewissenhaftigkeit), quarum prior dicit actum intellectus, altera vero constantem nisum et studium in voluntate sequendi dictamen intellectus.

[3] Unam synderesim in oppositione ad conscientiam reponit *S. Bonaventura, Petrus a Tarantasia* et restricto modo etiam *Richardus a Media Villa* in voluntate. Volunt synderesim esse pondus quoddam in voluntate, quo inclinetur ad bonum honestum (cf. *Bonav.* l. 2, dist. 39, a. 2, q. 2; *Petrus a Tarant.* ib. q. 4, a. 1; *Richard.* ib. a. 3, q. 1).

Scotum l. 2, dist. 39, q. 2, qui indicat, conscientiam magis habitum intellectus significare. Putat autem *Suarez,* De actibus humanis tr. 3, disp. 12, sect. 1, n. 2, omnem apparentem diversitatem loquendi in quadam aequivocatione positam esse (?).

Probatur 1°: Voluntas nostra per seipsam caeca facultas est. Ergo ut operationibus nostris deliberatis tendere recte possimus, regula indiget, ea quidem tali, quae et in nobis actualiter insit et nos in conveniens nobis ut entibus rationalibus obiectum proxime dirigat. Iam vero dirigere actus rationis est. Ergo conscientia — ipsa enim est regula proxima, qua in actibus nostris deliberatis dirigimur — actus rationis est.

Probatur 2° ex ep. ad Rom 14, 23. Sententiae, qua affirmatur, hominem dubitantem (*διακρινόμενον*)[1] de liceitate cuiusdam actionis et nihilominus eam operantem incurrere damnationis sententiam ut fundamentum additur haec ratio generalis: „Omne, quod non est ex fide, peccatum est"; quasi dicatur omne, quod non est ex certa et actuali persuasione, licitum esse, id, quoties deliberate fit, peccatum est. Ita enim vocem fidei hic oportet interpretari; primum quidem, quoniam fides (*πίστις*) generatim et per se firmam mentis quandam persuasionem significat; imprimis vero ob oppositionem ad vocem dubitandi, quae denotat animi haesitationem, liceatne aliquid operari annon liceat. Sublatam ergo dubitationem indicat. Omnis igitur, qui dubitans de liceitate operis operatur, peccat; solus is, qui ductus firmo et actuali iudicio licere sibi aliquid, id agit aut facit, per se non peccat. Ergo, quoniam conscientia illud est, quo in deliberatis nostris actionibus proxime ducamur, patet, conscientiam iudicium seu actum rationis esse.

Probatur 3° ex variis functionibus, quae conscientiae attribuuntur. Dicitur, conscientiam iudicare et testificari; sunt autem iudicium et testificatio proprie actus intellectus. Porro dicimus, conscientiam nos ligare vel obligare; hoc autem non

---

[1] Cf. *Cornely* ad loc. cit.

facit habitus, qui ut talis quiescit, sed actus intellectus et actuale dictamen[1]. Item conscientia accusat et mordet; qui item ambo actus intellectus sunt. Quando vero monemur conscientiam deponere, non monemur deponere habitum, sed actum. Ergo conscientia actus intellectus, non habitus est.

Confirmatur. Conscientia neque est habitus naturalis neque acquisitus neque infusus. Ergo non est habitus. Non est habitus naturalis, quia conscientia potest deponi; quod in habitu naturali fieri prorsus non potest. Neque est acquisitus, quia huiusmodi habitum paulatim tantum pluribus actibus acquirimus; conscientia autem per se adest. Non infusus, quia conscientia invenitur in omni prorsus homine usum rationis habente.

67. *Oppones,* conscientiam etiam in dormientibus manere. Ergo non est actus. *Transeat antecedens. Distinguo consequens:* manet conscientia in nobis dormientibus simili modo, prout manet intentio vel electio facta durante somno, *concedo consequens;* per modum habitus, *nego consequens.* Ita recte *Ioannes a S. Thoma* 1, 2, disp. 12, a. 1, n. 19. Cf. huius operis tom. I, n. 53 sqq, ubi hoc explicatum est. Cf. etiam *S. Thom.* q. 17 De verit. a. 1 ad 9.

68. ***Coroll. 1.*** Ergo *conscientia proprie dicta* per se et primo *iudicium practicum est,* non speculativum, atque dicit nobis, non, quid rei sit seu quid ipsa res sit, sed quomodo ipsi circa obiectum, circa quod quaestio versatur, agere debeamus; scilicet dicit nobis, quomodo actio fieri debeat, ut cum omnibus circumstantiis in ordine exsecutionis hic et nunc pro nobis honeste et laudabiliter fiat, seu est *iudicium directivum actionis hic et nunc.* Quod idem valet mutatis mutandis de omissione. *Ergo non est iudicium* tantum *practicum remotum, sed proximum, dirigens actionem nostram hic et nunc ponendam,* atque

[1] Dico, actuale dictamen intellectus nostri id facere, non nostram id facere voluntatem. Nam ligamur conscientia et obligamur, quatenus cognoscimus imperium vel praeceptum alterius cum auctoritate iubentis, non quia nos ipsos obligare volumus.

ut tale dicitur etiam *iudicium practice-practicum.* Quid ita? Quoniam etiam alia multa in ordine morali iudicia practica sunt, quae tamen substantiam et speciem operationis tantum vel ut sic respiciunt; quoniam vero eam ut bonam aut malam, honestam aut turpem, praeceptam aut prohibitam tantum considerant in genere, non in particulari nec ut hic et nunc ponendam vel omittendam, a perfecta praxi in modo proponendi deficiunt. Et hac ratione haec magis speculativa sunt quam immediate practica iudicia; quare etiam *modo iudicia speculativa, modo simpliciter practica* in oppositione ad practice-practica audiunt. Huiusmodi sunt praecepta ethices, v. g. non esse furandum, unicuique, quod suum est, esse tribuendum, honorandos esse parentes etc. — Alias quoque propositiones facti huc referri oportet, ex quibus ut conditionibus honestas aut inhonestas actionum pendet. Sic iustitia saepe actionis pendet ex hac re, sitne res, quae actioni subest, mea an aliena, sitne persona, circa quam actio versatur, parens an alius etc. Quia porro ex huiusmodi iudicio facti persuasio de honestate vel inhonestate actionis particularis et in individuo resultat, *hoc facti iudicium saepe nomen conscientiae retinet.* Sic dicimus, hoc ago, quoniam conscientia mihi testatur, hanc rem esse meam; ubi vox conscientiae laxiore sensu usurpatur (cf. *Suarez,* De censuris disp. 12, sect. 1, n. 6; *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, a. 1, n. 9 sqq; *Ballerini-Palmieri,* Opus morale tr. 2, c. 2, n. 55 sqq; *Bouquillon,* Fundam. theol. p. 500, n. 276).

69. ***Coroll. 2.*** Iudicium, quod ante actionem ostendit, quomodo fieri debeat humana actio, ut recta et honesta et legi omnino conformis sit, ipsum posita actione mensuram exhibet, secundum quam positam actionem dimetimur, facitque mentem perspicere, honestati et legi actio nostra responderit an ab iis deflexerit. Hinc fit, ut conscientia aut iam approbet actum aut contra accuset eum, redarguat, condemnet etc. Pro diversitate autem huius cognitionis excitantur in voluntate varii per se motus et affectus aut gaudii et pacis aut timoris et anxietatis (angustiae) et perturbationis. Quatenus porro con-

scientia malefacti hos affectus evocat et excitat, dicitur mordere, inquietare, perturbare, torquere etc.; contra vero conscientia benefacti quietat, exhilarat, gaudium et pacem parit etc. Dicitur etiam haec conscientia ratione obiecti aut conscientia bona aut conscientia mala, prout supra dictum est.

70. Haec porro *conscientia* ita agens etiam vocatur *consequens* in oppositione ad illam conscientiam, quae praecessit operationem atque *antecedens* dicitur. Neque tamen haec conscientia re aliud prorsus a priore conscientia est. Habet tamen fere et per se comites illos affectus aut iucundos aut tristes affligentesque animam, qui actiones formaliter aut bonas aut malas consequuntur. Ergo notio conscientiae consequentis non est aliquid aliunde arcessitum et a conscientia antecedenti plane alienum eique voluntarie affictum, verum ipsa illa, sed quatenus praeter actionem positam et iudicatam connotat connaturales affectus suos. Contra haec vide, quae habet *Koch,* Moraltheologie § 31, 2 b.

71. *Quaeres 1°*: Haec consequens conscientia sitne notitia practica an speculativa? *Respondetur,* formaliter ipsam speculativam esse, quia directe et per se solum dicit, quid et qualis res facta sit, non quomodo fieri debeat, aut quomodo debeamus circa obiectum operari; virtute tamen et specie practica est, quia substantialiter eadem est notitia, atque illa fuit, quae nos antecedenter ad opus direxit. Habet se igitur aliquo modo similiter atque scientia Dei de *mere* possibilibus, quae a *S. Thoma* 1, q. 14, a. 16 etiam speculativa vocatur, quamvis vere practica sit, et Deus, si vellet, posset secundum eam operari (cf. *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, a. 1, n. 11 et 12).

72. *Quaeres 2°*: Verane sit sententia, quam tradit *Durandus* l. 2 sent. q. 39, a. 5, n. 6, fieri non posse, ut contra conscientiam umquam agamus, si revera in actu intellectus posita sit. Argumentatur hoc modo: Non potest tendere voluntas nisi in bonum actu propositum per intellectum; quoties autem actu iudicamus aliquam actionem esse moraliter bonam, non possumus simul actu iudicare, oppositam etiam esse moraliter bonam. Proponat igitur conscientia iudicio actuali aliquam

actionem ut bonam et prosequendam. Iam non potest oppositum iudicium seu potius iudicium de bonitate oppositi simul esse in intellectu. Quare fieri non potest, ut contra conscientiam umquam agamus, si tamen conscientia in actu intellectus vere posita est. — *Respondetur:* Sententia Durandi negatur plures ob causas. Nam 1° falsum est, quod asserit, quoties actu iudicamus aliquam actionem esse bonam, i. e. moraliter bonam, non posse nos simul iudicare, oppositam etiam esse bonam. Nam saepe iudicare utrumque possum; etenim frequenter utrumque bonum est, ut virginitas et matrimonium[1]. 2° possumus sine dubio simul iudicare, oppositam actionem esse iucundam vel commodam, adeoque possumus hanc ut talem prae alia eligere. Ceterum 3ⁱᵒ: sint omnia vera, quae profert Durandus, nihilominus possumus aequivalenter contra conscientiam agere. Nam actio moraliter bona semper sub indifferentia proponitur. Ergo possumus, utut conscientia eam, ut eligamus, suggerit, eam nihilominus negligere et non eligere. *Ut igitur maxime proprie agere valeamus contra conscientiam,* positive id amplectendo intentionaliter, quod conscientia vetat nos amplecti, *debent adesse duo iudicia* formaliter inter se opposita, unum efferens honestatem unius, alterum efferens meram iucunditatem vel physicum commodum oppositi obiecti; *ut autem agamus aequivalenter contra conscientiam,* omittendo debitam actionem, *sufficit, ut bonum honestum et debitum nobis proponatur iudicio indifferenti,* i. e. sufficit, ut nobis proponatur ut bonum et debitum, neque tamen ut bonum sine ullo defectu (cf. *Suarez,* De censuris disp. 12, sect. 1, n. 7).

73. *Quaeres 3ⁱᵒ*: Cum secundum dicta conscientia sit dictamen rationis practico-practicum, sitne necessarium, ipsam semper efficacem esse in actu secundo, prout nonnulli putant. —

---

[1] Unum verum est, quando iudicio virginitatem esse bonam, non possum simul iudicare, eam esse malam; quod idem de matrimonio aliisque dicendum.

Respondetur, nisi velimus subvertere omnem moralem libertatem, negative est respondendum. Et profecto evidens est et a priore et a posteriore, nos posse ipsius dictamen aut sequi aut declinare, prout volumus; proponit enim nobis bonum sub indifferentia (cf. *Arriaga,* De act. hum. disp. 22, sect. 2, n. 9; *Ioannem a S. Thoma* 1, 2, disp. 12, n. 13 et 14).

Priusquam hunc primum de conscientia articulum absolvamus, *definitionem* eius *S. Thomae et Suarezii* addimus. Ex praecedentibus patet veras ambas et rectas esse. *Est* igitur *conscientia secundum S. Thomam „applicatio scientiae ad aliquem particularem actum".* Per se patet vocem scientiae latius esse intelligendam, ut etiam principia et axiomata per se nota simul comprehendit (cf. *S. Thomam* 2 sent. dist. 39, q. 2, a. 4; 1, q. 79, a. 13; q. 17 De verit. a. 1). — *Suarez* vero (l. c. disp. 12, sect. 1, n. 5) ait, „ipsam esse actuale et practicum iudicium intellectus discernentis de rebus [proxime] agendis inter bonum et malum, turpe et honestum, praeceptum vel prohibitum". Desiderabis fortasse, ut addatur huic definitioni regula, secundum quam hic discernatur. Supple igitur hoc modo: conscientiam esse actuale et practicum iudicium intellectus discernentis secundum veritates morales iam notas de rebus proxime agendis etc. Vides, utramque definitionem idem omnino dicere, eam S. Thomae mira et comprehensiva brevitate, Suarezii maiore claritate excellere.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NECESSITATE CONSCIENTIAE IN GENERE.

Dico 1°: Ut honeste agere possimus, requiritur dictamen conscientiae de actionis ponendae bonitate.

74. Attende nos dicere, ut omnino possimus recte agere, requiri dictamen conscientiae de bonitate actionis, non quasi tale dictamen unum ad honestam actionem sufficiat; datur enim etiam conscientia vincibiliter erronea, quae a culpa num-

quam excusat. At actioni, cui conscientia de eius bonitate non praelucet, bona esse non potest.

Probatur 1°. Est principium per se evidens et quod omni cogitanti sponte occurrit, in omnibus nostris liberis actionibus rectum simpliciter ordinem esse servandum; rationem vero, quae propter suam supra materiam elevationem et ab ea essentialem independentiam una capax est ad eum ordinem cognoscendum et proponendum, in omnibus nostris actionibus deliberatis ac liberis esse sequendam; quicumque secus facit, peccare eum et contra auctorem ordinis, Deum, offendere[1]. Hoc (aliquo modo), inquam, cognoscit omnis, qui ratione utitur. Cognoscit igitur etiam omnis, nos in omnibus deliberatis actionibus nostris conscientia uti debere ipsamque nos debere sequi in omnibus actionibus, si recte et sine offensione Dei agere volumus. Quid enim conscientia aliud est quam iudicium rationis, quo iudicamus in particulari et proxime in ordine ad operationem, quid rectus rerum ordo a nobis in agendo postulet? Cum igitur in omnibus actionibus nostris deliberatis hoc iudicium atque dictamen oporteat nos sequi, in omnibus deliberatis actionibus conscientiam nos sequi oportet, ut recte agamus. Ergo oportet etiam nos tale iudicium de bonitate actionis, priusquam agamus, praemittere, ut recte possit fieri operatio nostra.

Et profecto oportet nos *2°* bene et ut convenit entibus rationalibus semper operari. Qualis autem moraliter nostra operatio sit, id dependet ex obiecto actionis, non quidem quale absolute in se est, sed quale in cognitione nostra, etiam cum invincibili ignorantia vel invincibili cum errore adeoque etiam inculpabiliter, repraesentatur. Bonum enim, quod et quantum ipsum cognoscimus, potest per se bene afficere actum nostrum, malum ut tale tantum male. Ergo ante omnem operationem deliberatam nostram, ut bene agamus, desideratur iudicium saltem moraliter invincibile, quale moraliter illud obiectum sit,

[1] Cf. huius operis tom. II, n. 65 sqq.

quod prosequendum est, ut possimus bene et honeste operari. Tale autem iudicium dicitur et est conscientia. Ergo ad honestatem omnis actionis nostrae humanae requiritur dictamen conscientiae de bonitate actionis.

Quare 3^io^ merito idem docet S. Paulus Rom 14, 23: „Omne", inquit, „quod non est ex fide, peccatum est." Ergo verum etiam hoc est, omne, quod peccatum non est, ex fide esse. Ergo quidquid formaliter honestum est, ex fide, i. e. ex conscientia saltem moraliter certa est. Ergo sine formata conscientia de bonitate actionis nihil honesti in actibus nostris moralibus inveniri potest (cf. *Suarez* l. c. sect. 3, n. 1; *Vasquez* 1, 2, disp. 65, c. 1, n. 1; *Rassler,* Norma recti disp. 2, n. 61 sqq; *Wirceburg.,* De actibus humanis n. 179; *Bouquillon* l. c. De conscientia n. 249 265).

Coroll. Ex his iam habes, quam inepte multi protestantes asserant, apud catholicos ordinem moralem non fundari in propria persuasione vel convictione, sed eum tantummodo ab extrinseco iis obtrudi.

Dico 2°: Ad malam et inhonestam actionem non requiritur ullum dictamen conscientiae.

75. Potest alicui videri, quoniam bene et honeste agere non possumus, nisi obsecundantes determinato dictamini conscientiae de honestate actionis, malam et inhonestam eam solam censeri posse operationem, quae eiusmodi dictamini omnino repugnat. Neque tamen ita est[1]. Hoc iam probo.

Probatur 1°. Quotiescumque aliquid deliberate et libere operamur, non prius formata conscientia, benene et honeste id prosequamur et agamus, necesse est nos agere saltem temere, dubitantes et graviter formidantes, ne forte id prosequamur et

---

[1] Id docent omnes theologi, ut testes sunt *Vasquez* 1, 2, disp. 65, c 1, n. 1 et *Suarez* l. c. disp. 12, sect. 3, n. 5 et 6. Cf. etiam *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 10, n. 2; *id.,* De matrim. l. 2, disp. 41, n. 6; *Laymann,* Theol. mor. l. 1, tr. 1, c. 5, § 1; *Cardenam,* Crisis theol. tr. 1, c. 15, n. 238 sqq; *Terill.,* De consc. q. 18, n. 7; *Rassler* l. c. disp. 2, q. 3, n. 51.

agamus, quod inhonestum et turpe est. Hoc ipsum autem iam est inhonestam et turpem actionem ponere. Ergo sine dictamine conscientiae male et inhoneste agere possumus, quinimmo saepe agimus.

Probatur 2°. Potest homo, reiecta omni inquisitione, licitane sit annon licita actio ponenda, statim libere prorumpere in id, quod sensibus aut amori proprio blanditur[1]. Ita autem neglecta inquisitione sufficienti de bonitate secuturae actionis libere id amplecti, quod solis sensibus et amori proprio placet, sine dubio mala actio est. Ergo....

Probatur 3io. Quicumque sine certo conscientiae dictamine, quo actio secutura ut bona et licita cognoscitur, libere eam agit, is se habet, quando ita deliberate et libere agit, exercite et aequivalenter, quasi dicat: Hoc operor nihil curans, sitne bonum an malum, permissum an prohibitum a Deo. Atqui eiusmodi operandi ratio est certo peccaminosa. Ergo....

Probatur 4°. Item supponitur in l. c. *S. Pauli*, Rom 14, 23: „Omne, quod non est ex fide, peccatum est." Supponitur manifesto, huiusmodi actiones, quae ex fide, i. e. ex conscientia formata, non sunt, exerceri a nobis posse easque esse peccata. Ergo sine conscientiae dictamine possumus peccare et revera peccamus. — Quod idem omnino diserte continetur inciso praecedenti, si graecum textum inspexeris, ubi haec: *Ὁ δὲ διακρινόμενος ἐὰν φάγῃ κατακέκριται, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως.* Id latinus interpres minus accurate reddidit: „Qui autem discernit (quasi scriptum sit *διακρίνων*), si manducaverit, damnatus est." Debuit reddi: „Qui autem dubitat, si manducaverit [ergo qui sine determinato et firmo dictamine conscientiae manducaverit], damnatus est, quia non ex fide." Ita enim medium *διακρίνεσθαι* vertendum est[2]. Ergo quicumque sine certa

---

[1] Cf. *Suarez* l. c. disp. 12, sect. 3, n. 6.

[2] Cf. Rom 4, 20; Mt 21, 21; Mc 11, 23; Act 10, 20; Iac 1, 6 et *Cornely* ad Rom 13, 24.

conscientia de operatione sua operatur, is inhoneste et male operatur.

Coroll. 1. Ergo quicumque operatur, aut negligens aut spernens certam formare conscientiam, seu qui cum dubia tantum conscientia agit, quae tamen vera est, proprie dicta conscientia non est[1], sive dubium est strictum sive latum, is sine dubio peccat.

76. *Quid autem dubium, quid latum et strictum dubium sit, hic paucis oportet explanare. Dubium strictum* est et dicitur, quando intellectus inter utramque partem contradictionis anceps (indecisus) haeret nulli parti assentiens idque propterea, quia in propositis motivis est aliquid, quod ab assensu retardat[2] (cf. *Lugo,* De fide disp. 17, n. 87 sqq).

Sunt igitur ad dubium proprie et stricte dictum tria necessaria: 1° ut extrema quaestionis vel propositionis mente apprehendamus; 2° ut iis non assentiamur; 3^io^ ut ideo ab assensu abstineamus, quia in motivis propositis aliquid est, quod ab assensu praestando nos removet, sive obscuritas est sive incomprehensibilitas obiecti sive aliud quidquam huiusmodi. Quare *dubium,* quod dicunt *positivum*, quodque tunc solum exsistere potest, quando vera motiva ad assentiendum adsunt, *proprium et verum dubium* est; *dubium* vero, quod *negativum* appellant, quo ideo abstinemus ab assensu, quoniam omne ad assentiendum motivum deest, aut leve tantum adest, non adeo dubium est, quam *nescientia*[3].

---

[1] Cf. *Cardenam*, Crisis theol. P. 1, disp. 6, c. 1; *Terill.*, Reg. mor. q. 50; *Reuter*, Theol. mor. P. 1, n. 61, § 3. Non est proprie dictamen conscientiae, quia non est dictamen determinate dirigens atque caret omni certitudine. De qua re infra plura.

[2] Non dicimur dubitare, quando ideo ab assensu nos cohibemus, quoniam ad alia volumus attendere, vel quoniam volumus defatigationem capitis eliciendo assensu evitare, vel ob alia huiusmodi, quae ipsis motivis assentiendi plane extrinseca sunt (cf. *Lugo* l. c.).

[3] Ita communiter voces dubii stricti, dubii positivi et negativi veteres accipiunt. Cf. auctores mox in textu subiectos. Recentiores quidam *dubium negativum* volunt esse suspensionem assensus *ob absentiam omnis prorsus*

Late dicimur dubitare, quando uni quidem parti contradictionis assentimur, attamen cum formidine, ne altera sit fortasse vera[1]. Cf. de iis, quae hic dicta sunt, *Lugo,* De fide disp. 17, n. 87 sqq; *Suarez,* De fide disp. 19, sect. 4, n. 13, hic disp. 12, sect. 1, n. 5; *Vasquez* 1, 2, disp. 62, n. 26; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 9, n. 2; *Carden.,* Crisis P. 1, disp. 6, n. 7; *Reuter,* Theol. mor. P. 1, n. 67; *Rassler,* Norma recti l. c. disp. 2, n. 199 sqq; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 69 sqq. Cf. etiam *S. Thom.* q. 14 De verit. a. 1; Quodlib. 8, a. 13.

77. *Coroll. 2.* *Ergo is etiam peccat, qui formans meram de actione sua opinionem, eam, ut talis est, sequitur. Nam opinio est actus intellectus incertus. Fertur enim in unam quidem partem contradictionis (assentiendo), sed cum formidine oppositae.*

---

rationis ab utraque parte contradictionis; quae suspensio potius nescientia seu ignorantia est. *Dubium vero positivum* dicunt tunc adesse, quando ideo assensus suspenditur, *quia rationes quidem adsunt, ad assensum non vero sufficiunt* (cf. *Schildere,* De princip. consc. form. tr. 3, c. 1, n. 2). — *S. Alphonsus* definit (De consc. n. 20) dubium negativum adesse, quando ex neutra parte occurrunt rationes graves (probabiles), sed leves tantum; positivum, quando pro utraque parte vel saltem pro una adest grave motivum, sufficiens ad formandam conscientiam probabilem ... „ideo", inquit, „dubium positivum fere semper coincidit cum opinione probabili". Cf. tamen notam *Ballerini-Palmieri,* De consc. c. 2, n. 52. Haec notanda ad auctores intelligendos.

[1] Accuratiorem explicationem huius formidinis inter alios conantur dare *Lugo,* De fide disp. 6, sect. 1, n. 24 sq; *Cardenas* l. c. disp. 5, n. 32 sqq; *Vasquez* 1, 2, disp. 62, n. 26; *Rassler* l. c. disp. 2, n. 186 sqq. — *Lugo* opinatur, „per illam formidinem [intellectualem] affirmari solum potentiam quandam logicam ad oppositum; scil. motiva ad illum assensum probabilem non esse tanti ponderis, ut non possit sub aliis motivis aequalibus latere aliquando periculum deceptionis, atque adeo motiva non dare securitatem contra deceptionem". Hoc tamen videtur longius arcessitum esse nec satis cum quaestione, quae agitur, cohaerere. Quid enim volunt sibi *alia* motiva aequalia, sub quibus latere possit periculum deceptionis? An fortasse periculum deceptionis sub his motivis non adest? *Cardenas* igitur *multo verius* videtur dicere, hac formidine oppositi exprimi *„absentiam omnis principii certi ab intellectu, quod vetet esse contingens, ut contradictoria pars sit vera".* Idem docet *Terillus,* Reg. mor. q. 34, n. 9 sqq. *Vasquez* opinatur, formidinem in hac re constitutam esse, „ut veritatem oppositae sententiae habeamus pro non exclusa, quamvis rationes illius id non ostendant"; sed hoc divertit

Ita definit opinionem *S. Thomas* 1, q. 79, a 9 ad 4 et 2, 2, q. 1, a. 4 et alii communissime. De hac tamen quaestione infra pluribus erit agendum.

78. ***Coroll. 3.*** Hinc a fortiore constat, quid de iis dicendum, qui omne discrimen inter bonum et malum, honestum et inhonestum negantes et evertentes, tantummodo bonum sensuum ac temporale commodum et proprium in suis actionibus quaerunt et curant. Hi ad summum humanas quasdam leges, quae omni tamen solido fundamento in eorum sententia destitutae sunt, agnoscunt. Quid porro de illis censendum, qui regulam boni et mali flocci facientes, omnia moribus suae nationis suaeque aetatis dimetienda esse arbitrantur non agnoscentes maxime corruptos et perditos mores apud populos fere invaluisse et invalescere, atque secundum hanc perversissimam regulam vitae suae rationem componunt. Huc pertinent et antiqui et moderni plurimi, ut v. g. Aristippus, qui dicebat, „nihil natura iustum aut turpe esse, sed lege et consuetudine" (Dionys. Laert. 2, 93). Tempore quoque Platonis idem plurimi dogma sophistae profitebantur. Postea Academici et sceptici in idem barathrum delapsi sunt. Nec defuerunt ex pluribus saeculis sic dicti philosophi, qui eandem insaniam tradiderunt, nec modo eiusmodi plurimi desunt. Cf. de his *Cathrein,* Moralphilos. I[4] 138 sqq; *Schneider,* Allgemeinheit und Einheit des sittlichen Bewußtseins etc. 1; in specie cf. *Nietzsche,* Jenseits von Gut und Böse (1891) 257; Genealogie der Moral 29.

---

nimis ad extrinseca et aliena. De valore enim rationum pro opposita sententia videmur ne directe quidem semper cogitare, multo minus eum aestimare. Cum *Lugo* substantialiter consentit *Rassler*, nisi quod insuper distinguit formidinem strictam et formidinem late dictam, formidinem actualem et formidinem radicalem. Strictam intelligit adesse, quando positive iudicamus, adesse periculum non nimis remotum falsitatis; latam, quando erroris periculum aliquo modo adesse etiam iudicamus, praescindimus vero ab eius actuali propinquitate. Adest secundum ipsum [ita etiam *Terillus* l. c. n. 12] formido radicalis, quando motiva ad eiusmodi iudicium formandum adsunt, neque tamen actu tale iudicium formamus; actualis vero, quando reapse tale formatur iudicium.

79. *Dices 1°,* nihil necesse esse, peccet omnis, qui non formata seu cum dubia conscientia aliquid deliberate agit. Nam quicumque invincibiliter ignorat legem vetantem, ne aliquid cum dubia conscientia agamus, is cum ea agens non peccat. Atqui nihil videtur repugnare, ut homo saltem eruditus notitia talis legis invincibiliter careat. Ergo.... Ita *Sanchez*, Decal. l. 1, c. 16, n. 18.

Respondetur: Nego assertum. Transeat maior. Distinguo minorem: Nihil repugnat, ut homo rudis careat notitia eius legis explicita et signata, ne quidquam cum dubio de eius licentia agamus, i. e. nihil repugnat, ut haec lex ipsi sit ignota sub hac abstracta et universali forma, *concedo minorem;* non repugnat, ne animadvertat in concreto et in eventu sibi non licere prorumpere in actionem, quamdiu de eius actionis honestate et liceitate nihil sibi constat, *nego minorem.* Etenim quoties de actione aliqua eiusque honestate dubitamus, videmus immediate, modo ita agere esse temere agere et idem atque velle contra ordinem eiusque auctorem agere (cf. huius operis tom. II, n. 94 sqq). Hoc autem prouti manifestum peccatum est, ita involvit notitiam, non licere cum tali dubio de honestate operationis agere[1].

80. *Obicitur 2°:* Quoties aliquis peccat, habet facultatem operandi honeste. Secus enim non peccat. Ergo habet semper ex parte actus primi proximi dictamen ultimum verum. Si aliter esset, actum bonum elicere non posset. Id constat ex propositione praecedenti. Ergo quicumque peccat, habet conscientiam formatam. — *Respondetur: Distinguo antecedens:* Omnis actu peccans habet facultatem operandi bene, aut proxime aut remote, *concedo antecedens;* semper proxime, *nego ante-*

---

[1] Iure etiam dubitabis, verumne sit illud, quod *Sanchez* numero sequenti n. 19 addit: gravi culpa vacare eum, qui imperat alii, ut agat id, quod ipse scit sub mortali illi vetitum esse, quoties ipse invincibiliter nescit, tale etiam sibi ad alterum imperium graviter esse interdictum. Potestne omnino fieri, ut talis ignorantia suppositis supponendis apud aliquem invincibiliter locum habeat?

cedens. Nego igitur consequens primum. Ad alterum consequens dico: habet formatam conscientiam aut potest ipsam habere, *concedo;* habet semper actu, *nego consequens.*

Dico 3ᵘᵒ: Contra quamvis conscientiam aut iubentem aliquid aut vetantem, numquam licet agere. — Ita *S. Thomas* 1, 2, q. 19, a. 5; l. 2 sent. dist. 39, a. 3; q. 17 De verit. a. 4; Quodlib. 3, a. 27 etc.

81. Sumitur hic vox conscientiae late, non tantum pro vera et certa et pro invincibiliter erronea, sed etiam pro ea, quae vincibiliter erronea est. — Loquimur de sola conscientia iubente vel vetante. Nam contra conscientiam agere, quae tantum consulit aliquid, evidens est, licere, saltem per se, agere.

Probatur 1°. Aut conscientia iubens vel vetans est vera et certa aut saltem invincibiliter habetur pro tali, scil. quoties invincibiliter erronea est, aut est incerta, quoties vincibiliter est erronea. Si primum, innotescit nobis per eam certo voluntas vel lex Dei. Nam etiam vera lex humana fulcitur lege et voluntate Dei. Ergo stricte tenemur eam sequi. — Si alterum, non licet contra ipsam agere, quoniam hoc est ex parte agentis id operari, quod sibi agens firmiter persuadet, esse contra legem Dei [aut immediatam aut saltem mediatam seu contra legem humanam]. Hoc autem est manifesto deliberate male agere seu peccare. — Si tertium, seu si conscientia iubens vel vetans est incerta, quoniam vincibiliter erronea, agere contra ipsam, saltem est agere contra id, quod est fortasse lex Dei, aut immediata aut mediata. Quicumque autem non diligentius explorata lege Dei cum periculo et formidine transgrediendae legis Dei agit, is exercite et aequivalenter dicit, se nihil vel parum curare contra legem Dei offendere. Id autem verus quidam contemptus divinae legis est. Ergo est formale peccatum. Ergo agere contra conscientiam iubentem vel vetantem cuiuscumque ceteroquin conditionis est, est formale peccatum. — Haec autem diversa peccata non eiusdem omnia gravitatis esse, per se patet.

Probatur 2°. „Omne, quod non est ex fide, peccatum est“ (Rom 14, 23). Iam vero is, qui contra certam conscientiam vel contra conscientiam iubentem vel vetantem invincibiliter erroneam agit, certo non agit ex fide, sed contra fidem seu contra firmam mentis persuasionem de rectitudine suae actionis. Neque is, qui cum conscientia iubente vel vetante vincibiliter erronea agit, ex fide operari potest. Nam ita agens fide seu firma persuasione de rectitudine suae actionis caret; habet enim conscientiam vincibiliter erroneam. Ergo ex fide operari nequit. Ergo secundum S. Paulum in omni eventu talis homo peccat, sive verum est, quod modo tenet, sive falsum. Ergo omnis peccat, qui contra conscientiam aut iubentem aut vetantem operatur.

Probatur 3io. Voluntas discordans a dictamine iubente aut vetante conscientiae, sive ipsum errat, sive non errat, vult illud, quod conscientia actu iudicat esse malum. Atque velle malum et voluntate amplecti malum, quod pro tale reputatur, est formaliter malum seu peccatum. Ergo....

Confirmatur ex 1 Cor 8, 7: „Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum, *cum sit infirma,* polluitur“ (cf. ib. 10, 25.)

Hic Innocentius III (Decret. l. 2, tit. 13, c. 13) merito haec pronuntiat: „Omne, quod non est ex fide, peccatum est, et quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam.“ S. autem *Thomas* 1, 2, q. 19, a. 5: „Omnis voluntas discordans a ratione sive recta sive errante est mala (cf. q. 19 De verit. a. 4)[1].

[1] Potuit Innocentius III simpliciter loqui de actionibus contra conscientiam, *S. Thomas* de actibus discordantibus a ratione easque omnes actiones peccata declarare, omissa clausula *de conscientia seu de ratione iubente vel vetante,* quia sola illa opera sunt stricte loquendo contra conscientiam et rationem, quae aut quorum contradictoria conscientia *iubet aut vetat.* Nam actionem, quae tantum declinat a dictamine conscientiae consulentis, stricte esse contra conscientiam dici non potest, quia conscientia aliquid solum consulens rem simpliciter in arbitrio hominis collocat.

82. ***Coroll. 1.*** Ergo quando *Doctor Seraphicus* l. 2 sent. dist. 39, a. 1, q. 3 ad 1 ait: „*Conscientia* est *sicut praeco Dei et nuntius;* et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat *quasi ex Deo,* sicut praeco cum divulgat edictum regis; et hinc est, ut conscientia habeat quasi virtutem ligandi“: id negative semper verum est. Nam numquam licet contra conscientiam agere. Positive autem valet omnino simpliciter, quoties agitur de conscientia omnino proprie dicta, i. e. aut certa et vera aut invincibiliter erronea. Et quoties quidem conscientia est vera et omnino certa, potest et debet dici positive quasi verus praeco Dei, quia fulcitur auctoritate antecedenti Dei. Quoties vero tantum lato sensu certa seu quoties invincibiliter est erronea, eius quasi praeco et nuntius merito censetur, seu a nobis recipienda est, quasi sit vox Dei. Fulcitur enim vel sic semper saltem Dei auctoritate consequenti[1]. Etenim ita nos agere iubet Deus, quamdiu invincibilis sententia ista de obligatione in mente nostra perseverat manetque invincibilis[2]. Quando denique adest conscientia vincibiliter errans, potest tantum sensu valde imperfecto et improprio praeco Dei appellari. Licet enim nefas sit contra ipsam agere, quamdiu adest, tamen simpliciter et ante omnia lex Dei iubet nos ipsam deponere, interim vero ab agendo contra ipsam abstinere et veritatem, quantum convenienter possumus, indagare, et tum tandem recte iam constituta conscientia agendum est. Quare valde a vero aberrant multi saltem protestantes, quando censent omnem conscientiam infallibiliter vocem Dei esse (cf. *Feuerlein,* Sittenlehre des Christentums, Tübingen 1855, 236 sqq).

---

[1] Lex et auctoritas Dei consequens dicitur illa voluntas Dei, quam de nobis habet Deus, praeviso aliquo actu nostro.

[2] Cf. *S. Thomam* l. 2 sent. dist. 39, a. 3 ad 1, ubi haec: „Ad primum dicendum, quod quamvis illud, quod ratio dictat, per se non sit secundum legem Dei sicut nec per se bonum, tamen *per accidens est secundum legem Dei,* sicut et bonum, in quantum ratio apprehendit ipsum ut secundum legem Dei et bonum; et ideo sequitur, quod conscientia errans per accidens obliget et non per se“ (cf. 1, 2, q. 19, a. 5 ad 1 et 2).

83. ***Coroll. 2.*** Ergo proprie non duo sunt, *legem Dei obligare et conscientiam obligare.* Nam conscientia non ligat nos, nisi quatenus nobis aliquo modo applicat legem Dei, prout ex praecedentibus patet. Et hoc imprimis verum est de conscientia absolute certa. Applicat enim nostrae actioni ponendae infallibiliter legem antecedentem Dei, qua nobis de se praecipit aliquid facere vel omittere. Conscientia vero lato modo certa seu invincibiliter errans obligat nos eatenus, quatenus applicat nobis saltem praeceptum Dei existimatum et consequens. Quamdiu enim haec persuasio in mente nostra insidet, tamdiu non licet nobis aliter operari, quia existimamus ipsam manifestare legem Dei et ipse etiam Deus vult nos voluntatis suae existimatae reverentiam habere. Idem suo modo vel in ipsa conscientia vincibiliter errante locum habet. Ea enim conscientia praesente duo nobis praecipiuntur: ne temere aliquid contra conscientiam agamus, quod interim saltem legem et voluntatem Dei esse arbitramur; deinde ut ante omnia, si agere volumus aut debemus, status vincibilis conscientiae auferatur et recta conscientia formetur.

84. Est autem tota haec *lex numquam agendi contra conscientiam prorsus indispensabilis,* ita ut ne ipse quidem Deus in ea dispensare possit. Ratio est, quia huiusmodi dispensatio concessio esset actionis absolute et intrinsecus malae. Nam voluntatem nostram se coniungere obiecto, quod versatur ante mentem nostram ut malum aut fortasse malum, est actio necessario et intrinsecus mala atque peccatum neque placere Deo ullo modo potest[1].

85. *Obicies:* Si agendo contra conscientiam erroneam reapse peccamus, in tantum omnino peccamus, in quantum id facimus, quod erronea conscientia falso dictat esse prohibitum;

---

[1] Cf. *S. Thomam* q. 17 De verit. a. 3 4; 1, 2, q. 19, a. 5; 3 Quodlib. a. 27; 2 sent. dist. 39, q. 3; *Suarez* l. c. dist. 12, sect. 4, n. 14; *Vasquez* 1, 2, disp. 61, c. 2; *Ioannem a S. Thoma* l. c. disp. 12, a. 2 5 6; *Herincx,* Summa theol. disp. 4, q. 2, n. 8; *Arriaga* disp. 22, sect. 5, n. 49 sqq; *Terill.,* De consc. q. 15; *Bouquillon,* Fundam. theol. l. c. n. 251.

secus erronea conscientia non esset. Iam vero si id agendo peccamus, conscientia iam vere dictat, id esse prohibitum. Ergo ea doctrina contradictionibus implicamur. Ergo ea doctrina est falsa. — *Respondetur: Nego maiorem.* Nam non peccamus in tantum, in quantum praecise id facimus, quod conscientia erronea falso dictat esse prohibitum, sed quoniam, quoties agitur de conscientia erronea vincibiliter, id agimus, de quo conscientia cum formali dubio malitiae pronuntiat seu cum dubio, ne forte pravum id sit; quoties vero agitur de conscientia erronea invincibili, ideo peccamus, quoniam id agimus, quod invincibiliter pro vetito habemus, seu quia agimus contra conscientiam subiective veram et practice rectam. Ad minorem igitur nota: Peccamus id agendo, non quoniam erronea conscientia cum veritate obiectiva dictat, id esse prohibitum, sed quoniam id agimus aut manente dubio malitiae formali, sitne annon sit prohibitum, aut cum notitia subiective et practice recta, licet obiective erronea, id prohibitum esse. Quomodo invincibilis ignorantia fundet notitiam subiective et practice veram et rectam, infra explicabitur (cf. *Terill.*, De consc. q. 19, n. 37).

ARTICULUS TERTIUS.

GENERALIA QUAEDAM DE CONSCIENTIAE FORMATIONE. DE IUDICIIS REFLEXIS, DE SYNDERESI, DE NECESSITATE PRUDENTIAE.

86. Cum conscientia sit applicatio scientiae ad aliquem specialem et particularem actum nostrum, ut supra n. 73 vidimus, satis per se patet, ipsam formandam esse, saltem communiter, syllogismo. Et eius quidem maior constituitur principio aliquo universali aut legis praecepto, minor vero facti propositionem continet, qua de aliqua particulari actione vel omissione, ut sub illa lege comprehensa aut non comprehensa, statuitur [1].

[1] Cf. *S. Thom.* l. 2 sent. dist. 24, q. 2, a. 4; 1, 2, q. 76, a. 1.

Syllogismus hic aut directus est aut reflexus. Prior directis mentis nostrae cognitionibus de ipsis rebus, posterior vero cognitionibus de rebus, prout in mente nostra repraesentantur, conficitur. Ad prius genus hic syllogismus pertinet: Non licet temere iurare. Haec autem particularis actio seu hoc iusiurandum temerarium iusiurandum esset. Ergo ipsum iurare non licet. Ad posterius vero genus pertinet inter alios hic syllogismus: Ad feminam, quam merito existimo uxorem meam, accedere mihi licet. Iam vero hanc feminam uxorem meam merito existimo. Ergo ad eam accedere mihi licet. Ad eandem classem pertinet etiam hic syllogismus: Hominibus, quos merito parentes meos esse censeo, oboediendum est. Atqui hi homines, quos merito parentes meos esse censeo, hunc oboedientiae actum a me exigunt. Ergo hic actus iis praestandus est. — Quam autem necessarius hic alter, reflexus, modus procedendi nobis sit, secundum quem conscientia pronuntiat de statu, quem obiectum in mente nostra habet, facile patet. Saepissime enim, etsi summopere conamur, ad certitudinem perfectam de rebus ipsis pertingere non possumus, ut manifesto usuvenit, potissimum in altero exemplo[1]. Potest tamen in mente nostra status cognitionis de re talis acquiri, ut cordatus quisque fateatur, eum eiusmodi esse, ut iure et prudenter, immo saepe ex debito, nostrum agendi modum ei accommodemus. Et sane, nisi fieri ita potest, quinimmo quandoque debet, tota humana societas, ut iam allatis exemplis satis patet, dissolvetur. Filiorum enim oboedientia erga parentes maxime opus est ad societatem integram continendam. Filii

[1] Maxime convenienter ad hoc *S. Augustinus* l. De utilitate credendi c. 12 (*Migne*, P. L. 42, 84): „Quaero, si quod nescitur, credendum non est, quomodo parentibus serviant liberi, eosque mutua dilectione diligant, quos parentes suos esse non credant? Non enim ratione sciri ullo pacto potest, sed interposita matris auctoritate de patre creditur, de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam sic furari potest filius aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, et sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse, confitemur."

autem parentes non norunt nisi fide aliorum. Ergo notitia, quam talis fides praebet, contenti esse debemus eique debemus nostrum agendi modum accommodare. At alia plurima sunt, quae idem ostendunt. Nam quomodo humana societas subsistere potest, nisi generatim fides humana nobis satis firmum ad recte agendum fundamentum praebet? Haec tamen fides, ut talis est, nullam umquam per se perfectam certitudinem de re in mente nostra procreare potest. Constat igitur, postquam in veritatem rei pro viribus inquisivimus, ea autem certo inventa non est, saepe contentos nos esse debere, ut modum nostrum agendi obiecto conformemus, prout iam in mente nostra solida ratione repraesentatur, atque ita quidem recte et laudabiliter agemus. — Et profecto per se quidem dictamina conscientiae accommodanda sunt ipsis rebus directisque mentis nostrae cognitionibus, sed quia multa plane certa nobis fieri nequeunt, ad reflexa illa principia tunc primum recurrere nobis licet, immo saepe oportet, quanto veritate rerum pro viribus inquisita nihil omnino certi de re explorare potuimus (cf. *Ioannem a S. Thoma* l. c. disp. 12, a. 1, n. 28; *Terill.,* De consc. q. 12, n. 9 et 10)[1].

87. Conclusio igitur huiusmodi syllogismi est *conscientia. Elicitur proxime et per se ab habitu prudentiae,* quae est recta ratio agibilium[2]. Nihilominus per accidens, quando vincibilis vel error vel ignorantia mentem occupat, dictamen rationis, quoniam necessario imprudens est, a virtute prudentiae prodire non potest. Elicitur igitur a ratione nostra imprudenter. *Fontes autem remoti,* unde dictamen *conscientiae* proficisci oportet, sunt imprimis *synderesis* vel habitus naturalis principiorum practicorum per se notorum[3], deinde vero *scientia ethica, aliae* denique *notitiae et experientiae concurrunt* et maxime iuvant ad minorem syllogismi prudenter formandam.

---

[1] Cf. ea, quae de vario hoc procedendi modo disputat *Arriaga* 1, 2, disp. 24, n. 6.

[2] Ita *S. Thom.* 1, 2, q. 57, a. 4 et q. 58, a. 3.

[3] Cf. *S. Thom.* q. 16 De verit.

Nam imprimis in minore formanda desideratur magna saepe circumspectio et prudentia.

87. Et revera non sufficit ad recte in particulari operandum haec universalis notitia synderesis vel ethicae: temperate esse vivendum; sed quid in particulari temperata inter nimium et parum ratio vivendi a nobis exigat, id insuper nosse nos oportet. Nam non eadem prorsus mensura et qualitas, v. g. cibi et potus, omnibus convenit. Variat pro aetate, pro sexu, pro viribus, pro valetudine, pro laboribus praestandis, immo etiam pro individuo. Quare multa sunt, quae explorata nobis esse debent, ut iure possimus pronuntiare tantum cibi et potus nobis esse necessarium aut saltem convenienter posse a nobis sumi. Hoc ipsum autem continet minor, quae sub illa maiore: temperate esse vivendum, subsumenda est. — Item est principium per se notum, id, quod iniuste ablatum est, quam primum id fieri possit, esse reddendum ei, cui iniuste ablatum est, ne ullam iustam causam querendi de dilatione restitutionis habeat. Nihilominus etiam hic nos alia multa nosse oportet, ut recte pronuntiemus de actione in particulari, qua fit restitutio. Atque ita fere in omnibus quaestionibus moralibus usuvenit. — Cur autem hic vocem fere addiderim, ex subsequentibus apparebit. Vides iam sine consultatione et prudentia haec cognosci omnia minime posse. Sed etiam alterum facile patebit, actus reflexi quantopere usui esse possint in determinanda materiae mediocritate. Nam quod nobis moderamen in cibo et potu v. g. aliisque similibus a parte rei convenit, vix a nobis certo cognosci potest; illud tamen certum est, eam mensuram cibi et potus licite a nobis sumi posse, quam consideratis omnibus circumstantiis seposito impetu passionis, pacata mente, nobis convenire arbitramur.

Cf. *Ioannem a S. Thoma* l. c. disp. 12, a. 1, n. 15; *Tanner*, Theol. scholast. 1, 2, disp. 3, q. 4, dub. 1, n. 11; *Terill.* l. c. q. 12, n. 11; q. 13, n. 7 9 22; *Rassler*, Norma recti disp. 2, n. 87 et 113 sqq.

Quaeres, omne conscientiae dictamen adiumentum prudentiae requirat.

88. *Dico: Quamvis communissime dicant, pro omni dictamine conscientiae ad recte operandum requisitum esse actum prudentiae, id tamen non semper stricte accipi potest, sed late accipiendum est.* — Ex modo dictis patet, dictamen conscientiae, quod sequi nos oportet, saepissime interventum prudentiae proprie dictae requirere, neque tamen ita semper est, quamvis plurimi ita loquantur, ac si semper ita sit. Cf. v. g. *S. Ambros.,* l. 1 De offic. c. 27 (*Migne,* P. L. 16, 65), qui *prudentiam vocat primum officii* (i. e. boni operis) *fontem, sine quo nec iustitia nec alia virtus esse possit.* Similiter *S. Aug.,* l. 1 De morib. Ecclesiae c. 24 (*Migne,* P. L. 32, 1330). *S. Thom.,* l. 4 sent. dist. 17, q. 2, a. 2, sol. 4: „Omnibus autem virtutibus moralibus", inquit, „motor est ipsa prudentia, quae dicitur auriga virtutum; et ideo omnis virtus moralis cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiae." Alios, qui idem dicunt, vide apud *Rassler,* Norma recti disp. 2, n. 131.

Probatur 1ª pars, id non posse semper stricte accipi.

89. Turpitudo aut honestas particularis alicuius operationis saepe *immediate* nobis innotescit, sine ullo discursu, ex ipsis terminis. Ergo ad formandum dictamen conscientiae sola synderesis rationis sufficit nec opus est accedat ullum iuvamen ex parte prudentiae. *Ad antecedens:* Turpitudo blasphemiae, odii Dei etc. est immediate per se nota sive agitur de blasphemia ut sic sive de particulari aliqua blasphemia etc. hic et nunc exercenda. Item quando nobis fides immediate proponit Deum ut summum et infinitum bonum, profecto abs re erit exspectare dictamen prudentiae, quo nobis de ipso hic et nunc amando consulatur. Possumus ipsum sine ullo alio dictamine prudentiae propter se immediate non solum licite, sed etiam valde meritorie amare. Aut de quanam alia re hic consultandum erit? De moderamine? At modus amandi Deum est sine modo amare, ut *S. Bernardus,* De amando Deo, ait. Idem autem valet de aliis etiam virtutibus theologicis, fide et

spe, ut recte affirmat *Vasquez* 1, 2, disp. 53, c. 4, n. 30: „Neque enim", inquit, „consultamus per prudentiam practicam, an sit aliquid a Deo sperandum aut credendum, sed statim atque speculative nobis constat, esse aliquid a Deo revelatum aut praescriptum, ut speretur, absque alia prudentiae consultatione credere et sperare honestissimum est. Illa autem notitia speculativa, qua constat, revelatum esse aliquid a Deo aut praescriptum ad sperandum, non est prudentiae, quia speculatio non pertinet ad prudentiam." — Neque indigemus prudentiae iudicio, ut laudabiliter et honeste circa fines diversarum virtutum moralium actus prosecutivos voluntatis eliciamus, volendo v. g. vivere semper temperate, unicuique ius suum tribuere, numquam mentiri etc. Profecto actus, quibus hos fines morales volendo amplectimur, et de se honesti sunt et immediate tales apparent (cf. *Lessium*, De iust. et iure l. 1, c. 1, dub. 3, n. 19 sqq; *Rassler*, Norma recti n. 125). Atque ita etiam *S. Thomas* 2, 2, q. 47, a. 6 in c et ad 1, ubi ait: „Ad prudentiam non pertinere praestituere finem virtutibus moralibus, sed solum disponere de his, quae sunt ad finem." Finem autem iis virtutibus praestituere est rationis vel potius ipsius synderesis" (cf. *S. Thom.* l. c. ad 1; *Lessium* l. c. n. 20 sqq). — Si vero *S. Thomas* ait, ad prudentiam pertinere disponere de his, quae ad finem sunt, id non exclusive, sed positive intelligendum est. Etenim id non ita intelligere oportet, quasi de mediis actibusque honestis, quibus in fines virtutum moralium tendimus, solis praelucente dictamine specialis virtutis prudentiae cognoscere possimus, sed quia id communiter fieri non potest nisi lumine prudentiae praefulgente. Nam nulla certo consultatio prudentiae opus est, ut videamus etiam in particulari non licere hic et nunc hocque actu mentiri, blasphemare, peierare, alia similia multa. Itaque prudentiale iudicium ut accedat ad iudicium conscientiae recte formandum, requiritur tantummodo, quoties actus, quo in finem virtutis tendendum est, exigit medium rationis seu mediocritatem, inter parum et nimium, inter defectum et excessum, ut in

temperantiae, liberalitatis aliisque virtutibus usuvenit, non si operis particularis honestas vel turpitudo immediate patet (cf. *Rassler,* Norma recti n. 124 sqq; *Terill.,* De consc. q. 12, n. 11 sqq).

Ex his etiam id *constat, quod 2° loco assertum est,* hos, de quibus agimus, conscientiae actus posse tantummodo actus prudentiae latiore quodam vocis sensu appellari, nimirum quatenus fundamentum etiam et radicem prudentiae ipsam synderesim prudentiam appellare possumus (cf. *Lessium,* De iust. et iure l. 1, c. 1, dub. 3, n. 20 sqq).

ARTICULUS QUARTUS.

DE CONSCIENTIAE DIVISIONE.

(Cf. *S. Thom.* q. 17 De verit. a. 1.)

90. *Primum* si vox conscientiae latissimo sensu accipitur, *dividitur ratione obiecti in conscientiam praeteritorum, praesentium, futurorum. Praeterita sunt in conscientia seu sunt obiectum conscientiae aut ut mera facta vel affectiones nostrae;* sic dicimus: Recordor seu mihi conscius sum, me hoc vel illud aliquando fecisse, vidisse, audisse, passum esse etc.; *aut ut facta diiudicata ratione nostra*; et sic dicimur habere bonam vel malam conscientiam; quoties scil. recordamur, nos moraliter bene aut male egisse; maxime vero, quamdiu moralis inde exsurgens animi status perseverat seu mutatus non est. Nam quando est mutatus, saepe dicimus, nos non habere conscientiam mali actus scil. olim quidem positi, nunc vero condonati. Ita locutus est S. Paulus 1 Cor 4, 4, quando ait: „Nihil mihi conscius sum"; non quasi voluerit dicere, se numquam quidquam peccasse, sed quia iam sentiebat et credebat, se liberum et mundatum esse ab omnibus culpis olim contractis (cf. *S. Thom.* q. 17 De verit. a. 1 ad 3).

Praesentia quoque tribuuntur conscientiae, idque etiam dupliciter; primo modo iterum *per modum meri facti aut affectionis praesentis;* sic dicimus, conscios nobis nos esse, nos exsistere, sentire, intelligere, velle, agere. Generatim sumus nobis conscii multorum vel actuum vel factorum, quae nos

ipsos actu tangunt aut a nobis proficiscuntur ut praecise talia sunt; atque hoc modo conscientia idem est cum sensu intimo, ut multi vocem usurpant. *Alio modo conscientia praesentem actionem nostram attingit et diiudicat ut moraliter bonam aut malam.* Et sic propriissime homo dicitur agere secundum aut contra conscientiam; adeoque conscientia eum reprehendit vel mordet vel accusat; aut e contrario, quando obsequitur conscientiae, approbat vel laudat eius actionem. Non est, cur moneam, ea praedicata praeteritae quoque conscientiae convenire.

De futuris autem actionibus tantum diiudicat conscientia. Nam de futuris actionibus ut factis nostris nos conscios nobis esse, prorsus obsonum est. Statuit igitur et ordinat aut de futuris ipsis actionibus, licitae sint an prohibitae, aut saltem de modo eas agendi. Et sic conscientia ligat vel instigat vel etiam retrahit ac prohibet. *Est autem haec propriissime conscientia,* de qua hic potissimum agitur.

Commune his omnibus denominationibus conscientiae hoc est, ut dicat actum mentis nostrae versantem circa aliquid, quod aut patimur vel sumus passi, aut agimus vel egimus aut quod ut actio a nobis facienda proxime nobis proponitur; modo igitur actus est merae perceptionis, etiam reflexae, modo memoriae, *modo prudentiae vel synderesis. De his ultimis actibus seu de morali conscientia una hic ex instituto agetur.* — Constat autem ex modo dictis vocem conscientiae non univocam, sed analogam esse.

91. Est porro *haec moralis conscientia aut antecedens et practica aut consequens et de se speculativa.* Haec intelliguntur ex iis, quae supra dicta sunt.

Secundo loco conscientia dividitur ratione veritatis in veram et rectam et in erroneam et falsam. Vera et recta simpliciter illa est, quae pronuntiat de re, prouti reipsa se habet: quando igitur pronuntiat de re honesta et licita, eam esse honestam et licitam, de re turpi et prohibita, eam esse turpem et prohibitam. Atque ita *omni modo vera et recta est,* tam physice quam moraliter (cf. *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 5). — Est tamen

etiam *alia conscientia, quae iure vera et recta vocatur;* neque tamen physice, sed *tantum moraliter* seu in ordine ad mores recte componendos. Haec pronuntiat de obiecto, non praecise, quatenus est in ipsa re, sed prouti in mente nostra invincibiliter et inculpabiliter repraesentatur. Et ratio, cur hoc iudicium moraliter rectum et verum censendum sit, est haec: non possumus in obiectum tendere voluntate, nisi quatenus a nobis prius mente apprehenditur. Quale vero a parte rei obiectum revera moraliter sit, id saepissime mente penetrare non valemus. Itaque contentos nos esse oportet ea notitia rei, quae est homini accommodata et quam invincibiliter acquirere et consequi possumus. Atque adeo appetitum, qui in obiectum tendit, prout ipsum in mente nostra invincibiliter et inculpabiliter invenitur, merito moraliter rectum censemus. Dictamen vero appetitum nobis eum imponens, qui obiecto ita in mente praesenti consentaneus est, iure verum nominamus. Et revera multi sunt, qui hoc sensu etiam accipiunt illud *Aristotelis*, l. 6 Eth. c. 2: „Activae (i. e. practicae) mentis veritas est, quae recto appetitui est consentanea." Rectus enim profecto is appetitus est, qui commensuratur obiecto, prouti in mente nostra invincibiliter et proinde inculpabiliter adest. Quid enim ulterius requiras? Verum igitur moraliter est illud dictamen, quod eum nobis appetitum imponit vel dictat, qui obiecto, prouti invincibiliter in mente adest, est accommodatus (cf. *Suarez,* De act. hum. tr. 3, disp. 12, sect. 2, n. 2 sqq; *Vasquez* 1, 2, disp. 58, c. 1 et 2; *Tanner*, Theol. scholast. disp. 2, q. 6, dub. 1, n. 7 sqq; *Rassler,* Norma recti disp. 2, n. 103 sqq; *Ballerini-Palmieri* tr. 2, n. 11 etc.).[1]

[1] Alii tamen hoc dictum Aristotelis aliter interpretantur, ut *Caietanus* 1, 2, q. 57, a. 5 ad 3; *Durandus* l. 2 sent. dist. 36, q. 2 et ipse *S. Thomas* 1. 2. q. 19, a. 3 ad 2, qui id hoc modo accipiunt, ut Aristoteles *eas actiones circa media ad finem* censuerit honestas esse, quae correspondent appetitui antecedenti recto finis. Vult igitur secundum ipsos Aristoteles mensuram honestatis actuum, qui sunt ad finem seu mediorum esse eorum convenientiam ad rectum appetitum finis, huius vero appetitus mensuram statuunt „in recta apprehensione de fine, quae est per rationem". Ita *S. Thomas* l. c. (cf. 1, 2, q. 57, a. 5 ad 3; 1 Contra gent. c. 62 et 67.

Erronea et falsa saltem physice est omnis *conscientia,* qua aliquid iudico opposito modo, atque reipsa est; ergo quando iudico id bonum et honestum esse, quod malum et prohibitum est, et vice versa. Sic quando iudico, licere mihi mentiri, ut ita avertam magnum malum a proximo, aut quando iudico vetitum esse iurare cum debitis conditionibus, moderate bibere vinum etc. *Haec autem conscientia evadit falsa quoque moraliter,* ita ut sequens eam semper peccem, *quoties est vincibilis;* quando igitur vincibiliter iudico licitum id esse, quod est illicitum, aut vincibiliter item iudico illicitum id esse, quod est licitum. *Conscientia* vero *invincibiliter erronea* est quidem physice falsa, sed *moraliter est vera et recta,* quemadmodum modo dictum est. Singula vero, quae hic asserta sunt, quantum opus est, paulatim demonstrabuntur.

92. *Tertia divisio conscientiae fit ex parte motivi,* quod subest iudicio. Dividitur *in certam, probabilem, dubiam, scrupulosam. Certitudo conscientiae perfecta proprie et stricte* tunc habetur, quando honestatem aut turpitudinem, liceitatem aut prohibitionem alicuius actionis ponendae ita firmo cognoscimus iudicio, ut simul perspiciamus eodem actu, nihil omnino falsi ipsi ullo modo subesse posse[1]. Haec igitur omnimode perfecta certitudo conscientiae tum adest, quando iudicium istud de honestate vel inhonestate ponendae actionis

---

Haec quidem omnia vera sunt, maxime in casu, quem *S. Thomas* l. c. ob oculos habuit, quando nimirum agitur „de intellectu practico secundum quod est consiliativus et rationativus eorum, quae sunt ad finem"; de quo casu etiam Aristoteles videtur egisse (cf. huius operis tom. II, n. 471).

Ceterum, quae supra exposita sunt de moraliter vera et recta conscientia, a quaestione, quid Aristoteles illo dicto senserit, minime dependent. Sunt evidenter in se vera; et quoniam sunt etiam universalia, ideo sunt utiliora et ad praxim multo magis accommodata.

[1] Ita saltem longe plerique contra *Vasquez,* qui 1, 2, disp. 200, c. 1, n. 3 et 4 vult eum etiam esse certum, qui alicui propositioni determinate assentit, nihil dubitans dubio stricte tali; licet perspicientia, falsi nihil posse subesse suae cognitioni, careat (cf. *Schmitt,* Zur Geschichte des Probabilismus 133 sq). Mirus abusus vocis certi. Nam sic iam omnis assensus simpliciter probabilis certus esset.

nititur directa cognitione omnem prorsus falsitatem abesse non solum a formali conclusione, sed etiam ab omnibus principiis et conditionibus, unde formalis conclusio et iudicium rationis moralitasque actionis quomodocumque dependet. Atque tale iudicium speculative et practice, physice et moraliter certum est. — Alia conscientia vera est reflexa, ubi dictamen ultimum est quidem evidenter verum, sed plura, quae supponuntur, talia non sunt. De his infra.

Dubia proprie est tunc *conscientia,* quando mens nostra inter utramque partem contradictionis indecisa, i. e. sine assensu, haeret. Hunc mentis statum tantummodo abusive (*καταχρηστικῶς*) conscientiam dici manifestum est. Id enim ipsi praecise deest, quod omnem conscientiam essentialiter constituit, iudicium firmum et practicum de honestate vel inhonestate, de liceitate vel prohibitione ponendae actionis. Denominatur tamen ideo fortasse conscientia, quia privative opponitur ad verum dictamen conscientiae — solent enim privationes ad oppositas positivas rationes reduci —, aut etiam propterea, quoniam agere in hac mentis conditione necessario in peccatum intrudit. — Oportet autem hanc mentis haesitantis conditionem vere et proprie adesse, ut vere et proprie dubia conscientia sit. Nam non raro dubia dicitur conscientia non intrinsecus et vere — nam intrinsecus determinata et certa est —, sed mere extrinsecus, quia aliqua conditio, a qua dictamen pendet, dubia est, ipsa vero conscientia est intrinsecus prorsus certa. Ita v. g. usuvenit in dubio de emisso voto: potest enim sic dubitans perfecte certus esse et saepissime est, se ad nihil omnino obligari. — Dicimur etiam saepe dubitare, ubi revera opinamur. Hic latior usus vocis dubii significat eam formidinem falsi, quae opinionis est comes individua (cf. *S. Thom.* q. 14 De verit. a. 1; Quodlib. 8, a. 13).

Probabilis dicitur *conscientia et sententia a ratione gravi et solida, etiam comparative ad contradictoriam partem,* in qua certum iudicium de ponenda actione fundatur; opus tamen est, ut nullum fundamentum certum, etiam certum sensu latiore,

neque pro ipsa sententia neque contra ipsam adsit. Nam omnis certitudo, etiam latius dicta, probabilitatem aufert. Et revera etiam certitudo moralis, quae dicitur, et quae tantum in plane extraordinariis eventibus fallit, ubi igitur periculum falsitatis est admodum remotum, oppositam sententiam non probabilem, sed prorsus improbabilem relinquit. Et profecto non curanda, sed negligenda est per se sententia, quae nonnisi rarissime verificatur. Brevi: quod certum est, non est tantum probabile; et omne, quod ei, quod certum est, opponitur, est eodem gradu certo falsum. Ergo neque ipsum est probabile (cf. *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 6, n. 27 sqq). Ergo duo ad probabilitatem sententiae requiruntur: gravis et solida omnino ratio pro aliqua sententia de licito, et ut nihil certi pro ea aut contra eam reperiatur. Sic rationes omnes naturales, etsi ponuntur luculentissimae esse contra dogma SS. Trinitatis, probabiles non sunt, quia ipsum divina revelatione prorsus est certum.

Ceterum probabile etiam dupliciter dicitur: intrinsecus quoad ipsum practicum iudicium et extrinsecus. Quando prius locum habet, assentior quidem liceitati actionis cum formidine tamen formalis peccati; et talem conscientiam sequi non licet. Aut probabilitas tantum invenitur in eo iudicio, quod praecedit ultimo et practico iudicio, seu invenitur tantum in iudicio speculativo. Ipsum tamen practicum et ultimum iudicium verum et certum est; et hanc conscientiam sequi nobis licet. Quomodo autem, quando praecedens iudicium incertum est, ipsum practicum et ultimum iudicium nihilominus possit evadere certum, id infra explicabitur.

Scrupulosa, quae dicitur *conscientia* tantum est de actionibus, quae ut prohibitae vel iussae apprehenduntur. Oritur ex rationibus, quae anxium animum agitant. Est *scrupulosa,* secundum *Suarez* disp. 12, sect. 2, n. 8 et *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, a. 1, n. 34, aliosque *intrinsecus,* quatenus quis ob frivolas et fucatas rationes ultimatim et practice iudicat, aliquid esse illicitum vel iussum; aut est *scrupulosa extrinsecus*

tantum, quatenus aliud practicum et certum iudicium mente quidem retineo, quod sine peccato sequi semper licet, saepissime oportet, illud tamen coniunctum extrinsecus cum levissimis istis dubitationibus et scrupulis. Et haec posterior una est secundum communiorem sententiam sententia proprie scrupulosa. Nam prius illud iudicium non adeo scrupulus quam perniciosus error est, quem sequi non licet[1]. — Conscientiae scrupulosae *temeraria vel laxa* opponitur. Quemadmodum enim illa ex nimia quadam mentis anxietate aliquid pronuntiat illicitum vel iussum, ita haec ex quadam levitate animi vel quodam nimio affectu ad res iucundas aut commodas iudicat eas propter levissimas et inanes rationes licitas et honestas esse. De his omnibus *Suarez,* De act. hum. tr. 3, disp. 12, sect. 2; *Ioannes a S. Thoma* disp. 12, a. 1, n. 22 sqq.

De singulis his divisionibus, quantum opus est, deinceps agendum.

ARTICULUS QUINTUS.

DE NECESSARIA VERITATE ET CERTITUDINE CONSCIENTIAE.

Dico 1°. Ad recte operandum ultimum conscientiae dictamen non quidem obiective et materialiter seu, ut dicunt, physice, sed saltem subiective et practice verum esse debet.

93. *Ratio prioris partis haec est:* Saepe necessitate cogimur ad agendum seu ad capiendam decisionem, ubi obiectivam tamen et materialem veritatem obiecti vel actionis assequi non valemus. Debemus igitur contenti esse ea obiecti cognitione, quam prudenter obtinere possumus. — Praeterea conscientia invincibiliter errans, habens pro bono id, quod malum est, semper nos a malo excusat; item habens pro malo id, quod bonum

[1] De propria ratione scrupuli cf. inter alios *Suarez* l. c. disp. 12, sect. 2, n. 8; *Vasquez* 1, 2, disp. 67, c. 2, n. 8; *Azor* tom. I, l. 2, c. 20, q. 3; *Sanchez* l. 1 Decal. c. 9, n. 2; *Valentiam* 1, 2, disp. 2, q. 14, punct. 4; *Tanner,* Theol. scholast. disp. 2, q. 5, dub. 5 (optime); *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, sect. 1, n. 34; *Castro-Palaus* disp. 4, punct. 1; *Bouquillon* l. c. n. 294; *Pruner,* Kath. Moraltheol. n. 79.

est, aut pro bono necessario id, quod bonum necessarium non est, obligat semper aut ad omittendum id, quod falso censetur malum, aut ad faciendum id, quod falso censetur bonum necessarium. Ergo cum dictamine conscientiae obiective et materialiter minime vero agere saepissime recte possumus.

Ratio alterius partis. 1°. Certum est ex una parte, lumen rationis, quae est facultas veri, nobis ideo datum esse a Deo, ut etiam in moralibus actionibus eius ductum sequamur. Ex altera nihilominus parte item certum est, quid obiective et simpliciter sit verum, frequentissime nos non posse assequi. Ergo contentos nos esse oportet in talibus conditionibus, ut eam cognitionem veri sequamur, quam, consideratis omnibus, quantum fieri potest, circumstantiis, assequi possumus. Ergo contentos nos esse oportet cognitione accommodata et conformi obiecto, quatenus ipsum in mente nostra invincibiliter et inculpabiliter adest. Haec autem mentis conformitas cum obiecto invincibiliter et inculpabiliter in mente praesente merito nominatur subiectiva mentis et conscientiae veritas[1]. — 2°. Et profecto, nisi ita esset, in permultis occasionibus, in quibus nos agere prorsus necessarium est, agere moraliter non possumus. Nam et in matrimonio ineundo circa absentiam impedimentorum et fere in omnibus aliis contractibus atque etiam in sententiis iudicialibus omnino perfectam veritatem obiectivam difficillime tantum et rarissime obtinere possumus, et nihilominus agere saepissime debemus, ac si res prorsus explorata et plane certa sit. Ergo contentos nos esse necesse est ea veritatis ratione, quae communiter mentibus hominum innotescere potest, i. e. notitia rei invincibili atque vera subiective, i. e. per accommodationem dictaminis conscientiae ad illam notitiam rei, quae pro circumstantiis in mentibus nostris invincibiliter et inculpabiliter invenitur. — 3ⁱᵒ. Si quis invincibiliter et inculpabiliter iudicat, mendacium ob vitam proximi servandam esse licitum, certo

---

[1] De hac duplici denominatione veri cf. *Suarez*, De act. hum. tr. 2, disp. 12, sect. 2, n. 5, et *Wirceburg.*, De act. hum. n. 184.

isti se conformans iudicio et volens mentiri, nihil peccat. Hoc autem iudicium haud dubie, non obiective, sed mere subiective, i. e. ratione obiecti, prouti invincibiliter est in mente, verum est. Ergo.... Maiorem locum habere posse, constat ex magnis controversiis, quae de hac causa vel inter summos olim viros diu agitatae sunt (cf. huius operis tom. II, p. 497 notam). — 4°. Nisi haec pars vera esset, homines rudes vix ac ne vix quidem recte agere possent. Etenim quid agere debeant, eiusmodi homines ipsi vix sciunt, nisi id a sapientioribus accipiant. Hac autem via id quidem, quod subiective, i. e. pro ipsorum conditione, verum est, comperiri possunt, neque tamen semper id, quod est absolute et obiective verum.

Dico 2°. Nisi ultimum conscientiae dictamen de honestate actionis saltem moraliter certum sit, homo honeste agere non potest.

94. In hac quaestione diversae sunt sententiae. *Sunt,* qui opinentur facta necessaria inquisitione sufficere, *ut* nobis de honestate actionis hic et nunc ponendae *probabiliter vel probabilius constet,* quia plus ab homine prudenter non possit requiri. Ita inter alios *Vasquez* 1, 2, disp. 62, c. 5, n. 26; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 9, n. 18; *Salas* 1, 2, tr. 8, disp. 1, sect. 4, n. 40 et sect. 16, n. 144; *Martinon,* Disp. theol. II, disp. 14, sect. 2, n. 14. Quod autem mireris, est hoc, Thyrsum etiam Gonzalez his addendum esse. Docet ita in „Fundamento" (Propositiones capitales 9 et 10; Dissert. 1, n. 48; 4, n. 81 sqq; 6, n. 27 etc.).

Alii dicunt semper haberi posse atque adeo etiam *requiri ultimum dictamen evidens de honestate et liceitate actionis* hic et nunc exercendae. Ab hac sententia stat *Pallavicinus,* De actibus humanis disp. 9, q. 4, a. 1 et Assertiones theol. l. 3, n. 72, qui exigit evidentiam metaphysicam. Idem exigunt *Esparza* l. 3, q. 22 in fine et Appendix a. 197 et 200[1];

[1] *Suarez* etiam merito inter hos numeratur, quamvis dicat l. 6 De legibus c. 8, n. 6: „*Iudicium probabile in rebus moralibus sufficere* ad prudenter agendum, praesertim ubi regula certa applicari non potest, *ut ex materia de conscientia suppono.*" Nam loquitur de dictamine remoto,

Haunoldus, Theol. speculat. l. 2, c. 4, controv. 1, n. 234; *Terill.,* De consc. probab. q. 13, assert. 4. Idem satis clare insinuat *Suarez* hic disp. 12, sect. 3, n. 3, alii.

Alii plerique contenti sunt *morali certitudine seu late dicta* ut *Caietanus* Opusculorum I 2, tract. 31, resp. 13 ad dub. 7; *Navarrus,* In caput „Si quis autem" 4 de poenit. dist. 7, n. 58 sq; *Barth. Medina* in 1, 2, q. 19, a. 6 ; *Laymann* tr. 1, c. 5, n. 4; *Arriaga* disp. 23, sect. 2, subsect. 2; *Moya,* Selectae quaest. tr. 1, q. 6, § 6; *Sporer,* Theol. mor. P. 1, tr. 1, c. 1, sect. 3, § 1 et 2; *Rassler,* Norma recti disp. 2, q. 7, a. 1, n. 179 sqq et q. 8, a. 2; *Platel,* Synopsis P. 2, n. 132 sqq; *Viva,* Propositiones ab Alexandro VIII damnatae propos. 3ia; *Bouquillon* l. c. n. 265 et 266; et est revera communissima sententia. Videtur etiam clare esse *D. Thomae* Quodlib. 8, a. 13.

95. Hic duo notanda: unum, auctores inveniri in altera ac tertia classe, qui thesim suam exclusive statuunt; sunt tamen alii quoque, qui suam thesim ita defendunt, ut oppositam nequaquam respuant, quinimmo amplectantur ut veram. Et profecto bene componuntur duo haec inter se, ut quis persuasum habeat, sufficere de se omnino ad honeste agendum, ut dictamen ultimum conscientiae sibi moraliter certo constet, et nihilominus simul sibi persuadeat, omne prorsus dictamen conscientiae ultimum et reflexum plane evidens esse. Componuntur autem ideo, et verum est utrumque, quia, licet moralis iudicii conscientiae certitudo ad honeste agendum per se sufficiat, modus tamen procedendi in conclusionibus ultimis cum necessitate et evidentia fiat, ita ut quod necessario adesse debet, moralis certitudo, de facto non tantum moraliter certo, sed etiam cum evidentia adsit. Sic v. g. *Terillus* (Fundam. vel De conscient. q. 13) has duas theses simul posuit, tertiam hanc: „Ut operatio libera sit honesta, procedere debet a per-

---

non de proximo, ut constat inter alia ex iis, quae de conscientia ipse tradit 1, 2, tr. 3, disp. 12, sect. 3, n. 2 et 3, ubi in dictamine proximo certitudinem prorsus requirit, quinimmo addit, *hanc sententiam esse omnium doctorum.*

suasione intellectus, qua operans saltem moraliter certus est, actionem illam non esse peccaminosam", i. e. esse honestam. Et nihilominus hanc quintam addit: „Ultimum conscientiae dictamen, regulans actionem honestam, non solum debet esse moraliter certum, sed etiam est et debet esse evidens; seu quod idem est, ut operatio sit honesta, eius honestas debet esse evidenter cognita per ultimum conscientiae dictamen, a quo voluntas dirigitur." — Alterum notandum est hoc, plures theologos sibi persuadere, auctores primae sententiae verbis quidem a communissima sententia recedere, revera tamen diversa non sentire. Siquidem „dum illi aiunt, ad operationem honestam non requiri dictamen conscientiae certum, loquantur de dictamine, quod ex directis principiis synderesis deduci potest, non autem de dictamine, quod ex principiis etiam reflexis potest et solet inferri; de hoc enim manifestum esse, quod semper esse possit et soleat esse certissimum". Ita *Terill.*, De consc. probab. q. 13, n. 7; cf. ib. n. 1. Cf. etiam *Cardenam*, Crisis P. 1, disp. 10, n. 73 et disp. 15, n. 235; *Arriagam* disp. 23, sect. 2, subsect. 2. Sed num recte id dicatur saltem circa *Vasquez* 1, 2, disp. 62, n. 26, id vehementer dubito. Videtur enim manifesto contrarium asserere. Eandem porro cum Vasquez sententiam defendit *Sanchez*, Decal. l. 1, c. 9, n. 18.

96. *Probatur 1°.* Nulli licet se exponere morali et proximo et certo periculo formaliter peccandi. Atqui omnis operans sine morali saltem certitudine de honestate actionis hic et nunc exercendae exponit se periculo morali et proximo et certo formaliter peccandi. Ergo.... Maior constat, quia in moralibus idem est se exponere periculo certo, proximo et immediato peccandi et peccare. Probatur minor. Nam ita operans immediate et scienter expositus est verae contingentiae, quae talem operandi modum ex ipsa natura rei et semper comitatur, sic autem subit morale, proximum et immediatum certumque periculum peccandi. Neque dici potest hoc periculum ullo modo esse remotum, ut averti vel praeveniri possit. Nam hoc periculum semper et immediate cum ipso hoc modo agendi coniunctum agenti cum sententia tantum probabili indeclina-

biliter adest, quamvis esse sane possit, ut actus vel actio secundum se et mere obiective considerata peccaminosa non sint. Sed peccaminosum est, se exponere periculo certo et immediato agendi peccaminose[1].

Probatur 2°. Qui operatur formidans prudenter, ne haec actio sit hic et nunc prohibita a Deo, vult de facto et per se operari, etsi sua actio offendat reapse contra voluntatem Dei. Iam vero is operandi modus peccato carere non potest. Ergo omnis, qui sine morali saltem certitudine de liceitate suae operationis operatur, is necessario ita operans peccat. Nam eiusmodi non potest non formidare, ne sua actio displiceat Deo, sed cum clara cognitione et conscientia huius possibilitatis operatur.

Probatur 3io. Qui ex levi scrupulo rationeque infirma formatsibi iudicium practicum, sibi non licere aliquid operari, is nihilominus debet, antequam operetur, ne peccet, hoc iudicium deponere et saltem moraliter certus fieri, operationem suam non futuram esse peccatum. Ergo etiam is, qui probabiliter opinatur aliquid sibi licere, i. e. cum formidine, ne contradictorium nihilominus forte sit verum, debet hanc formidinem firma et ad persuadendum apta ratione exuere et moraliter saltem certus fieri, se hic et nunc hac actione non esse pec-

[1] Ut omnia haec melius intelligas, nota periculum peccandi proximum duplex esse; unum est ita proximum, ut ipsum adire vel subire sit immediatus et verus lapsus in peccatum formale. Hoc adest, quando serio hic et nunc timemus, ne actio ipsa hic et nunc ponenda peccatum sit. Alterum proximum periculum alius omnino naturae est; est illud, quod communiter dicitur. Ipsum quidem propinque nos constituit in occasione determinata operandi id, quod per se certo, non dubie, malum est, ita tamen ut formalis lapsus in peccatum seu actio mala absolute adhuc praeveniri et caveri possit. Prius periculum subire est semper peccatum, alterum subire plerumque quidem et per se peccatum est, neque tamen semper; v. g. meretricem adire libere, etiam sine proposito peccandi, per se quidem peccatum est; at si eam adis, ut e coeno peccatorum eam extrahas, sub certis conditionibus adeo parum est peccatum, ut sit opus de se valde meritorium (cf. *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 64). Hinc etiam est, ut liceat suscipere quaedam munera ut episcopi, parochi, iudicis, negotiatoris etc. ex rationibus communis boni, etsi sint cum periculo alicuius peccati immo etiam multorum peccatorum satis coniuncta.

caturum, ut sine peccato operari valeat. Antecedens constat ex cap. „Inquisitioni tuae“ c. 44 De sent. excommun., ubi vetatur mulieri, ne petat debitum coniugale, donec scrupulum deposuerit, etsi tantum ex levi scrupulo intrinsecus, i. e. in ipso dictamine, praepeditam se sentiat. Idem constat ex cap. „Per tuas“ c. 35 De simonia. Constat consequens ob perfectam paritatem rationis.

Probatur 4°. Omnis operans, ut excusetur a peccato, debet operari bona fide. Omnis autem bona fides reddit hominem securum se non peccare. Quod quoniam probabilis sententia minime praestare per se potest, patet bonam fidem, quae a peccato defendit, de se non posse esse iudicium probabile tantum ut sic, sed debere esse saltem iudicium moraliter certum. —

Probatur 5°. „Omne, quod non est ex fide, peccatum est“ (Rom 14, 23). Fides autem significat firmam mentis persuasionem, quae saltem non est sine morali certitudine. Ergo. . . .

Idem confirmatur duobus locis S. Augustini. L. 1 De baptismo c. 3 (*Migne,* P. L. 43, 110) haec exstant: „In causa salutis hoc ipso quis peccat, quod certa incertis praeponit“; et ib. c. 5: „Efficere id, quod incertum est, an peccatum sit, certum peccatum est.“

Coroll. Ergo licet nobis operando sequi 1° omnes directas sententias de honestate et liceitate actionis vel operationis, quoties aut evidentes sunt aut moraliter saltem certae aut etiam probabilissimae, habentes nimirum valde tantum remotum periculum falsitatis; 2° sequi etiam nobis operando licet eas omnes sententias, quae vera et solida probabilitate directe utuntur; postea enim demonstrabitur, iis suppositis, particularem omnem hic et nunc actionem certo honestam esse posse.

97. *Oppones 1°: S. Thomas* docet 2, 2, q. 70, a. 2 in actibus humanis sufficere certitudinem probabilem. Ergo nihil opus est certitudinem dictaminis conscientiae veram habere. — *Respondetur:* Nihil opus est certitudine dictaminis directa, concedo; nihil opus est certitudine dictaminis saltem reflexa, nego. Potest igitur, quoties nobis directe constat, liceitatem vel honestatem actionis esse probabilem vel probabiliorem, reflexe

constare cum perfecta certitudine, nihil nos obligare, sed opus licere. Id ita esse postea ostendetur. At quamdiu non adest nisi iudicium probabile *aut etiam probabilius* directum, actionem licere, simul tamen contrarium merito formidamus, operari nobis minime nobis licet. Quando igitur *S. Thomas* l. c., ut iudex possit secure procedere ad sententiam condemnatoriam rei, certitudine probabili contentus est, i. e. certitudine, quae nititur testimonio duorum vel trium testium exceptione maiorum praeter ipsum actorem atque sine oppositione alicuius momenti, eum statum mentis in iudice supponit atque requirit, qui tantum valde remote periculum falsi minimeque formidandum habet adnexum, eum igitur, qui lato sensu certitudo merito appellatur, quemque iure S. Thomas certitudinem probabilem appellat. Nam oritur ex probabilibus. Qui autem hoc iudicium habet, is cum evidentia iudicat, se posse nixum eo licite ad condemnationem rei procedere. Et profecto nisi ad condemnandum reum id sufficeret, de exercitio iustitiae humanae esset conclamatum. Ergo supponit adesse certitudinem de culpa rei in mente iudicis latam; eam autem ad condemnandum ipsum sufficere, ideo iam debemus profiteri, quia, nisi ea sufficeret, totus ordo iustitiae humanae corrueret, quae esset sane calamitas maxima et perniciosissima.

98. *Dices 2°:* Si requiritur iudicium moraliter certum ad licite operandum, scrupulosus numquam excusatur a peccato. Atqui hoc concedi non potest. Ergo. — *Distinguo maiorem:* Scrupulosus, qui habet iudicium practicum et ultimum intrinsecus dubium seu formidolosum, numquam excusatur a peccato, *trinseat vel concedo maiorem;* scrupulosus, qui habet iudicium ultimum et practicum intrinsecus quidem rectum et certum, sed extrinsecus coniunctum cum levissimis istis et fucatis scrupulis et anxietatibus, is a peccato numquam excusatur, *nego maiorem.* Hic autem posterior dumtaxat proprie scrupulosus est et dicitur; prior autem insigniter et perniciose errat. Neque sane scrupuli de se sunt eiusmodi, ut menti immittant fundatum timorem transgrediendae legis Dei. Ergo hominem contra ipsos agentem per se reum constituere non possunt.

99. *Instas:* Si vera esset thesis, saltem homo perplexus et qui opinatur actiones duas sibi contradictorias, quarum unam homo amplectatur in circumstantiis necessarium est, ambas esse peccaminosas, necessario peccaret. Atqui hoc est dissonum rationi. Ergo thesis est falsa. Maior ostenditur. Quando duae contradictoriae sententiae nos videntur simul obligare, necesse est nos unum earum amplecti. Amplectimur autem eam, quam amplectimur, plane libere, quia nihil adest, quod nos necessitet ad unam prae altera eligendam. Eligimus igitur eam libere, sed sine morali certitudine de eius liceitate, quoniam etiam contradictoria videtur nos obligare. Ergo secundum thesim peccamus. — *Respondeo,* fieri non posse, ut simul vere et proprie seu actu opinemur, duo vere sibi contradictoria esse simul peccata. Nam unum si revera opinamur peccatum esse, ne contradictorium peccatum sit, non opinari, sed ad summum formidare possumus. Nam secus duo contradictoria oporteret simul censere vera. Dicimus igitur, proximum officium huiusmodi hominis esse, ut conetur ex huiusmodi perplexitatis statu exire unamque sententiam ut veram definitive amplecti[1]. Iam vero, quoniam duo contradictoria simul vera esse non possunt, unum praeceptum, si hic et nunc nos obligat, alterum contradictorium, in eodem saltem officiorum conflictu, obligare nos nequit. Videndum igitur, quodnam praeceptum actualiter praeferendum sit.

100. Est autem *in collisione officiorum haec regula per se et generatim observanda,* ut praecepta iuris naturalis praeferamus praeceptis iuris positivi, quia illa magis necessaria; praeferendum ius divinum positivum iuri humano, quia illud sanctius (cf. tamen *Lugo,* De Euchar. disp. 14, n. 109 sqq); praeceptum negativum divini vel humani iuris praecepto affirmativo eiusdem divini vel humani iuris, quia illud strictius obligat; praeceptum affirmativum resp. negativum altioris virtutis praecepto affirmativo resp. negativo virtutis inferioris. Sin vero tibi utrumque praeceptum aequalis valoris esse videatur, vel

[1] Cf. *S. Thom.* l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 3 ad 5.

nescias, quod magis urgeat, nec possis doctum quemquam in hac re consulere, facere poteris, quidquid volueris, non peccas neque Deum offendis, quia *cares morali libertate, etsi physicam habeas.* Dixi, per se ita esse procedendum. Nam subiectivus error potest excusare. Sic si quis existimet, se teneri sub mortali mentiri, ut sacrum die dominica audiat, potius debet mentiri quam sacrum omittere; quamvis enim excusetur a sacro audiendo materialiter, non tamen formaliter. Dixi quoque, ita iudicare oportere generatim. Fieri enim potest, ut ob parvitatem materiae unius praecepti et alterius magnitudinem aut ob maius periculum boni communis, quod ex transgressione minoris praecepti imminet aut etiam ex maiore certitudine minoris praecepti aliisque de causis aliter in particulari iudicandum sit (cf. *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 10, n. 17 sqq; c. 11, n. 14; *Suarez,* De poenit. disp. 3, sect. 10; *Lugo,* De poen. disp. 5, sect. 4 et De incarn. disp. 26, sect. 10; *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, a. 4, n. 40 sq; *Schildere,* De princip. consc. form. tr. 1, n. 27 sqq; *Platel,* Synopsis P. 2, n. 128 etc.).

101. *Dices 3^io:* Qui agit id, quod ipsi spectatis omnibus circumstantiis videtur probabiliter vel probabilius licere, is semper prudenter agit. Nam agit motus motivo gravi atque dictamine, quod per se ordinatur ad recte dirigendos actus voluntatis. Atqui prudenter agendo non possum male agere et peccare. Ergo nihil opus est ad bene agendum, ut moraliter certus sim, me bene et laudabiliter agere. Maior est evidens. Minor etiam evidens est. Nam peccare summa imprudentia est. — *Respondeo:* Distinguo maiorem: Huiusmodi semper prudenter agit, quando id, quod sibi probabiliter vel probabilius licitum apparet, ut tale est, immediate agit et amplectitur, nego maiorem; huiusmodi semper prudenter agit, quando in opus, quod directe cognoscitur probabiliter vel probabilius licitum esse, reflectit, et obiecto stante sub tali probabili cognitione, videt meritoque iudicat, non posse eius evitationem sibi hic et nunc atque in particulari ad honestatem morum ullo modo esse necessariam, sed ipsum sibi esse hic et nunc atque in

particulari sine dubio licitum et honestum, concedo maiorem. Valor responsi situs est in hac re: sola directa cognitio obiecti ut probabiliter vel probabilius liciti relinquit agentem in vero et omnino proximo et immediato periculo male agendi transgrediendique praecepti; quare debet homo interim saltem ab agendo omnino abstinere, quoniam ea cognitio non tollit formidinem fundatam, ne contradictorium fortasse sit verum atque peccatum. Iam vero non possumus ullo modo cum tali formidine prudenter agere. Reflexa vero cognitio considerat obiectum sub novo et alio respectu aliaque luce. Scil. cognitio reflexa obiecti considerat ipsum ut stat sub cognitione directa et probabili liciti, et hoc modo manifestat agenti, non posse sese, generatim loquendo, ad id vitandum hic et nunc esse obligatum, qualecumque demum obiectum a parte rei est. Id vere ita esse postea demonstrabitur.

102. *Dices 4°:* Quicumque cum dictamine vel iudicio probabili liceitatis operatur, is eo ipso operatur cum iudicio, abesse omne periculum peccandi. Nam idem omnino est, iudicare aliquid licere et iudicare omne periculum peccandi abesse. Ergo nequit eiusmodi operans formidare peccatum. Ergo collabitur omne argumentum, quod in probabili tantum sententia contra liceitatem operandi ex hac formidine deductum est. — *Respondeo:* Distinguo antecedens: iudicat abesse omne periculum peccandi fallibiliter, utendo nimirum fundamento infirmo et labili, quod percipit quoque esse tale, adeoque iudicat cum quadam haesitatione et dubio, concedo antecedens; iudicat id certo utendo fundamento firmo, nego antecedens. Quare probabiliter iudicare aliquid licere est cum certitudine iudicare, omne periculum peccati abesse, nego; est idipsum aliquo modo iudicare quidem, at cum quadam haesitatione et dubio, concedo. Ad prius igitur consequens dico: non potest id formidare, quoties habet firmum et certum omnino assentiendi fundamentum, concedo consequens; quamdiu id non habet, nego consequens. Nego alterum consequens (cf. *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 58 sqq).

103. *Dices 5°:* Potest aliquis hic et nunc habere iudicium de liceitate actionis, quod quidem ex natura rei prudentem

timorem contradictorii non excludit, et nihilominus ipse nihil actu nec dubitat nec timet, ne verum fortasse sit contradictorium. Quare huiusmodi, utpote qui omni prorsus cognitione malitiae actionis careat, ipsam agens non potest peccare, et nihilominus ultimum dictamen conscientiae de honestate actionis moraliter certum nec habet nec habere potest. Ergo falsa thesis. — *Respondeo:* Aut infirmitatem rationis motivique iudicandi nullo prorsus modo animadvertit, sed eam prorsus firmam et peremptoriam reputat, quod ullo modo repugnare non video, et sic subiective omnino moraliter certus est, se non peccare, atque adeo neque peccat; aut eam firmam et peremptoriam non habet, et sic debet pro subiectiva opinione de gravitate dubii et formidinis exorientis aut inquirere aut non inquirere ulterius. Debet inquirere, si dubium, quod exoritur, videtur uti aliqua probabilitate; non debet ulterius inquirere, si dubium manifesto est omnino leve. Nam sic omnino moraliter certus manet, quoniam dubium manifesto leve despiciendum est, nec certitudinem a motivis propositis tollere potest. Si vero debet ulterius inquirere ob dubii apparentem gravitatem, aut inquiritur aut non inquiritur. Si hoc posterius, sine dubio in hac rerum conditione peccatur; si prius, pro exitu inquisitionis aut pertingit homo probabilitate sententiae cognita ad moralem saltem certitudinem liceitatis particularis actionis, et sic agens non peccat; aut non pertingit, et sic eam sententiam incertam sequens peccat.

104. *Dices 6°:* Homines communiter cognitiones directas probabiles reflexioni non subiciunt et nihilominus recte sine certitudine agunt. Ergo falsa thesis. Antecedens probatur. Nam rustici, opifices etc. audientes parochum declarantem, aliquid licere, veram certitudinem ex hoc solo testimonio habere non possunt, sed probabilitatem tantum; nihilominus hac declaratione contenti agunt bona fide. Et profecto quis eos ob hunc agendi modum peccati incuset? — *Respondeo:* Nego antecedens. Nam etsi rustici aliique homines ineruditi huiusmodi cognitiones probabiles non subiciunt reflexioni de

industria et deliberate, subiciunt eas reflexioni exercite et quasi naturaliter. Nam hoc sine dubio modo explicite aut implicite arguunt: Homines ineruditi possunt aut etiam debent sequi auctoritatem et ductum eruditorum, specialiter eorum, qui in materia subiecta eruditi sunt; melius enim facere non possunt. Iam vero parochus est homo in his quaestionibus eruditus et mihi hoc dicit. Ergo possum vel etiam debeo, homo ineruditus, hanc sententiam parochi veram habere et certo possum eam practice sequi. Hoc porro argumentum quemadmodum sine reflexione super sententiam parochi, prouti in mente rustici adest, fieri non potest, ita eum moraliter certum reddit de liceitate suae actionis (cf. *Terill.*, De consc. q. 13, n. 26).

105. *Oppones 7°:* Ad licite absolvendum sufficit confessario, ut ipsi probabiliter constet de dispositione poenitentis. Ergo etiam in aliis actionibus deliberatis ad honeste agendum probabilis nobis sententia sufficere debet. — *Respondeo:* Distinguo antecedens: Sufficit confessario talis notitia, i. e. probabilis notitia de dispositione poenitentis, quamdiu non adest gravis admodum ratio in contrarium, quia scit, sacramenta esse propter homines et in ipsorum salutem instituta, concedo antecedens; aliter, nego ipsum. Ergo illa imperfecta notitia de dispositione poenitentis ideo propter allatam rationem sufficere debet, quoniam homines maiorem notitiam interioris dispositionis suae dare communiter non possunt. Nisi igitur velimus, sacramentum poenitentiae communiter hominibus inutile esse, hac notitia oportet confessarium esse contentum. Scit igitur certo confessarius dispositionem poenitentis probabilem, sine admodum gravi ratione contrarii, sufficere ad licite absolvendum poenitentem. Sed similiter nobis quoque notitia probabilis directa de liceitate actionis ad honeste agendum sufficit, quoniam cognoscimus et reflexe scimus, eam probabilitatem, quoniam perfectiorem notitiam frequenter assequi nequimus, generatim nos certos reddere de liceitate actionis subiective in particulari et hic et nunc. Sed de hac quaestione infra (cf. *Rassler,* Norma recti disp. 2, n. 322 sq).

106. *Obicitur 8°:* Fieri minime id potest, quod in corollario asseritur, ut aliquod obiectum directe cognitum tantum probabiliter licitum sit, et idem obiectum reflexe cognitum sit simul certo licitum. Nam probabilitas habet adnexam formidinem falsi, certitudo vero formidinem ab eodem obiecto excludit. Ergo oporteret, ut contradictoria praedicata eidem obiecto convenirent. — *Respondeo:* Nego assertum. Nam non est idem prorsus obiectum, de quo contradictoria enuntiantur. Directa enim cognitio attingit obiectum secundum se et quale est a parte rei, respondetque quaestioni, sitne obiectum a parte rei tale, ut per se et immediate liceat nobis ipsum velle. Cognitio vero reflexa, seposita hac quaestione de immediata obiecti liceitate secundum se, ipsum considerat, ut substat cognitioni probabili, et pronuntiat de quaestione, liceatne nobis obiectum amplecti, ut tali subicitur cognitioni, interim non valentes mente assequi, quale secundum se obiectum sit. Quare sine dubio non prorsus idem est obiectum considerationis directae et considerationis reflexae; ergo contradictio inter ea obiecta formaliter diversa proprie locum habere non potest. Ergo bene inter se conveniunt, esse obiectum tantum probabiliter licitum directe, et esse certo et in particulari licitum reflexe. Sed etiam hoc postea melius intelligetur.

107. *Oppones 9°:* In sententia dubia vel probabili non potest fundari certitudo. Atqui secundum ea, quae in corollario dicta sunt, sententia certa, quae est conscientia, fundaretur in sententia dubia vel probabili. Ergo aliquid impossibile asseritur. — *Respondeo:* Distinguo antecedens: In sententia dubia vel probabili non potest fundari certitudo, quando dubium vel probabilitas rei asseritur et supponitur ut merum factum in mente nostra revera exsistens et ut extremum syllogismi, nego antecedens; quando probabilitas rei assumeretur ut principium, ex quo deduceretur conclusio, concedo antecedens. Iam vero probabilitas ut merum factum in mente nostra revera exsistens hic asseritur. Conficitur enim hic aut aequivalens syllogismus: Omnis sententia vere et solide probabilis

de liceitate obiecti efficit saltem generatim, ut obiectum hic et nunc atque in particulari consideratum vere mihi licitum sit. Atqui haec sententia vere et solide probabilis est. Ergo efficit saltem generatim, ut obiectum vere hic et nunc atque in particulari mihi liceat. Maior constat ex doctrina de probabilismo infra tradendo. Minor merum factum continet, de quo facto immediata evidentia nobis constat. Conclusio denique, supposita veritate maioris et minoris, etiam evidens est et constat. Quae cum ita sint, nemo dixerit, conclusionem niti probabilibus sententiis vel praemissis, sed ex manifesto veris et certis, suppositis supponendis, colligitur (cf. *Suarez,* De censuris disp. 12, sect. 2, n. 7; *Terill.,* De consc. q. 13, n. 36; cf. quoad totum etiam *Wirceb.,* De act. hum. n. 186 sqq; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 51 sqq).

108. *Instas:* Etiam in hoc reflexo syllogismo minorem saepe incertam et falsam esse. Nam saepe minime nobis constat, nos omnia explorasse debito studio, quae opus sunt, ut obiectum vere invincibiliter et inculpabiliter in mente nostra versetur. Hoc autem opus est, ut sententia vere probabilis sit. — *Respondeo:* Nego assertum et rationem additam. Nam quando pro conditione et gravitate obiecti prout in mente nostra antecedenter ad inquisitionem adest et repraesentatur, atque pro circumstantiis, in quibus actu versamur, serio in quaestionem propositam investigavimus, quamvis veritatem fortasse minime attigerimus, in ignorantia invincibili et inculpabili circa obiectum versamur. Et profecto duo haec, quae in facto posita sunt, serio nobis attendentibus sunt immediate aperta atque manifesta: 1° quae sit gravitas obiecti, saltem quatenus in mente nostra antecedenter apparet; 2° num proportionatam ei pro circumstantiis, in quibus versamur, diligentiam et studium in investiganda veritate impenderimus. Hoc tamen addendum, ad seriam inquisitionem veritatis fere non sufficere proprium ingenium consulere, sed oportere etiam alios doctos homines eorumque scripta, si fieri potest, adire (cf. *Suarez* l. c. disp. 4, sect. 8, n. 17; *Terill.,* Regula morum q. 40,

n. 33 sqq; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 761; *Rassler,* Norma recti disp. 2, a num. 293, praesertim n. 306 sqq; cf. etiam *Gaudé,* Theol. mor. S. Alphonsi l. 1, n. 3, nota c).

ARTICULUS SEXTUS.
DE CONSCIENTIA ERRANTI.

109. Error et ignorantia saepe pro eodem sumuntur, sunt tamen simpliciter loquendo valde diversa. Ignorantia enim in mera carentia notitiae consistit, quam quis absolute potest acquirere; error vero est positivus assensus mentis, quo verum pro falso, falsum pro vero accipitur. De ignorantia supra satis actum est.

Duplex vero est *error, unus formalis, alter materialis.* Error, quem formalem dicunt, est studiose quaesitus assensus falsi. Respondet ignorantiae affectatae. Potest enim homo, ut satisfaciat perversis suis inclinationibus, verum fugere, falsum, ut verum sit, multum desiderare, et propterea, ne detegat veritatem, sibi studiose rationes et difficultates conquirere, quibus tandem quasi veris assentiatur. Huiusmodi deliberatum et quaesitum assensum falsi non excusare ullo modo a peccato palam est[1]. De formali igitur errore non est, cur quidquam amplius dicamus.

110. *Materialis vero error* et qui *communiter et simpliciter dicitur,* ignorantiam veritatis supponit. Nam veritatem si scimus, fieri non potest, ut erremus. Est autem error materialis assensus mentis ad id, quod quidem aliquam speciem vel apparentiam veri praebet, a veritate autem reapse alienum est.

Speciem veritatis aliquid potest duplici modo habere: aut quasi per se, antequam in quaestionem, de qua quaeritur, sufficienter et serio inquisitum est; et hic *error dicitur et est vincibilis;* aut eam speciem habet et retinet etiam post factam

---

[1] Neve opineris, quaeso, hunc casum formalis erroris raro aut numquam accidere; sunt plurimi, qui eo laborant et nihilominus se bonos et honestos viros esse arbitrantur, ut v. g. multi athei.

a nobis debitam et necessariam inquisitionem; *et hic error invincibilis merito appellatur.* — Post debitam et necessariam inquisitionem, inquam. Nam manifestum est, nos recto ordini et eius institutori, provisori et vindici, Deo, hoc debere, ut, quando quid poscat atque praescribat rectus rerum ordo, non certo sciamus, id pro viribus et opportunitate, priusquam agamus, indagemus. Postquam autem hanc diligentiam adhibuimus et nihilominus veritatem non sumus assecuti, error quemadmodum invincibiliter, ita inculpabiliter in mente nostra haeret et manet. De hoc duplici errore vincibili et invincibili nobis agendum erit.

111. Et supra n. 81 vidimus, non licere nobis umquam facere quidquam contra ullam conscientiam iubentem vel vetantem. Constat igitur neque nobis licere agere contra errantem conscientiam, quando iubet vel vetat, sive eius error vincibilis est sive invincibilis.

Ergo distinctio, quae a quibusdam statuitur inter opera obiective indifferentia vel bona obiective non necessaria ex una parte et alia opera, quae obiective per se bona et necessaria aut per se mala sunt et prohibita ex altera parte, quasi ad priora illa conscientia errans vetando vel iubendo nos obliget, ad posteriora vero aut vetans opera per se et obiective bona et necessaria aut iubens per se et obiective mala nequaquam nos obliget, omni fundamento caret et recte a *S. Thoma* 1, 2, q. 19, a. 5 irrationabilis vocatur[1]. Cf. etiam *Suarez,* De censuris disp. 12, sect. 4, n. 3 sq.

[1] Audiatur ipse. „Sed hoc", inquit, „irrationabiliter dicitur [scil. ea, quae modo dicta sunt]. In indifferentibus enim voluntas discordans a ratione vel conscientia errante est mala aliquo modo propter obiectum, a quo bonitas vel malitia voluntatis dependet; non autem propter obiectum secundum sui naturam, sed secundum quod per accidens a ratione apprehenditur ut bonum vel malum ad faciendum vel ad vitandum. Et quia obiectum voluntatis est id, quod proponitur a ratione: ex quo aliquid proponitur a ratione ut malum, voluntas, dum in illud fertur, accipit rationem mali. Hoc autem contingit non solum in indifferentibus, sed etiam in per se bonis vel malis. Non solum enim id, quod est indifferens, potest accipere rationem boni vel mali per accidens; sed etiam id, quod est

112. *Oppones 1°:* Si conscientia erronea nos obligat ad se sequendum, obligabit nos saepe ad actus intrinsecus malos peragendos. Atqui hoc videtur absurde dici. Ergo. Ad maiorem: Existimet v. g. aliquis testis, se, ne nimium noceat reo, debere in iudicio mentiri. Ergo secundum dicta id facere debet, ne peccet, immo debet etiam peierare. Existimet porro aliquis, hostiam, quam in altari videt, esse consecratam, licet non sit consecrata. Dictat ipsi conscientia, debere ipsum eam adorare. Ergo debet eam adorare, i. e. debet idololatriam committere. Quis porro neget haec absurde dici, ut affirmat minor? — *Respondeo:* Distinguo maiorem: Sumus in eo eventu obligati ad actionem de se subiective et formaliter malam, nego maiorem; sumus in eo eventu obligati ad actionem obiective et materialiter malam seu quae obiective et antecedenter prohibita est, saltem quamdiu conscientia illa manet, quae tamen saepe tolli et potest et *omnino debet,* ut infra demonstrabitur, concedo maiorem. Minor sub data distinctione negatur. Nihil prorsus absurdi dicitur, quando affirmamus, Deum velle nos conformari ei, quod in mente nostra hic et nunc ut honestum et ab ipso praeceptum repraesentatur, vel velle nobis prohibitum esse, quod similiter actu repraesentatur ut inhonestum et prohibitum a Deo. Nam verum quidem est, actionem talem contrariam

---

bonum, potest accipere rationem mali, vel illud, quod est malum, rationem boni propter apprehensionem rationis: puta abstinere a fornicatione bonum quoddam est; tamen in hoc bonum non fertur voluntas, nisi secundum quod a ratione proponitur. Si ergo proponatur ut malum a ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali. Unde voluntas erit mala, qui vult malum, non quidem id, quod est malum per se, sed id, quod est malum per accidens propter apprehensionem rationis. Et similiter credere in Christum est bonum per se et necessarium ad salutem; sed voluntas non fertur in hoc, nisi quod ratione proponitur. Unde si a ratione proponatur ut malum, voluntas fertur in hoc ut malum, non quia illud sit malum secundum se, sed quia est malum per accidens ex apprehensione rationis. Et ideo Philosophus dicit in VII Ethicorum, quod per se loquendo incontinens est, qui non sequitur rationem rectam, per accidens autem, qui non sequitur rationem falsam. Unde dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione, sive recta sive errante, semper est mala" (cf. q. 17 De verit. a. 4).

esse legi aeternae per se et antecedenter, i. e. est tale obiectum, quod Deus per se et antecedenter ad omnem suppositionem ex parte nostra nos facere nec vult nec iubet, sed vetat; at est huiusmodi aliquid, quod Deus vult a nobis fieri supposito tali dictamine rationis seu conscientiae nostrae. Et ita Deum velle perspicimus, siquidem Deus non dirigit nos immediate lumine suo increato et infallibili, sed mediante lumine rationis, quod indidit nobis, ut sequamur ipsum; sicut imperator gubernat dissitam provinciam per suum procuratorem. In hac porro rerum conditione praeceptum procuratoris, licet a mente imperatoris reapse discrepet, nihilominus tamdiu subditis instar legis et norma agendi est, quamdiu ipsis de ista discrepantia inter imperatorem eiusque procuratorem nihil certi constat, maxime si procurator, quaecumque iubet, interposito nomine principis iubet, ut reapse facit conscientia (cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 19, a. 5 ad 2; De verit. q. 17, a. 4 ad 8 et 2). Et profecto lumen, quod Deus vult nos immediate sequi, est lumen, quod est in nobis, et quod immediate percipere possumus, non illud lumen increatum, quod in se percipere non valemus, seu non est ipsa immediate lex aeterna, sed dictamen rationis. Quando igitur conscientia vel ratio aliquid nobis ut iussum aut prohibitum a Deo proponit, debemus ductum rationis sequi, quamdiu de eius falsitate non sufficienter constat, et necesse est Deus hunc nostrum agendi modum simpliciter approbet, *nisi tamen — et hoc imprimis notandum est — aliquis defectus moralis in ipso formando dictamine a nobis commissus sit atque praecesserit, qui totum consequentem actum sua malitia necessario inficiat eumque peccaminosum reddat, de qua re mox plura.*

113. *Oppones 2°:* In tantum debemus sequi dictamen conscientiae, in quantum conforme est legi aeternae. Sed errans conscientia legi aeternae non est conformis. Ergo non debemus ipsam sequi. — *Respondetur:* Distinguo maiorem: In tantum debemus sequi dictamen conscientiae, *in quantum est conforme saltem legi aeternae consequenti,* quae tamen ab agente habetur pro antecedenti, concedo maiorem; tantummodo debemus eam

sequi, in quantum conforme est legi Dei vere antecedenti, nego maiorem. Distinguo minorem: Conscientia errans non est conformis legi Dei vere antecedenti, concedo minorem; non est conformis legi Dei consequenti, subdistinguo: quamdiu dictamen eius *vincibiliter* habetur pro lege Dei antecedenti, concedo minorem; quando *invincibiliter* pro ea habetur, nego minorem. Distinguo etiam consequens: Non debemus sequi dictamen errans conscientiae vincibilis, concedo; invincibilis, nego consequens. Intelligetur melius ex sequenti thesi.

114. *Oppones 3^io:* Valde absurde asseritur, Deum nos obligare ad peccandum. Atqui si debemus facere, quod conscientia erronea dictat, Deus nos obligaret ad peccandum. Ergo. — *Respondeo:* Distinguo maiorem, absurde dicitur, Deum nos obligare ad peccandum, i. e. ad faciendum quandoque materialiter id, quod aliter et de se esset formale peccatum, nego maiorem; ad faciendum et committendum formale peccatum, concedo maiorem. Contradistincta minore, nego consequentiam. Deus igitur nequaquam vult, ut peccemus sensu maxime proprio vocis; vult tamen in casu nos illud facere, quod alias esset peccatum. Quid ita? quoniam quod alias et de se esset peccatum, nunc menti nostrae obversatur ut iussum a Deo. Velle autem id agere vel facere, quod invincibiliter censemus iussum esse a Deo, de se honestissimum est et placet Deo; contrarium autem inhonestum est et necessario displicet Deo. — *Haec igitur summa quaedam lex Dei est, ne umquam faciamus id, quod menti nostrae, etiam erronee, repraesentatur ut malum et prohibitum a Deo.* Circa faciendum vero id, quod menti nostrae ut approbatum et iussum ab eo obversatur, licet nobis per se, quoties aliquod dubium de veritate iussi adest, cunctari, donec instituta sit diligens veritatis inquisitio; tunc autem, quando persuasio iussionis factae vinci nullo modo potuit, omnino suo tempore id faciendum est, quod iuberi putatur.

Ex hac generali lege Dei derivatur vis obligandi, quae erroneo iudicio conscientiae competit, non vero quasi sit lex quaedam Dei particularis, qua iubeamur aliquid inhonestum

obiective et a Deo prohibitum facere[1] (cf. *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 11, n. 4; *Suarez,* De censuris disp. 12, sect. 4, n. 9; *Valentiam* 1, 2, disp. 2, q. 14, punct. 4, § „Ex quo"; *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, a. 2, n. 29 sqq; *Rhodes* disp. 2, q. 2, sect. 2 „Secunda pars"; *Terill.,* De consc. q. 15, n. 8 sqq).

Dico: Quoties conscientiam invincibiliter erroneam sequimur, sive aliquid iubet sive vetat sive consulit sive permittit, numquam quidquam peccamus, sed semper bene et laudabiliter aut saltem non male agimus. Quamvis autem contra conscientiam vincibiliter errantem numquam agere liceat, nihilominus, quoties vincibilem habemus conscientiam, quae praecipit id, quod est obiective prohibitum, aut prohibet, quod est obiective praeceptum, in omni eiusmodi eventu semper peccamus, sive sequimur eam sive non sequimur.

115. *Pars prima* est communissima doctorum (cf. *S. Thomam* l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 3 ad 1; *Suarez* l. c. disp. 12, sect. 4, n. 8; *Valentiam* l. c. disp. 2, q. 14, punct. 5; *Vasquez* 1, 2, disp. 58, c. 1, n. 7 et disp. 60, c. 2, n. 8; *Sanchez* l. c. n. 17 et l. 2 De matrim. disp. 41, n. 6; *Becanum,* De act. hum. tr. 1, c. 4, n. 2; *Lugo,* De fide disp. 5, sect. 1, n. 20; *Salmant.,* Cursus theol. mor. tr. 20, c. 5, n. 21; *Terill.,* De consc. q. 16, n. 18 sqq; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 15; *Rassler,* Norma recti disp. 1, n. 368; *S. Alphons.* l. 1, n. 6; *Bouquillon* l. c. n. 270 sqq etc. contra paucissimos quosdam recentiores).

Probatur. Quando conscientia est invincibiliter erronea, defectus moralis et liber seu peccatum formale in ea formanda certo commissum non est. Secus non esset invincibiliter erronea. Ergo in eo eventu ex culpabili conscientiae formatione nulla in actum culpa redundare potest. Ergo ut nihilominus committeretur peccatum formale in sequenda ea conscientia, necesse esset hac re committi, quia eam sequimur. Neque

[1] Huc pertinet sententia Divi *Thomae* l. 2 sent. dist. 39, q. 3: „Verum est, quod si aliquis credat, se non fornicando legem Dei contemnere, non propter hoc, quod conscientia eum ad fornicandum ligat, peccat, sed quia in contemptum Dei hoc, quod dimittendum est, dimittit."

tamen id fieri potest. Nam facere id, quod menti nostrae invincibiliter et inculpabiliter obversatur, non ut malum, sed ut bonum et iussum a Deo aut mandatum aut suasum etc., id, qualecumque demum a parte rei est, non solum peccatum non est, sed bona et laudabilis vel saltem innoxia actio est. Et profecto puer errore invincibili eum parentem reputans, qui revera non est eius parens, quoties ei oboedit eumque honorat, sine dubio recte et laudabiliter, quinimmo meritorie agit seu saltem meritorie agere potest verumque pietatis actum exercet. Possum porro invincibiliter indigentem habere eum, qui minime indiget, nihilominus quis negabit, me actum verae misericordiae exercere, quando ei subvenio? Item iudex invincibili errore iudicans eum reum esse, qui reapse est innocens, quando condemnat eum, haud dubie actum iustitiae vindicativae exercet. Et ita porro in plurimis aliis conditionibus.

Confirmatur 1°: Ex contraria sententia multa inepta et vix non plane absurda consequuntur. Nam sic contingere potest, ut ex duobus hominibus actus liberos omnino simillimos elicientibus, unus sit laude dignus mereaturque praemium, alter minime, idque ob causam, quae est omnino extrinseca, a casu vel iniquitate aliena dependens. V. g. unus adoret hostiam vere consecratam, alter non consecratam; unus meretur, alter non meretur, sed male agit; quamvis uterque aeque prudenter credat, hostiam consecratam esse. Idem facile continget in iudice condemnante reum legitime convictum, unus meretur, alter non meretur, quamvis momenta causae, quae in notitiam venerunt, apud utrumque iudicem eadem plane fuerint.

Oppones: Bonum requirit causam integram, ad malum autem omnis defectus sufficit. Negari autem nequit in invincibiliter erronea conscientia aliquem defectum inveniri. Ergo. — *Respondetur:* Sensus huius adagii: Bonum requirit integram causam, ad malum vero sufficit omnis defectus, sine dubio hic est: Bona actio habeat necesse est omnia prorsus illa momenta, quae ad actionem simpliciter bonam requiruntur, at ut actio mala sit, sufficit, si vel unum ex his momentis

deficiat. Ut igitur ostendatur, errorem etiam invincibilem causare malum, tollere vero bonum et rationem meritorii ab actione, ostendendum est, requiri ad actionem simpliciter bonam, ut materiale etiam eius obiectum non solum secundum invincibilem apparentiam sit bonum, sed etiam natura sua et secundum se; seu requiri ad actionem simpliciter bonam, ut adsit obiectum bonum secundum se et secundum invincibilem apparentiam. Hoc autem ostendi non potest.

116. *Dices:* hoc tamen videri docere *S. Thomam* 1, 2, q. 19, a. 6 ad 1, ubi haec: „Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Dionysius dicit in capite quarto ‚De divinis nominibus': ‚Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus.' Et ideo ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit sive quod secundum naturam sit malum sive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum." — *Respondetur:* Haec S. Thomae conclusio ut vera sit, accipienda est in utraque parte cum hac subintellecta restrictione ex ipso articulo colligenda: „nisi tamen id, quod secundum naturam suam malum est, invincibiliter apprehenditur ut bonum." Potuit autem facile ex articulo subintelligi. Nam in hoc articulo 6 tradit: „Si autem sit *error,* qui causet involuntarium, *proveniens ex ignorantia alicuius circumstantiae absque omni negligentia, tunc talis error rationis vel conscientiae excusat.*" Est autem secundum S. Doctorem in hoc ipso articulo idem errorem rationis vel conscientiae excusare actum et reddere bonum actum. Id manifesto apparet ex inscriptione articuli: „Utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona", si comparatur cum responsione data in articulo, ubi declarat, hanc quaestionem esse eandem atque illam, ubi quaeritur, utrum conscientia erronea excuset. Est igitur ipsi idem, conscientiam errantem excusare actionem et ipsam reddere eam bonam. Quare cum conscientia errans, quoties invincibilis, i. e. sine omni negligentia, est, secundum articulum excuset actionem, etiam ipsam bonam reddit. Ergo merito dicimus, clausulam supra indicatam

ex ipso tenore articuli colligendam vel subintelligendam esse. Quod idem colligitur ex articulo praecedenti. Ibi enim haec exstant: „Non solum enim id, quod est indifferens, potest accipere rationem boni vel mali per accidens, sed etiam id, quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud, quod est malum, rationem boni propter apprehensionem rationis.“ Constat igitur de restrictione superiori textui merito addita. Quare nihil ex hoc loco contra thesim superiorem effici potest. De hac tamen re infra plura.

117. *Confirmatur 2°.* Idem docent SS. Patres. Notum est illud *S. Augustini* l. 22 Contra Faustum c. 75 (*Migne,* P. L. 42, 448), ubi laudat militem bellantem, iubente rege etiam sacrilego, quando certum non est, bellum esse iniustum. Nam sub tali rege saepe continget iniustum esse reapse bellum; nihilominus militem pugnantem, fatetur, propter conscientiam invincibiliter erroneam recte agere. — *S. Bernardus,* De praecepto et dispens. c. 14, n. 35 (*Migne,* P. L. 182, 880 sq) haec effert: „Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere non pio ipsa bona voluntas.“ Quibus verbis recte addit Ballerini: „Ubi egregie conciliantur *bona voluntas et opus non bonum;* quia nempe *bona formaliter spectatur voluntas,* opus autem non bonum *materialiter*“; aliis verbis: licet mendacium opus bonum non sit — de mendacio enim agitur —, sed secundum se sit opus semper malum, tamen voluntas mentiendi, quando homo nihil videt in eo opere, quod malum est, sed invincibiliter bonum tantum in eo videtur sibi videre, bona est. Et reapse ex opere apprehenso tantum ut bono nihil mali potest redundare in voluntatem. Quando vero S. Doctor addit: „non tamen sine malo quocumque fore deceptam simplicitatem“, verum addit; nam etiam sic mendacium ut sic malum et peccatum est materialiter; etiam est rei falsa apprehensio, et utut est invincibilis, sic tamen est physicum aliquod malum intellectus.

Porro is actus *in ea specie* laudabilis est, quam conscientia invincibiliter et inculpabiliter exhibet. Etenim ab obiecto, non

quale praecise in se est, sed quale exsistit in intellectu nostro, actus ea specie bonitatis insignis est, quam obiectum ex invicta sententia nostra in mente nostra habet.

Primum membrum alterius partis supra iam probatum est. Vide n. 115.

118. *Alterum membrum eiusdem partis* probatur. Probatur igitur, quicumque conscientia vincibiliter erronea laborat, qua vincibiliter putat, bonum et praeceptum esse id, quod est a parte rei malum et prohibitum, aut vincibiliter putat prohibitum, quod est revera praeceptum, eum in omni eventu, quomodocumque agit, reum esse et formaliter male agere.

Probatur: Reus est, quando eam non sequitur, quoniam contra id agit, quod modo existimat, legem vel praeceptum Dei esse. Reus quoque est, quando eam sequitur. Nam operans contra obiectivam legem ob conscientiam vincibilem nihil a peccato excusatur, quoniam in legem non, prouti debuit, inquisivit, sed legem culpabiliter neglexit, adeoque laesae culpabiliter legis reus exsistit (cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 19, a. 5; l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 2 et 3; q. 17 De verit. a. 5 etc.).

Oppones: Ergo homo vincibiliter errans existimansque bonum et licitum esse id, quod est malum, necessario incidit in peccatum eritque vere perplexus. Atqui hoc videtur absone dici; quid enim absurdius, quam necessarium peccatum? — *Respondetur ad maiorem:* Peccat in utroque casu, quia libere in errore vincibili manet, *concedo maiorem;* si errorem vincibilem, ut potest et debet, deponit, nihilominus peccat, *nego maiorem.* Porro minor vera esset, si homo sine ulla culpa sua in necessitate peccandi constitutus esset; falsa est, quando in ipsius potestate situm est ex illo necessitatis et perplexitatis statu exire. Hoc posterius autem in conscientia vincibiliter erronea semper fieri potest. Nam animadvertens statum labilem et incertum mentis et conscientiae suae, quem nisi aliquo saltem modo advertit, non vincibiliter errat, sed plane ignorat, debet de lege investigare. Iam aut debitam investigationem de legis exsistentia ac sensu instituit aut non instituit.

Si hoc posterius, certe peccabit, sed sibi tribuat mentis perplexitatem, in qua haeret; si prius, vincibilem errorem aut plane vincet, deque lege lata aut non lata certus erit, aut error saltem evadet invincibilis et inculpabilis; et sic semper potest evadere peccatum (cf. *S. Thom.* l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 3 ad 5; 1, 2, q. 19, a. 6 ad 3; *Medina* ib.; *Vasquez* 1, 2, disp. 60, c. 2, n. 6, qui tamen aliquid adiungit minus rectum, de quo mox; *Valentiam* 1, 2, disp. 2, q. 14, punct. 15 ad 2; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 11, n. 12; *Rhodes,* Theol. scholast. disp. 2, sect. 2 „Ad quintum"; *Bouquillon,* Fundam. theol. n. 272 etc.).

119. ***Coroll.*** Ergo primum hominis vincibiliter errantis officium hoc est, ut deponat errorem vincibilem. At deponere conscientiam vincibiliter errantem non pro libitu, sed tantum rationabiliter licet[1]; seu non licet mutare iudicium rationis sufficienter fundatum nisi ob rationem solidam et sufficientem, i. e. saltem etiam comparative probabilem. Ita inter alios *Suarez,* De censuris disp. 12, sect. 4, n. 16; *Sanchez* l. c. l. 1, c. 11, n. 10; *Rhodes* l. c. disp. 2, q. 2, sect. 2, § 2 „Quartum". Et ratio huius rei est, quia aliter, i. e. pro libitu, deponere conscientiam vincibiliter errantem, insignis quaedam temeritas est et hominem exponit innumeris periculis peccandi.

Quaeres: Fierine saltem physice possit, ut homo pro libitu iudicium rationis vincibiliter errans deponat. *Respondeo,* posse physice id sine dubio fieri. Nam error vincibilis caret evidentia. Ergo iudicium subest imperio libero voluntatis. Ergo potest deponi.

---

[1] Licere pro libitu id facere censet *Caietanus* 1, 2, q. 19, a. 5. Affert pro eadem sententia merito *Sanchez* l. c. n. 9, *Valentiam* 1, 2, disp. 2, q. 14, punct. 4. *Azor* vero tom. I Instit. moral. l. 2, c. 19 in fine, quem etiam pro ea sententia *Sanchez* laudat, revera contrarium docet. *Caietani* sententia in ea tantum conditione vera est, quando quis temere et sine iusta causa aut sine sufficienti auctoritate errorem concepit. Nam tum potest eum sine ratione deponere, re melius considerata et cognoscendo, se sine sufficienti ratione eam sententiam concepisse (cf. *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, a. 4, n. 3sq; *Tanner,* Theol. scholast. disp. 2, n. 42).

120. *Quaeres:* Si ita est, si ante omnia conscientiam vincibiliter errantem debemus deponere, numquid vere et proprie dici possit, ipsam ut sequamur, nos vere obligari. Videtur enim id merito dici non posse. Nam non ad eius sequelam, sed ad eius depositionem per se obligati sumus. *Respondeo:* Sunt qui ita loquendum esse censeant. Dicunt cum Durando l. 2, dist. 39, q. 5, n. 7, vincibiliter errantem conscientiam non obligare nos, sed tantum ligare. Nam obligamur sententia Durandi tunc tantum, quando debemus omnino facere id, ad quod dicimur obligari, ita ut aliter quam ipsum operando ab obligatione liberare nos ipsi non possimus. Ligari vero dicimur, quoties non possumus licite aliquid operari, quia *interim* impedimur vel retinemur aliquo vinculo morali, hic conscientia erronea, ne facere id possimus, quod ceteroquin facere licet. Nam quando v. g. habemus vincibili errore malum et prohibitum id, quod per se bonum est, per se quidem possumus ipsum licite amplecti, quia vero per accidens ipsum reputamus hic et nunc malum, ab ipso licite amplectendo prohibemur. Ligamur igitur, non obligamur. — Nec multum differunt ab hoc dicendi modo alii, qui dicunt, nos non obligari simpliciter ad illud, quod conscientia vincibiliter errans iubendo vel vetando proponit, sed disiunctive, scilicet ut aut deponamus eam conscientiam aut ut secundum ipsam faciamus[1]; vel illi, qui asserunt conscientiam vincibiliter erroneam nos quidem non ligare vel obligare, ut sequamur illam, quia debemus eam deponere; obligare tamen vel ligare negative, ne faciamus contra eam (cf. *Vasquez* 1, 2, disp. 60, c. 2; *Azor,* Instit. mor. l. 2, c. 8, q. 8; cf. etiam *Martinon*, De act. hum. disp. 14, sect. 3[2]). — *Respondeo:* Quaestio non est magni momenti

[1] Adscribitur ea sententia a *Suarezio* disp. 12, sect. 4, n. 11 *Halensi,* et ut videtur merito (cf. *Halensem* l. 2, q. 120, membr. 3, a. 1).

[2] *Martinon,* Disp. theol. II, disp. 14, sect. 3, n. 67 sqq vult nullo modo nos nec ligari nec obligari conscientia vincibiliter erronea, sed tantum nos obligari ad eam deponendam. At hoc non recte dicitur. Nam conscientia erronea, dum adest, obligat nos immediate, ne legem Dei despiciamus vel

multumque habet de modo loquendi. Verius nihilominus videtur dicendum, conscientiam vincibiliter erroneam vere nos obligare ad ipsam sequendam. Etenim etiam illud, quod conscientia vincibiliter erronea nobis proponitur, nihilominus, saltem interim nobis obversatur, ut praeceptum a Deo. Ab hoc autem, dum manet, sine Dei offensione et vilipensione non possumus recedere. Iam vero concipere aliquid, ut iussum a Deo et a quo sine eius offensione et vilipensione non possumus recedere, est videre seipsum ad id sequendum obligatum. Ergo. . . — *Praeterea* non possumus ligari ad aliquid vel omittendum vel agendum sine vera et praevia ad idem obligatione. Ergo potius et prius obligamur quam ligamur. Nam non possumus dici ligari, ne in aliquid tendamus, nisi iam antecedenter ab eius prosecutione conscientia prohibemur. Ligari enim secundum adversarios (Durandum) dicit nos vinculo morali retentionis teneri, ne in aliquid tendamus. Huiusmodi autem vinculum non potest nobis inici nisi conscientiae prohibitione. Effectus vero immediatus prohibitionis conscientiae est vera mentis obligatio, ut a re prohibita abstineamus, id vero, quod praescriptum est, faciamus. Ergo ut ligemur, ne aliquid faciamus, debemus iam antea esse ad abstinendum ab eo obligati. Ergo prius obligamur quam ligamur (cf. *S. Thom.* l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 3, ubi constanter modo obligare modo ligare dicit. Item fit q. 17 De verit. a. 3 et 4; 1, 2, q. 19, a. 5 et 6; lect. 1 in epistol. ad Galatas c. 5, 3. Ita etiam *Suarez,* De censuris disp. 12, sect. 4, n. 11; *Ioannes a S. Thoma* disp. 12, a. 2, n. 20 sqq; *Terill.,* De consc. q. 15, n. 11 et q. 17, n. 39 etc.).

121. *Dices:* manere tamen verum, nobis ante omnia incumbere officium, ut vincibiliter errantem conscientiam deponamus. Ergo non obligamur, ut operemur secundum eam, et multo minus, ut operemur contra eam, sed ad hoc unum obligamur, ut vincibiliter erroneam conscientiam deponamus.

---

vilipendamus; quod fieret, nisi ipsam sequeremur; simul tamen, quando vincibilis est, antecedenter nos obligat, ut diligentius inquiramus (cf. obiectionem sequentem).

Ita *Martinon* l. c. — *Respondetur* esse verum, nos debere conscientiam vincibiliter erroneam deponere; et nihilominus, dum manet conscientiae dictamen, debere nos ipsum sequi. Posterius hoc conscientia secum fert, quatenus de se legem Dei ut adimplendam nobis proxime applicat, et propterea, quamdiu adest, ab eius dictamine non possumus sine offensione Dei et peccato recedere debemusque interim saltem ab agendo abstinere. Prius autem officium nobis ex lege quadam superiore altioreque principio incumbit. Nam qui nondum adhibuit sufficientem diligentiam in explorando officio et propterea conscientiam debite compositam nondum habet, is tenetur ante omnia eam diligentiam adhibere et superare vincibilem vel errorem vel ignorantiam; aliter si fecerit, non prudenter et ut oportet, sed temere procedit et agit. Ita autem agere lex ipsa naturalis manifesto vetat. Ergo etiam conscientia vincibiliter errans, dum adest, nos obligat, licet simul obligati simus, ipsum deponere (cf. *S. Thom.* q. 17 De verit. a. 4 ad 4; *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, a. 2, n. 2 sqq; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 11, n. 2).

Assertionem Vasquez supra memoratam nihil opus est refutare, quoniam ex dictis falsam esse constat.

122. *Quaeres 1°,* cuius speciei peccatum sit, quod conscientiam vincibiliter erroneam, praecipientem aut prohibentem, non sequentes, committimus. — *Respondetur:* Est eiusdem rationis et speciei, atque esset, si certum et omnino verum esset dictamen. Ergo quando non mentiris, licet vincibili errore censeas, te ex caritate proximi aut propter magnum eius detrimentum avertendum debere mentiri, contra caritatem proximi eodem modo peccas, ac si verum esset iudicium. Ratio est, quia contra eandem virtutem similiter peccatur. Cf. *S. Thom.* l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 3 ad 2; *Sanchez* l. c. n. 5; *Azor,* Instit. mor. l. 2, c. 8, n. 4; *Valentiam* 1, 2, disp. 4, q. 14, punct. 4, qui tamen addit ita esse per se; per accidens vero posse huiusmodi actum in nulla esse particulari specie peccati, quoniam fieri possit, ut homo tantum cogitet et animadvertat, malum esse sua sententia

id, quod agendum proponitur, et aliud nihil. At hoc nequaquam efficit, actum non esse in particulari specie, sed efficit eum ad eam speciem pertinere, in qua illud obiectum indeterminatum ipsum collocat; quae utique est species determinata, sed innominata. Puto etiam Valentiam aliud nihil velle (cf. huius operis tom. II, n. 146 „Ad sextam", ubi similis quaestio soluta est).

Idem autem dicendum est, quando errantem conscientiam temere et levius deposueris. Peccas eodem modo, ac si illa conscientia adhuc subsistat (*Sanchez* l. c. n. 11). Non plane ita *Tanner,* Theol. scholast. disp. 2, n. 42.

123. *Quaeres 2°,* quodnam maius sit peccatum, agere contra conscientiam vincibiliter errantem an sequi illam. — *Respondeo* per se quidem, ceteris paribus, esse maius peccatum agere contra conscientiam vincibiliter errantem quam sequi illam. Nam id est apertius et manifestius repugnare ei, quod existimatur lex et voluntas Dei. Nihilominus frequenter lex, quae ob vincibilem errorem non investigatur, sed negligitur, *tanti apparet atque est momenti,* ut multo maius peccatum sit sequi conscientiam vincibiliter errantem quam agere contra eam. Sic qui aestimat se venialiter peccare contra caritatem, nisi satis magnam vim pecuniae furetur aut peieret, ut subveniat proximo, certo magis peccat, quando sequitur conscientiam quam quando contra ipsam agit. In priore enim casu peccat mortaliter, furans cum conscientia vincibiliter errante, i. e. culpabiliter, magnam pecuniae vim aut peierans; in posteriore vero casu venialiter tantum peccat omittens facere id, ad quod faciendum se sub peccato veniali obligatum esse censet. Quare de singulis tantum actibus et peccatis aliquid cum solido fundamento in hac re pronuntiari potest, considerata et lege eiusque materia, quae culpabiliter negligitur, et lege ac materia, quae praescribi vel vetari existimatur (cf. *S. Thom.* l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 3 ad 3; *Rhodes,* De act. hum. disp. 2, q. 2, sect. 2, § 2 „Sextum"; *Azor* l. c. l. 2, c. 8, n. 9; *Sanchez* l. c. l. 1, c. 11, n. 15; *Vasquez* 1, 2, disp. 60, n. 11).

124. *Quaeres 3^io^,* quid sit agendum illi, qui praevidet, se mox in perplexitatem casurum, nisi dubia, quae modo fovet circa conscientiam, tempestive solvantur. — *Respondeo* eum eorum solutionem quaerere debere, priusquam tempus exsequendi operis omnino instet, sive per recursum ad principia synderesis et ethicae, sive recurrendo ad peritos eorumque scripta. Si id facere omittat, peccat, et eo quidem peccato vel iis peccatis, quibus committendis voluntaria negligentia vel affectata malitia se exponit (cf. *Schildere,* De princip. consc. form. n. 27).

125. *Quaeres 4°:* Sitne ad hoc, ut propter conscientiam culpabiliter errantem denuo peccemus, necessarium, ut errorem aut eius saltem periculum aliquo modo denuo (hic et nunc) advertamus. — *Respondeo* id esse necessarium. Qui enim id prorsus non denuo animadvertit, is hic et nunc, quando denuo operatur, invincibiliter errat. Quomodo enim superare possumus errorem hic et nunc, quem ne suspicamur quidem adesse? Aliquando autem eum advertisse et modo eius nihil recordari, nihil potest iuvare (*Sanchez,* Decal. l. 1, c. 11, n. 7; *Azor,* Instit. mor. l. 2, c. 8, n. 12; *Vasquez* 1, 2, disp. 60, c. 3, n. 13 sq; *Tanner* l. c. q. 6, dub. 2, n. 26; *Rhodes* l. c. § „Tertium"). Ceterum facile accidere potest, ut aliqua culpa moralis, unde illa inadvertentia actualis ortum ducat, praecesserit, quamvis modo nihil periculi in agendo advertamus: sed tunc potest esse et est peccatum in causa, hic et nunc nihil peccamus. Potest porro huiusmodi actio denominari peccatum a culpa praeterita. Sic v. g. praevidens feria quarta ex lege ecclesiae sequenti die dominica sacrum a se esse audiendum et leviter sibi ob inanem rationem formans iudicium, nihil se peccaturum esse, si eo die absit a sacro; deinde vero nihil amplius de eo praecepto sollicitus et suo iudicio quasi bene et solide formato confidens abest a sacro, is videtur iure dici absentia sua a sacro peccare, at non nova culpa, sed praecedenti in causa. Cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 77, a. 7; 2, 2, q. 79, a. 3 ad 3 et q. 150, a. 4; lect. 7 in 1 cap. ad Rom., ubi in simili de ignorantia ita docet. Alii plurimi idem tradunt, inter quos *Sanchez* l. c. c. 16, n. 46; *Rassler,* Norma recti disp. 2, n. 23; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 755 sqq.

126. *Quaeritur 5°: Praeceptumne superioris magis obliget quam propria conscientia errans, sive vincibiliter sive invincibiliter*[1]. — *Respondetur* per se magis obligare conscientiam. Contrarium quidem *videtur* docere *S. Bonaventura* l. 2 sent. dist. 39, a. 1, q. 3 ad 4 in fine. Ibi enim sic: „Patet etiam, quod plus standum est praecepto praelati quam conscientiae, maxime quando praelatus praecipit, quod potest et debet praecipere." Editores tamen novae editionis operum S. Bonaventurae putant, verba licet discrepent, sensum non esse diversum a communi sententia. Vide scholion ad l. c.

Communem igitur sententiam tradunt inter alios *S. Thomas* l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 3 ad 3; q. 17 De verit. a. 5; *Suarez,* De virt. relig. IV; De relig. Soc. Iesu l. 4, c. 15, n. 17 sqq; *Vasquez* l. c. disp. 61, c. 1, n. 4; disp. 62, c. 6, n. 33; *Sanchez* l. c. c. 11, n. 16; *Ioannes a S. Thoma* disp. 12, a. 2, n. 38 sq; *Castro-Palaus,* De consc. disp. 3, punct. 13, n. 2, ubi alii multi idem sentientes laudantur; *Tanner* disp. 2, q. 2, dub. 2, n. 27 sqq; *Rhodes* disp. 2, q. 2, sect. 2, § 2 „Quintum" etc. Ratio est, quoniam omne dictamen conscientiae sive iubens sive vetans, etiam errans si est, nihilominus quamdiu perseverat et non prudenter deponitur, prout saepe superiore contrarium iubente prudenter deponi et potest et debet, menti obversatur ut lex vel praeceptum Dei, quodque ut regula morum proxima exsequendum sit. Magis autem lex Dei vel quod pro ea habetur obligat quam ulla humana lex vel praeceptum. — Ceterum potest et debet deponi conscientia errans, superiore aliquid iubente, multiplici in casu: 1° quoties superior modo iubens aut est superior aut successor eius, qui olim legem condidit aut praeceptum, quod obstare videtur, dedit; nam potest huiusmodi superior legem aut praeceptum olim datum, prout vult,

[1] Hic casus v. g. accidit, si aliquis per errorem propriae conscientiae existimat se non contraxisse verum et validum matrimonium, et superior ecclesiasticus nihilominus iudicat, ipsum esse verum et validum praecipitque ideo cohabitationem, an liceat operari, stante erronea propria conscientia, secundum sententiam superioris.

abolere; 2° quando superiori modo iubenti saltem potestas est etiam in lege sui superioris dispensandi, quod in casu facere videtur (cf. *Suarez* l. c. n. 22); aut quando 3^io^ auctoritas privata superioris modo iubentis ob scientiam et prudentiam tanti valet, ut praesens praeceptum reddat contra illud praeceptum, quod supponitur adesse, omnino saltem probabile. Habetur igitur probabilitas ex utraque parte, in quo casu inferior debet cedere[1]. Hoc ultimum potissimum usuvenit in lege naturali vel in positiva lege divina. Nam Deus, qui has leges condidit, nec superiorem habet nec successorem, neque ullus inferior habet proprie potestatem dispensandi in eius lege[2]. Ergo nulla alia via reliqua est, qua a lege Dei, qua nos putamur obligari, liberi evadamus, quam via, qua probabiliter saltem cognoscimus eam legem non exsistere; sic enim possumus, et quae sunt circumstantiae, debemus etiam iudicare, eam hic et nunc nihil nos obligare[3]. De qua re infra plura.

In his igitur circumstantiis potest et debet inferior deponere superiore iubente conscientiam propriam, et nisi facit, peccat non oboediens pro gravitate rei aut graviter aut leviter. Peccat igitur is, qui propriam conscientiam deponere potest et debet, nisi deponit, semper, sive sequitur eam sive non sequitur.

---

[1] De hac quaestione *Suarez* De virt. relig. IV, l. 4; De relig. Soc. Iesu c. 15, n. 23 haec disserit: „Praeterea considerandum est, aliquando talem posse esse personam superioris, ut eius auctoritas possit probabilem efficere partem illam, quae antea talis non apparebat nec iudicabatur, ut si non solum religiosus et pius, sed etiam doctus satis et prudens habeatur: tunc enim ponderari poterit auctoritas eius et ratione illius oboedire non obstante priori iudicio. Si quis autem recte consideret, in eo casu non oboeditur contra iudicium moraliter certum, nec consideratur praelatus formaliter tantum ut praelatus est, quod ad oboedientiam spectat, sed consideratur ut homo doctus et prudens est; et ut sic praebet prius auctoritatem rei praeceptae *tollitque consequenter moralem certitudinem prioris iudicii*, et tunc locum habet oboedientiae efficacitas."

[2] Cf. *Suarez*, De legibus l. 2, c. 14, n. 8 sqq; l. 10, c. 6, n. 7 sqq; praesertim n. 11 et 14.

[3] Cf. *Suarez*, De virt. relig. n. 21.

127. *Dices 1°,* videri ea inter se pugnare, quae de conscientia erronea asseruimus. Secundum enim dicta in propositione debemus, ne peccemus, sequi dictamina conscientiae erroneae. Ergo si conscientia errans iudicat, tibi esse mentiendum, ne vel proximus vel ipse gravissimum detrimentum patiamini, debes mentiri. Ita autem iam non falsum, sed verum et rectum videtur esse illius conscientiae dictamen. Debes enim sequi eam. Ergo conscientia errans erronea esset et falsa ex suppositione, vera et recta propter obligationem, quam inducit. Quomodo haec inter se componuntur? — *Respondetur:* Est et manet illud iudicium, ut directe in mentem cadit, vere et simpliciter erroneum, quia difforme est ab ordine obiectivo rerum, qui est is, ut numquam per se et antecedenter, rebusque, quales in se sunt, perspectis, liceat mentiri; quod tamen in casu iste errans opinatur. Nihilominus quando consideramus obiectum, prout iam in mente errantis repraesentatur et pro vero accipitur, merito iudicamus reflexe, debere nos ei, quatenus adest et verum apparet, agendo conformari et accommodari. Nam Deus nobis rationem inseruit, quam proximam in agendo regulam sequamur. Ratio autem obiectum ut tale vel tale, i. e. ut malum aut ut bonum necessarium, actu exhibet. Nisi igitur Deus velit, ut ipsam sequamur, vellet nos voluntate amplecti id, quod menti obversatur ut inordinatum et malum. Hoc autem aliud nihil est, quam ipsum velle, ut malum, quod putamus, male velimus. Quae cum ita sint, debemus conscientiam erroneam sequi hypothetice, quoties adest, et consequenter, quoties invincibilis est, i. e. invincibiliter vera putatur, *concedo;* simpliciter et antecedenter, *nego.* Unde consequitur, ipsam, etsi eam sequi debemus, tamen simpliciter falsam esse et manere; veram tamen saepe esse subiective vel practice.

Dices 2°, actum invincibiliter erranti conscientiae conformem non posse esse bonum et laudabilem. Nam bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Invincibiliter erronea conscientia autem dicit insignem et magnum dictaminis a recto rerum ordine defectum. Ergo. . . . — *Respondetur,* falsum

sensum hic tribui illi dicto (cf. n. 115, ubi hoc explicatum est).

128. *Dices 3io.* 1°. Conscientiam etiam invincibiliter erroneam non licet sequi. Nam omne certum supponit et implicat verum. Quam autem sine peccato nobis unam licet sequi conscientiam, certa esse debet. Ergo debet esse vera. Ergo.... — 2°. Conscientia non obligat perfecte, nisi quatenus manifestat nobis legem aeternam Dei. Sed conscientia etiam invincibiliter erronea opponitur legi aeternae Dei. Ergo.... — 3io. Oportet Deo magis oboedire quam hominibus. Iam vero conscientia proprie loquendo est vox hominis, quae hic contraria est legi Dei. Ergo.... — 4°. Lex inferioris non potest obligare contra legem superioris. Atqui conscientia invincibiliter erronea est lex inferioris, quae verae legi Dei contrariatur. Ergo....

Ad 1um respondetur: Nego assertum. Ad eius probationem: *Distinguo maiorem:* Omne certum supponit et includit verum: aut verum speculativum aut saltem practicum, *concedo maiorem;* tantum verum speculativum, *nego maiorem. Concedo minorem. Distinguo consequens:* Sequeretur, si conscientia invincibiliter erronea vero tam practico quam speculativo careret, *concedo consequens;* si tamen solo vero speculativo caret, ut eo solo revera caret, *nego consequens.* Etenim adest veritas practica, quae consistit in conformitate dictaminis conscientiae cum obiecto prouti in mente invincibiliter et inculpabiliter versatur. Hoc autem sine dubio sequi licet (cf. supra n. 57). *Ad 2um. Distinguo maiorem:* Conscientia non obligat perfecte, nisi quatenus nobis manifestat seu certo nuntiat legem aeternam Dei aut antecedentem aut saltem consequentem, *concedo maiorem;* tantum quatenus nobis manifestat voluntatem Dei antecedentem, *nego maiorem. Contradistincta minore, nego consequens.* Intelligitur ex dictis. — *Ad 3ium. Concedo maiorem. Distinguo minorem:* Conscientia est vox hominis, qua nobis manifestatur voluntas hominis propria, *nego minorem;* qua nobis per se manifestatur voluntas Dei vera aut antecedens aut saltem consequens, *concedo minorem.*

Nego consequens (cf. *S. Thom.* q. 17 De verit. a. 4 ad 2; 1, 2, q. 19, a. 5 ad 3). — *Ad 4um. Concedo maiorem. Nego minorem.* Numquam conscientia invincibiliter erronea est mera lex inferioris seu hominis eiusque manifestatio, sed semper indirecte lex quaedam Dei est. Deus enim stante invincibili errore in mente nostra, vult nostrum modum agendi huic obiecto accommodari.

129. *Dices 4°:* Quamvis sciat homo vetitum sibi esse divinitus mendacium, tamen si revera invincibilis error conscientiae a peccato excusat, licet nihilominus mentiri, quoties homo invincibiliter putat, adesse rationes, quae mendacium in casu excusent. Ergo hac sententia admissa etiam cognitam Dei legem interdum sine peccato licet transgredi; quod facile perspicis, quam malas consequentias inducat. — *Respondetur: Distinguo antecedens:* Id licet homini scienti vetitum sibi esse divinitus mendacium, quando naturam mendacii in propria ratione mente sua penetrans, vel alia via, percipit ut intrinsecus et absolute inque omni eventu malum, *nego antecedens;* quando eius natura non satis penetrata nec alia via, ipsum percipit quidem ut malum quoddam per se neque tamen ut absolute et in omni eventu malum, *concedo antecedens. Distinguo* similiter *consequens:* Licet divinam legem cognitam sine peccato transgredi, quoties cognitio demonstrat obiectum ut absolute et in omni eventu malum, *nego consequens;* si aliter cognoscitur ut malum, *subdistinguo:* quando homo invincibiliter opinatur, adesse circumstantias, quae id, quod per se malum est, satis a malitia excusant, *concedo consequens;* secus si est, *nego consequens.* Quid autem in hac assertione absurdi est, quandoquidem videmus etiam gravissimos theologos in quaestione, v. g. de absoluta malitia mendacii, diu ambiguos haesisse atque dubitasse, semperne et in omni casu malum sit, an tantum sit malum per se, quod tamen per accidens a malitia possit liberari? Cf. huius operis II 497 503. Similiter in aliis casibus dicendum est.

130. *Oppones 5°:* Qui non est sacerdos, ob invincibilem suam aestimationem, se sacerdotem esse, non fit sacerdos nec

valide administrat sancta sacramenta. Nec qui laicum, quem invincibiliter habet clericum, percutit, ideo subiacet excommunicationi. Ergo invincibilis error non efficit, ut actiones nostrae aliter aestimentur. — *Respondeo ad 1^um:* Tale iudicium invincibiliter erroneum non confert ullam potestatem neque characterem; invincibilis vero error in moralibus efficit, ut bonum et praeceptum, quod iudicamus malum, et malum, quod iudicamus invincibiliter bonum, vere afficiat affectum et actum nostrum tendentem in ipsa aut male aut bene, prout supra ostensum est. *Ad 2^um:* Poena excommunicationis lata est in delictum, quatenus transit in reale factum; unde, etsi culpa theologica eadem est in percutiente clericum, qui vere est clericus, et in percutiente laicum, quem clericum falso habet, poena tamen positiva non est eadem.

131. *Oppones 6°:* Videri absurde dici, Deum voluntate antecedenti aliquid absolute prohibere et consequenti idem permittere, immo iubere. Aeternus enim Dei intuitus omnia simul videt; quomodo igitur in ipso aliquod prius et posterius discerni potest? — *Nego assertum.* Ad rationem: Sine dubio Deus omnia simul videt, et sic non solum res omnes absolute et secundum seipsas videt, sed etiam ordinem et dependentiam singularum rerum, unius ab alia simul perspicit. Quando igitur dicimus, Deum velle antecedenter, ut aliquid sit absolute et semper prohibitum, asserimus unum hoc, Deum ob suum intuitum aeternum penetrantem naturam omnis rei omnisque actionis, et quae sunt ipsarum propriae et intrinsecae conditiones, per se velle, ut homines ab his obiectis et his actionibus semper caveant, alias vero operentur. Quia autem simul videt, homines naturas obiectorum vel actionum suasque ad ea habitudines saepissime omnino non aut saltem non satis penetrare nec posse penetrare, iudicat, homines prudenter pro sua conditione agere, quando ita se erga res et actiones gerant, quomodo ipsae invincibiliter et inculpabiliter in eorum mentibus exstant et repraesentantur; et hunc se habendi modum hominum erga res approbat Deus vultque eos ita agere.

Haec autem Dei volitio, consequens statum rerum in mentibus hominum, merito voluntatem Dei consequentem appellamus. Vides in hoc considerandi modo nihil absurdi, nihil contineri, quod supremae sapientiae non sit consentaneum. Simili modo dicendum est de iis rebus et actionibus, quae positiva tantum Dei lege iussae vel prohibitae sunt.

132. ***Scholion.*** Quid ipse *S. Thomas* sentiat de quaestione invincibilis erroris, tollatne tantum rationem mali ab actione, quae cum ipso elicitur, an eam etiam reddat formaliter et vere bonam et meritoriam, olim valde controvertebatur. *Camargo, Elizade, Concina,* alii antiprobabilistae, ut v. g. *Alfaro,* strenuus *Thyrsi Gonzalez* antiprobabilistarum primipili defensor, in „Censura censurae" n. 37 vehementissime commoventur, quando audiunt, posse nos aliquid moraliter malum invincibiliter bonum habentes et exsequentes, non tantum non male agere, quod concedunt, sed etiam bene et laudabiliter atque meritorie apud Deum operari. Hoc pernegant. Laudant pro hac sententia plures ex gravissimis theologis[1], imprimis vero *S. Thomam,* quem hanc sententiam defendere apertissimum esse contendunt. Proferunt hos praecipue locos: q. 17 De verit. a. 4; l. 2 sent. dist. 39, q. 9, a. 3; 1, 2, q. 19, a. 6 praecipue ad 1. *Primo loco,* ubi quaeritur: „Utrum conscientia erronea ligat"; post relatam sententiam negantem, haec exstant: „Sed qui hoc dicunt, non videntur intelligere, quid sit conscientiam ligare. Secundum hoc enim conscientia ligare dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurret; non autem hoc modo, quod aliquis implens recte faciat." His addit *Concina* hanc expositionem l. c. n. 5: „Evidens ergo est secundum Angelicum, conscientiam erroneam ligare seu adstringere, ut secundum eam homo operetur ita, ut, qui eam non impleret, peccatum incurreret. Qui vero e

[1] Cf. *Concina,* Apparatus II, diss. 1, c. 5, n. 27. Sed quem laudant *Ruiz de Montoya,* De voluntate Dei disp. 14, sect. 3, n. 13 quaestionem hanc tantum obiter tangit. De *S. Bonaventura* l. 2 sent. dist. 39, a. 1, q. 3 cf. *Rassler,* Norma recti disp. 1, n. 368 et scholion ad recentiorem S. Bonaventurae editionem.

contrario illam impleret, excusaretur a peccato. . . .“ Quid inde? Ergo recte et honeste operaretur? Minime gentium, reponit Angelicus. „Non autem hoc modo, quod aliquis implens *recte* faciat.“ Ita *Concina.* — *Alterum,* quod afferunt testimonium est: „Si fiat aliquid, quod est secundum se malum, quod errans ratio iudicat bonum, peccatum non evitat.“ — *Tertium* tandem testimonium supra n. 115 iam allatum est hoc: „Ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum.“ Hi sunt praecipui loci, quibus *S. Thomam* suam confirmare sententiam opinantur. Contradicunt tamen ipsis longe plurimi et gravissimi theologi; quorum multa nomina vide apud *Rassler,* Norma recti disp. 1, n. 368; quibus addatur praeter alios plurimos ex recentioribus *S. Alph.,* Mor. l. 1, c. 1, n. 5 sqq.

Et profecto tantum abest, ut *S. Thomas* pro ipsis sententiam ferat, ut ipsis locis, quos commemorant, plane conficiantur. *Incipiamus ab ultimo,* de quo iam supra egimus. Dicunt, qui nobiscum sentiunt, *S. Thomam* satis aperte hic quaestionem sub distinctione conscientiae involuntarie errantis affirmare. Et ita est. Quaerit: „*Utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona.*“ Statim vero in ipso exordio responsionis declarat, *hanc quaestionem eandem esse cum altera, qua quaeritur: Utrum conscientia erronea excuset.* Ergo secundum S. Doctorem idem omnino est, conscientiam voluntatem a peccato excusare et voluntatem ei concordantem bonam esse. Quare quando in ipso hoc articulo sexto explicite affirmat, conscientiam involuntarie errantem voluntatem a peccato excusare, sane simul affirmat, ob talem conscientiam voluntatem bonam esse. Quae autem conscientia magis involuntarie errat quam invincibilis? Quare nihil profecto officit, quod in ipso articulo tantum hoc explicite asserit, huiusmodi voluntatem non esse malam vel a peccato excusari. Nam 1° hac assertione profecto non negat, eam etiam esse bonam; immo 2° id ex generali doc-

trina *S. Thomae* manifesto et immediate sequitur. Cf. Quodlib. 3, a. 27, ubi idipsum in hac quaestione explicite statuit. Etenim secundum ipsum actus indifferentes in individuo nulli sunt[1]. Ergo nisi actus particularis malus est, eo ipso bonus est. Ceterum — et hoc notetur — nisi ita conclusisset, ad propositam in inscriptione articuli quaestionem non respondisset. Hoc autem ipsum fecisse, concedi non potest. — Sed praeterea principia in praecedenti articulo enuntiata idem evincunt. Nam ibi haec exstant: „Non solum id, quod est indifferens, potest accipere rationem boni vel mali per accidens, sed etiam id, quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud, quod est malum, rationem boni propter apprehensionem rationis. Puta abstinere a fornicatione bonum quoddam est, tamen in hoc bonum non fertur voluntas, nisi secundum quod a ratione proponitur. Si ergo proponatur ut malum a ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali. Unde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id, quod malum est per se, sed id, quod est malum per accidens propter apprehensionem rationis.“ Ergo similiter licet nobis addere: Quando voluntas in obiectum per se malum tendit, prout rationem obiecti boni propter invincibilem apprehensionem rationis per accidens habet, actus voluntatis erit bonus, quia vult bonum, non quidem quod bonum est per se, sed quod bonum est per accidens propter invincibilem apprehensionem rationis. Addere oportet propter invincibilem apprehensionem rationis; nam si vincibiliter tantum reputatur bonum id, quod malum est, sane tendere in ipsum malum est, quia in ipsa voluntaria retentione erroris peccatur. Sed quando hac limitatione addita concludimus id, quod conclusum est, quid habes, quod in conclusione iure reprehendas, aut quid in eo est principiis Aquinatis non consentaneum? Maneat igitur, *S. Thomam*

[1] Cf. *S. Thomam*, Supplementum q. 49, a. 4, ubi haec: „Ex eodem habet actus aliquis, quod non sit malus in genere moris et quod sit bonus, quia non est aliquis actus indifferens“ (cf. 1, 2, q. 18, a. 9; l. 2 sent. dist. 40, q. 1, a. 5, ubi idem tradit).

ipsum his locis id tradidisse, quod nos tradidimus supra, scil. eum, qui sequitur conscientiam invincibiliter errantem habendo id invincibiliter pro bono, quod a parte rei est malum, non solum non peccare, sed etiam bene et laudabiliter et pro conditionibus etiam meritorie agere (cf. *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. morale tr. 2, c. 1, n. 24).

133. Sed *instant* adversarii, *S. Thomam* contrarium diserte affirmare eo ipso articulo sexto ad primum. Nam explicite statuit, sufficere ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, „sive quod secundum naturam sit malum sive quod apprehendatur ut malum, ad bonum vero requiri, quod utroque modo sit bonum". Ergo ad malum et operationem malam sufficit, ut solum obiectum sit malum. Tale igitur opus, quod obiectum a parte rei malum habet, certo secundum S. Doctorem nec bonum nec laudabile nec meritorium esse potest, cum ipse dicat, sufficere obiectum malum, ut malus sit actus. — *Respondeo,* si ita intelligas locum, *S. Thomam* sibi ipsum manifesto et in eodem quidem articulo contradicere, quod sane admitti nequit. Quid enim? Nonne in ipso articulo negatur, tale opus esse malum, quod ponitur sub invincibili apprehensione, bonum esse obiectum, licet a parte rei malum sit? (Cf. supra n. 116.) Ergo sola obiecti malitia non sufficit ad reddendum opus malum. Quomodo igitur locus explicandus? Supra dedi aliquam explicationem, quam omnino probabilem habeo. Addo aliam, quam etiam valde probabilem esse puto. Sufficit ad hoc, ut malus evadat actus deliberatus noster, *si tendimus in obiectum malum, nullo formato de eius honestate vel inhonestate iudicio,* sicut ad eundem effectum etiam sufficit, si tendimus in obiectum bonum, quod iudicatum est malum. Contra ad bonum actum efformandum minime sufficit, ut obiectum sit bonum, sed accedere omnino oportet iudicium, quo pronuntiatur, obiectum esse bonum. Defectus vero huiusmodi iudicii per se solus sufficit, ut malus sit actus. Quod ultimum omnino verum est. Nam ut bonum operemur, debemus bonum, ut tale est, positive et propter se prosequi,

quod, nisi ipsum ut bonum cognoscamus, fieri non potest. Sed ad malum operandum id opus non est. Sufficit alterutrum: aut ut id malum putemus, quod bonum est, aut ut temerarie (non formato honestatis iudicio) in malum proruamus. Vides, quomodo et cur plus requiratur ad actum, ut bonus sit quam ut sit malus.

134. *Iam ad locum ex „Quaestionibus disputatis" veniendum.* Affirmabat *S. Thomas* contra eos, qui ligationem conscientiae falso intelligebant, ligationem conscientiae unum hoc dicere, ut omnis, qui conscientia ligatus est, agendo contra ipsam necessario et semper peccet; scil. quamdiu conscientia haec manet et non deponitur; neque tamen ipsam secum ferre alterum, ut omnis, qui sequitur ipsam, iam ideo de se et semper recte et laudabiliter agat; id enim impediri potest, quoniam in ipsa conscientia erronea formanda et retinenda saepe committitur peccatum. Et profecto possumus ideo conscientia peccaminose errare, quia vincibilis cum esset, vincere ipsam negleximus aut saltem eam vincere non sufficienter studuimus. Tantum igitur abest, ut sequendo erroneam conscientiam bene et laudabiliter semper agamus, ut saepius peccemus. Neque tamen hac veritate admissa, sequitur, ne sequendo invincibiliter erroneam conscientiam bene et laudabiliter agamus. Ergo hoc loco nihil contra nos efficitur. Verissime autem *S. Doctor* hoc addit: „Non igitur propter hoc conscientia dicitur ad aliquid ligare, quod, si illud fiat, ex tali conscientia bonum sit, sed quia, si non fiat, peccatum incurritur"; hoc nimirum per se et semper locum habet, illud vero quandoque et per accidens, quando erronea conscientia simul est invincibilis.

135. *Ad id, quod profertur ex l. 2 sent. dist. 39, q. 3, a. 3, respondetur,* agi eo loco de conscientia errante vincibiliter. Id patet 1° ex responsione ad 5^{um}, ubi docet conscientiam erroneam posse deponi; quod de una conscientia, quae vincibiliter errat, verum est; 2° ex ipso articulo, ubi docet, eum, qui facit aliquid malum, quod putat bonum, peccatum non evitare.

Iam vero verum id non est, ipsis adversariis fatentibus, nisi conscientia erret vincibiliter; quod idem etiam manifesto patet ex 1, 2, q. 19, a. 6. Nam distinguens ibi errorem conscientiae invincibilem a vincibili, diserte fatetur, priorem a peccato semper excusare, posteriorem vero minime. Quare supple sententiam *D. Thomae* hoc modo: „Si fiat aliquid, quod est secundum se malum, quod *vincibiliter* errans ratio iudicat bonum, peccatum non evitat; si autem non fiat, peccatum incurritur." Quid in his contra nos?

Habes solutione praecedentis obiectionis etiam, quod ad alium locum *S. Thomae,* quem supra n. 60 iam attigimus et quem hic etiam afferre solent, respondeas. Exstat in Quodlib. 8, n. 13: „Quod agitur contra legem", inquit *S. Doctor,* „semper est malum nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientam." — Repone, id esse malum semper quidem materialiter nec excusari a peccato formali dictamine conscientiae errantis, nisi ipsa invincibiliter errat; quando enim vincibili errore errat, malum esse formaliter etiam et peccari (cf. *Mayr,* Theol. schol. tr. 4, n. 271 sqq; *Terill.,* De conscientia q. 29, n. 7 sqq).

136. *Quaeres:* Num ut vera admitti possit sententia, secundum quam aliquis, qui novit aliquam actionem externam reapse positam, v. g. fornicationem, esse peccatum, invincibiliter possit putare eius desiderium non esse peccatum, et proinde, num tale desiderium libere fovens, quoties externa actio non sequitur, liber sit ab omni culpa. Ita quidem censent inter alios *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 16, n. 16 et 17; *Granado,* De peccatis tr. 2, disp. 2, sect. 2; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 34; negant vero *Oviedo* 1, 2, tr. 4, controv. 1, punct. 5; *Liguor.* l. 1, n. 19; *Bucceroni,* Instit. morales n. 108. — Principalis ratio priorum est distinctio obiecti, prouti in re ponitur, et obiecti, prout subest desiderio. Hoc alterum putant per se a priore distingui, et propterea censent, posse fieri, ut v. g. rusticus, qui „a viro aestimato docto et pio audisset, fornicationem et furtum externa esse peccata, at licere fornicandi et furandi desiderium",

bona fide et invincibiliter arbitraretur ita et operaretur, et proinde sine peccato talibus desideriis indulgeret. At hoc quamvis probabiliter dici posse existimem, quando de aliquo inefficaci desiderio agitur, quo quis vellet fornicari aut furari, si peccatum non esset[1], *de efficaci* tamen *desiderio,* cui per accidens effectus deest, *id ullo modo probabiliter asseri posse non censeo.* Nam huiusmodi desiderium tenderet in ipsam rem, quam scit et videt, sine peccato poni non posse. Vult igitur ipsum actum externum, quem cognoscit esse peccaminosum, atque adeo ipsum volens efficaciter, sine dubio peccat, etsi ipse actus per accidens non sequitur[2] (cf. *Gaudé,* Opera mor. S. Alphonsi l. 1, c. 1, n. 9 nota).

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

137. *Dico: Debet omnis dubitans de liceitate alicuius actionis, saltem quando dubium ob probabilem aut probabiliorem sententiam non deponitur, semper eligere id, quod tutius est, igitur abstinere ab actione, nisi tamen antecedenti bonae fidei possessione ius habet aut quasi ius actionis illius exercendae, et ita dubium practicum tollitur. Quod idem dicendum de dubitante practice circa liceitatem omissionis alicuius actionis. Is, quoties dubium probabili sententia non deponitur, debet item semper tutius eligere, i. e. debet actionem ponere, nisi forte ante-*

[1] Nihilominus vel huiusmodi desiderium per se esset peccatum, quoniam rationes fornicationis et furti et similium intrinsecus et absolute malae sunt, nec conditio illa adiecta obiectum ullo modo immutat. Potest igitur tantummodo sine peccato huiusmodi actus exerceri ab homine erranti, superficiali et valde ignaro.

[2] *Ballerini-Palmieri* (Opus theol. morale tr. 2, c. 1, n. 44) solvere conatur huius doctrinae difficultatem alio modo. Putat, a *Sanchez* tantum quaeri hypothetice, nihil de veritate vel reali possibilitate hypothesis asserendo: Si reapse aliquis internum actum operetur invincibiliter ignorans, eum esse peccatum, licet id de externo et consummato actu sciat, numquid peccet? At videtur saltem *Sanchez* evincere velle, talem de facto ignorantiam adesse posse, et proinde hominem ita operantem nihil peccare. De *Lacroix* cum nonnihil maiore fundamento id dicitur.

cedenti bonae fidei possessione ius aut quasi ius habeat actionis illius omittendae et hac ratione practicum dubium cessat.

1. Quid dubium sit, supra diximus n. 76. Hic agitur imprimis de dubio stricto seu de eo dubio, ubi mens vere suspensa haeret circa liceitatem alicuius actionis aut omissionis in particulari. Ceterum nihil interest, dubitemusne, aut quia vere nobis desunt, aut quia solum putamus, deesse nobis sufficientia ad assentiendum et ad certitudinem liceitatis actionis comparandam motiva. Agitur tamen etiam de opinante, quamdiu mere opinans est, i. e. assentiens directe cum formidine falsi. Quando vero dubium propter vere probabilem sententiam reapse deponitur, et ad practicam in particulari certitudinem liceitatis actionis pertingimus, thesis haec non valet. De hac re infra uberius.

2. Neque principalis valet assertio de dubio incidenti, quando antea fuimus in bonae fidei possessione ad agendum, dummodo tamen in hoc rerum eventu satis solliciti fuerimus ad detegendam veritatem. Nam veritas pro viribus et pro temporis opportunitate semper causa data indaganda est. Quod nisi fit, bona fides antecedens in malam abit, nec ipsa, quae antea fuit, nos quidquam iuvare potest ad recte agendum et peccatum evitandum. Etenim qui non adhibita sufficienti diligentia quaerendae veritatis in actionem ruit, is temere semper et inhoneste agit. Inquisitione autem sufficienti facta et dubio remanente, asserimus, nos posse actionem, de qua agitur, libere et sine peccato exercere, si, quemadmodum dictum est, antecedenter fuimus in possessione bonae fidei circa actionem ponendam.

3. Practice dubitamus, quando dubitamus, liceatne nobis hic et nunc hanc actionem in concreto ponere, non quid de talis actionis liceitate ex directis cognitionis principiis universim iudicetur. Attendendus igitur, obiecto iam stante sub certis conditionibus, usus principiorum auxiliarium, quae iudicium cognitionis directae admodum saepe modificant.

138. 4. Bonae fidei possessio porro est ea alicuius rei detentio, quae locum habet cum conscientia recte hucusque formata, nos iuste rem detinere et animo domini posse de ea disponere. Et haec possessio de se quidem ad unam iustitiam resque, quae proprie fieri propriae dicuntur, pertinet, multique sunt doctores, qui in dubia conscientia eam extra iustitiam excurrere prorsus nolunt[1]; alii vero plurimi sunt, qui privilegium possessionis bonae fidei ad omnem virtutem protendi posse arbitrantur[2], quod verius esse censeo.

139. 5. Tutius, quod in dubio usuvenit, est illa pars contradictionis, quae omne periculum peccandi, etiam mere materialiter, ab agente removet; ut si v. g. dubites, sisne hodie ad audiendam missam obligatus, quando reapse audias missam, id tutius est. Sic enim sive ipsa est in praecepto sive non est, certo certius fieri non potest, ut aut formaliter aut saltem materialiter non audita missa pecces. Ergo tutius, quod dicitur in hoc eventu, positive et perfecte tutum est. Nec aliter per se esse potest. Dico tamen per se. Nam potest accidere, ut aliquid aestimemus etiam invincibiliter esse a peccato etiam materiali remotius, quod tamen vere ei connectitur.

Tutius tamen ne commutes cum certiore. Nam tutum et tutius immediate ad praxim, certum vero et certius ad cogni-

---

[1] Ita censent inter alios *Vasquez* 1, 2, disp. 65, c. 3, n. 8; disp. 66, c. 1, n. 1; cf. c. 4, n. 17; *Azor,* Instit. mor. I, l. 2, c. 18, q. 4 et 5; c. 19, q. 10; l. 11, c. 15, n. 2 et alii plures apud *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 10, n. 10 in medio et alii multi apud *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 502. Cf. etiam *Bouquillon,* Fundam. theol. l. c. n. 296, § „Examinandum" in fine.

[2] Hanc sententiam profitentur inter alios *Sanchez,* De matrim. l. 2, c. 41, n. 32; Decal. l. 1, c. 10, n. 11; l. 2, c. 23, n. 158; *Suarez,* De voto l. 4, c. 5, n. 7 sqq; De act. hum. tr. 3, disp. 12, sect. 5, n. 7 sq; *Lugo,* De iust. et iure disp. 17, n. 87; disp. 23, n. 110; *Tanner* disp. 2, dub. 4, n. 44 et 47; *Ioannes a S. Thoma* disp. 12, n. 8 sqq; *Illsung,* Theol. pract. tr. 1, disp. 1, a. 4, n. 25; *Castro-Palaus* l. c. disp. 3, punct. 2, n. 4 et punct. 6, n. 1; *Moya,* De opinione prob. q. 6, n. 15 sqq, qui multos affert Thomistas, qui idem sentiunt, v. g. *Dom. Soto* in lib. 4 sent dist. 27, q. 1, a. 1, § „Immo vero"; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 502; *Reuter,* Theol. mor. P. 1, n. 82 etc.

tionem directe pertinent. Unde facile fieri potest, ut aliquid sit certius, quod minus est tutum, et tutius, quod minus est certum. Ceterum quo aliqua sententia periculum materialiter legis laedendae certius removet, est etiam tutior a peccato seu nos certius removet a peccato formali (cf. *Suarez,* De virt. relig. II, l. 4, c. 5, n. 15; *Moya,* De opin. prob. q. 6, § 7, n. 56; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 471; *Bouquillon,* Fundam. theol. n. 291).

140. 6. Difficultas hic ex duobus adagiis iuris, quae sibi videntur opponi, potissimum enascitur. Unum est illud: „In dubio tutiorem partem esse eligendam." Hoc enim adagium a Summis Pontificibus in decretalibus literis saepius usurpatur et ut ratio decisionis additur. Ergo certum et sequendum est. Cf. cap. „Ad audientiam" De homicidio; cap. „Significasti" ib.; cap. „Illud" De clerico excommunicato ministrante; cap. „Iuvenis" De sponsalibus; cap. „Exivi" In Clementinis De verborum significatione. — Cui consonat illud, quod adscribebatur *S. Augustino,* Homil. l. 5, homil. 41 inter 50: „Tene certum, dimitte incertum." Nam quod tantum dubie licitum est, id bonumne sit, valde incertum est. Ergo S. Augustino auctore id, quod est dubium, dimittendum est. — Addunt dicti adagii confirmationes plures; inter alias has: 1°. Inter duo mala, quorum alterum est necessario eligendum, praeferri debet id, quod minus est. Ergo a fortiore quando dubium est, sitne aliquid illicitum, eligendum id est, quod est tutius, et cui nullum prorsus subest periculum peccandi. 2°. Nisi hoc adagium verum et universale esse conceditur, licebit semper id, quod dubie licitum est, operari. Hoc autem certo falsum est. 3°. Huius regulae adversarii clare edicere nesciunt, quanam tandem norma in dubio utendum sit. Ergo.... 4°. Ingens denique insignium doctorum numerus hoc adagium ut normam in dubio omnino sequendam amplectitur. Ergo.... De numero cf. *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 10, n. 10 in fine.

141. Alterum adagium, quo utuntur in decidendo dubio, quid scil. in dubia liceitate actionis facto opus sit, est hoc:

„In pari delicto et causa potior est conditio possidentis.“ [1] Hoc principium in materia iustitiae valere, fatentur vix non omnes (cf. *Lugo*, De iustitia et iure disp. 17, n. 86). In aliis autem virtutibus quid valeat, controversum est. Evidens tamen est, hoc principio admisso, rigorem prioris principii de tutiore parte in dubio semper amplectenda multum mitigari. Et profecto valde durum videtur esse, nos debere in omni dubio id, quod tutius et communiter saltem severius est, amplecti. Ex altera parte nequaquam possidentis ius semper est id, quod per se est tutius. Nam qui dubitat, votumne emiserit, possidet sine dubio antecedenter ad votum potestatem liberae suae actionis. Ergo secundum hoc principium nihil ad votum implendum in dubio voto obligatur; et nihilominus tutius erit servare et implere votum. — Praeterea multa sunt, ubi communis consensus in dubio agnoscit libertatem possidentis ad agendum. Sic si iure dubito, num hic homo superior meus sit, iure oboedientiam eius declino; quia dubio illo exsistente et permanente possideo integram libertatem pro meo arbitratu operandi; contra vero quando de eius superioritate mihi constat, debeo communiter, etsi de iustitia praecepti eius dubito, me ei subicere, quia ipse possidet superioritatem. Quae igitur in dubio de liceitate actionis generalis regula statuenda est? Responsum continetur in thesi, quae supra initio huius articuli posita est.

Propositio quatuor partes habet. Prima est de eo, qui actualiter et practice dubitat circa liceitatem actionis suae; altera pars excludit a prohibitione prioris partis eum, qui dubium actuale et practicum circa liceitatem actionis suae ob probabiles rationes deposuit et ad certum dictamen conscientiae in particulari pervenit; tertia pars de eo est, qui dubium

---

[1] Cf. Reg. 65 iuris in Sexto. Similiter Ius civile Dig. l. 50, tit. 17, reg. 128: „In pari causa possessor potior haberi debet“; et ib. reg. 154: „Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor et melior habetur possessoris causa.“ Ceteroquin haec sententia saepissime in lure canonico repetitur (cf. *Bouquillon* n. 296).

possessione bonae fidei in materia iustitiae superavit; quarta parte idem valere ostenditur in materia aliarum etiam virtutum.

142. *Prima pars* constat iis, quae supra n. 94 demonstrata sunt (cf. ceteroquin *Suarez,* De act. hum. tr. 3, disp. 5, sect. 2; *Sanchez,* De matrim. l. 2, disp. 41, n. 6; Decal. l. 1, c. 10, n. 2; *Esparzam,* Appendix etc. n. 188).

Altera pars. Nos posse deponere dubium practicum, probabili saltem sententia liceitatis actionis directe habita, et posse ita reflexis principiis ad veram certitudinem liceitatis particularis actionis pervenire, id infra fuse probabitur.

Tertia pars. Hic ante omnia notandum est unum. Ut antecedens possessio bonae fidei aliquem iuvare possit ad retinendam rem aut ius, debet ipse incidenti dubio adhibere, ut supra iam dictum est, pro gravitate rei et dubii et pro opportunitate temporis serium et debitum conatum ac studium, ut, quid reapse verum sit, assequatur. Veritatem autem cognitam oportet sequi. Quodsi quaestio ad liquidum deduci non potest, manet ipse possessor bonae fidei in sua possessione sibique regulam supra datam iure applicat, utut speculativum dubium reliquum est[1]. Quod confirmatur regula decretalium: „Actore non probante qui convenitur, etsi nihil praestiterit, obtinebit." Ita in cap. „Cum ecclesia Suterina" De causa possessionis et propr. l. 2, tit. 12, c. 3.

Probatur 1° ex regulis iuris modo allatis. Ita enim statuit non solum Ius canonicum „De regulis iuris" in Sexto, regula 65: „In pari." Vide n. 141; sed ita etiam habet Ius civile Romanum consentiuntque iura hodierna.

Quod autem ius forumque externum statuit, valet hic etiam in conscientia. Nam forum internum semper consentit foro externo, nisi hoc falsa praesumptione ducitur; quod certo hic

[1] Recte igitur *Terill.,* Reg. mor. q. 56, assert. 3 statuit: „Possessio bonae fidei non solvit dubium de dominio rei nec reddit possessorem certum aut probabiliter securum, quod dominium rei sit penes ipsum."

locum non habet. Ergo dubitatio de alieno iure vere possidentem de iure insistendi rei ut propriae deicere non potest. Ergo potest possidens rem retinere et de ea ut propria disponere, quamvis dubium etiam grave adsit, num res fortasse sit aliena, dummodo tamen ipse bona fide possideat. Nam possessio malae fidei nullum tueri potest. — 2°. Quicumque ut dominus bona fide rem detinet, is altero, qui est petitor ex iure dubio, tota possessione sua superior est (cf. *Terill.,* De consc. q. 23, n. 48; Reg. mor. q. 56, n. 3; cf. n. 7). Ergo rem potest retinere. Aut cur a sua possessione deiciatur, cum alteri quoque parti tantum incertum ius proprietatis assistat? Hoc autem eo magis valet, quoniam cavenda sunt instabilitas et defectus securitatis proprietatum, quae ex contrario agendi modo certo consequerentur. Haec enim publicum ordinem et pacem vehementer perturbarent. Ita *Pallavicini,* De act. hum. disp. 9, q. 4, a. 3. — 3^io^ In pari causa res non sunt movendae a priore statu nec mutandae. In casu autem proposito utriusque causa par est, cum de iure proprietatis uterque dubitet, et is, qui possidet, et is, qui petit. Hic ius dubium pro se affert, ille vero praeter possessionem habet titulum (pro emptore, pro donato etc.) aut habet diuturnam bonae fidei possessionem pro praesumptione quadam tituli. — 4°. Possessio bona fide incoepta omnibus iuris consultis consentientibus possessori ius quoddam tribuit tuendi rem ut suam, donec alter, scil. petens, clare docuerit, eam suam esse. Ergo cum is, qui tantum ius proprietatis dubium ostendit, id minime faciat, possidens petenti cedere non debet, sed rem ut propriam potest retinere. Ius autem hoc retinendi rem bona fide acquisitam et possessam ut suam fundant auctores, praeterquam in praesumptione possessorem esse proprietarium, potissimum in personali dignitate eius, qui bona fide possidet. *Haec eum in possessione tuetur, donec demonstratum fuerit, iniuria eum possidere* (cf. *Puchta,* Institutiones II, § 224; *Arndt,* Lehrbuch der Pandekten § 129).

Quid iudicandum sit, quando is, qui bona fide hucusque rem possidebat, exorto dubio, tempus utile ad inveniendam

veritatem praeterlabi permiserit, dicitur in tractatu de iustitia et iure (cf. *S. Alphons.* l. 1, tr. 1, n. 37; *Lehmkuhl,* Theol. mor. P. 1, n. 957 sqq; *Lugo,* De iust. et iure disp. 17, n. 89 sqq).

143. ***Coroll.*** Quando igitur rationes petentis non sunt saltem moraliter certae, is, qui bona fide hucusque possedit, possidere pergit et de re ut sua et ut verus proprietarius disponere potest: potest scil. eam consumere, vendere, immutare, et quidquid proprietarius potest, circa eam agere. Et in hac conclusione omnes prorsus consentiunt (cf. v. g. *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 16, c. 8, a. 3 4 5, qui plurimos pro hac sententia auctores laudat). — Quod autem *de Lugo* (De iust. et iure disp. 16, sect. 5) docet, quasi conditiones sint, in quibus petens possit possidentem bona fide sine rationibus moraliter saltem certis de possessione compensatione occulta deicere, videtur doctissimus cardinalis errare, partim quia supponit possidere eum, qui nequaquam iure possidet, partim quia quos pro sua sententia laudat auctores, loquuntur in supposito, debitum esse omnino certum, non tantum probabile, ut *Lessius,* De iust. l. 2, c. 19, dub. 3, n. 19 et 22; *Molina,* De iust. etc. I, disp. 81, § „Quod si haec fuit"; *Granado* in 1, 2, controv. 7, De legibus tr. 3, part. 2, disp. 15, sect. 2, n. 17; *Cardenas* l. c. a. 6.

144. *Quarta pars.* Patet rationem possessionis hic non plane eandem esse atque in antecedenti parte. Possessionem hic homini circa liberum suum arbitrium vindicamus, quod ipse utique naturaliter possidet. Est quaedam quasi possessio. Dicimus igitur tamdiu nos libertate morali seu libertate ab obligatione praeditos esse et manere, donec obligatio ad aliquid, saltem moraliter certo nobis innotuerit. Habetur autem haec iam moralis certitudo obligationis, quoties, obstantibus rationibus probabilibus nullis, de facto id, quod obligationem causat, gravibus et probabilibus rationibus constiterit. „Quia", ut ait *Suarez,* De virt. relig. III, l. 4 De voto c. 5, n. 7, „illa probabilitas facit certitudinem moralem, quando non est alia similis in contrarium, quia in rebus humanis non est maior

certitudo exigenda, cum vix aliquid per infallibilem evidentiam cognoscamus.“ — Adversarii huius partis innituntur argumentis supra n. 140 allatis.

Probatur iam communior sententia: In materia iustitiae pars bona fide possidens alteri praefertur, quoniam in pari causa possidens bona fide habet aliquem titulum, quo pars contraria caret, scil. possessionem ipsam bonae fidei. Iam vero idem in aliis quoque virtutibus suo modo usuvenit. Nam 1° ibi etiam lex ut petitor vel actor procedit, libertas vero seu verius homo liber ut possidens et reus convenitur. Reo autem in pari causa favendum est. Debet igitur omnis lex ius suum contra libertatem saltem moraliter certo ostendere et evincere, ut obliget. Ergo. . . — 2°. Praeceptum dubii valoris de se et ad summum operatur quandam aequalitatem inter obligationem exercendi actus et potestatem retinendi eum. Ultra hanc autem, ex suppositione, homo bonae fidei, modo iam dubius, antecedenter ad legem possessionem certam suae libertatis eamque non restrictam habet. Habet igitur ius praevalens, quod vincat oportet. — 3io. Sit contentio inter libertatem voluntatis, quam naturaliter possidemus, et qua possumus antecedenter ad praeceptum sine peccato agere et non agere, et praeceptum dubii superioris. Ius praecipiendi in eiusmodi superiore sane incertum et infirmum est, possessio plena libertatis saltem per se et antecedenter certa. Ergo ius possidentis libertatem prae iure praecipiendi huiusmodi dubii superioris intrinsecus et antecedenter multo validius. Deturbare igitur hominem a firma suae libertatis possessione hoc ius praecipiendi incertum non potest. Omnis autem lex dubia est quasi superior dubius[1]. Ergo. . . — Idem demonstratur ex satis communi doctrina de obligatione voti. Argumentamur hoc modo: Votum est lex quasi particularis, quae nos immediate obligat Deo. Quare si votum invincibiliter dubium ut tale nos non obligat, nec

[1] Attentendum hic est, omnem legem considerari ut aliquid a legislatore solutum, per se et in se stans, atque ita iubens.

ceterae leges ob identitatem causae, quoties invincibiliter dubiae sunt, nos obligant. Iam vero dubium votum ex communi sententia doctorum, uti etiam per se satis evidens est, minime nos obligat. Ergo... Cf. *Soto* l. 7 De iust. q. 3, a. 2; *Suarez,* De virt. relig. II, l. 4 De voto c. 5. — Idem probatur valere in materia castitatis. Etenim coniux, matrimonio bona fide inito, quoties dubium incidit de morte prioris coniugis, adeoque iam dubius de valore praesentis coniugii, potest, immo debet nihilominus comparti petenti debitum ipsum reddere. Id autem ex nulla alia ratione nec potest nec debet facere, quam quia alter bona fide possidet. Soli enim marito ius petendi debiti convenit. Dubium igitur incidens maritum ex conditione et possessione mariti exturbare non potest, eiusque ius hucusque possessum contra dubium praevalet (*Carden.,* Crisis P. 1, disp. 56, n. 1038 sqq; *Reuter,* Theol. mor. P. 1, tr. 2, n. 82; cf. cap. „Dominus" De secundis nuptiis et cap. „Inquisitioni" De sent. excom.). Praeterea quando, matrimonio bona fide inito, postea exoritur serium dubium de impotentia, nihilominus conceditur coniugibus triennium ad usum matrimonii tentandum. Conceditur autem et concedi ex alio capite non potest, nisi quia praesumitur legitima coniugii possessio (cf. cap. „Laudabilem" De frigidis et maleficiatis). — Etiam in materia oboedientiae certa possessio muneris superioris praevalet dubiis de liceitate actionis. Debet enim subditus oboedire superiori, dummodo ne certo constet, rem esse vetitam (cf. *Suarez,* De censuris disp. 40, sect. 5, n. 15 sqq; *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 597 sqq). 4°. Quam obligationem invincibiliter nescimus, ad eam implendam simpliciter non ligamur. Atqui quando debite in veritatem inquirentes dubium circa obligationem excutere non possumus, obligationem invincibiliter ignoramus. Aut quomodo possumus dici nos scire id, quod etiam debito conatu adhibito cognoscere, num sit et quale sit, non valemus? Ergo ad dubiam obligationem implendam non ligamur. Manet igitur voluntas in plena et perfecta possessione naturalis libertatis. — 5°. In materia iustitiae favendum est possidenti, quia recta ratio dictat et

bonum commune id exigit. Ergo etiam in aliis materiis possidenti libertatem favendum est, quia id exigit bonum animarum, ne ob dubia frequentissima innumeris anxietatibus et peccatorum periculis exponamur, quibus passim succumbemus. — Cf. *Suarez,* De act. hum. tr. 3, sect. 5, n. 7; De censuris disp. 40, sect. 5, n. 15; De virt. relig. II, l. 4 De voto c. 5; *Sanchez* l. 2 De matrim. disp. 41, n. 32 et 36; Decal. l. 1, c. 10, n. 11; *Lugo,* De iust. et iure disp. 17, n. 87; disp. 23, n. 110; *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, a. 4, n. 8 sqq; *Carden.* l. c.; *Terill.,* De consc. q. 12, a. 4, n. 8; De reg. mor. q. 57; *Reuter* l. c.; *Rassler* l. c; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 502.

145. Ad obiectiones supra n. 140 positas respondendum. Circa textum ex iure petitum: *„In dubio tutiorem partem esse eligendam" respondeo, illud dictum semper veram obligationem enuntiare, quoties conscientia est practice dubia,* seu quoties dubium speculativum practice et circa actionem particularem deponi aut omnino non potest aut saltem reapse non deponitur. Id in genere. — Ad singulos vero textus allatos *respondeo:* ad duos priores, scil. ad cap. „Ad audientiam" l. 5, tit. 12, c. 12 et ad cap. „Significasti" ib. c. 18: Pontificem in causa homicidii, de qua sola his locis agitur, ob magnam eius indecentiam, ne verus fortasse homicida celebret, aut in ministerio altaris serviens postea inveniatur, *novum et particulare ius condidisse.* Vi huius iuris homo, qui de homicidio a se patrato merito dubiat, contra analogiam cum aliis casibus dubiis, poenae irregularitatis obnoxius evadit et a ministerio altaris excluditur. In qua singulari sententia statuenda illud utique dictum de tutiore parte in dubio eligenda ut rationem legis Pontifex laudat, neque tamen ita, quasi ius dubium iure naturae per se obliget, sed quia is modus procedendi in homicidio dubie patrato cautior et consultior erat, multaque incommoda, quae secus evenire poterant, arcebat. Erat igitur ratio suadens, non cogens. Hoc igitur sensu praecautionis tutius in casu particulari homicidii dubii eligendum dicitur et statuitur (cf. *Suarez,* De censuris disp. 40, sect. 6, n. 8 sqq). —

Tertius locus fuit cap. „Illud“ De clerico excommunicato ministrante l. 5, tit. 27, c. 5. Agitur de episcopo quodam Hildesiensi, qui, fama suae excommunicationis audita, nihil omnino inquisivit, sed temere continuavit celebrare. Hic vero ob dubium, quo tenebatur, practicum certo debuit, ut Summus Pontifex ait, eligere tutius. Quod etiam ipsi dicimus debuitque prius inquirere quam agere. — Quartus locus est cap. „Iuvenis“ De sponsalibus l. 4, tit. 1, c. 3. Casus est hic: Iuvenis puellam duxerat nondum septem annorum. Asseritur, eum fortasse cum ea tentasse copulam. Pontifex ob causas in praecedentibus contentas ut *certius*, quod in rebus dubiis tenere debeamus, statuit, oportere matrimonium, quod postea iste iuvenis cum consobrina illius puellae inierat, dissolvi. Hic est casus. Videtur igitur hic axioma statui, in quaestionibus conscientiae dubiae nos debere certius omnino sequi. Sed primum noto, Pontificem non statuere hic id, quod fuit tutius, sed id, quod fuit certius. Ergo locus proprie minus huc pertinet. Nam, ut supra diximus, non sunt idem certius et tutius. Et sane per se fortasse tutius fuisset, stare hic pro valore secundi matrimonii (cf. *Sanchez* l. 1 Decal. c. 10, n. 15; *Terill.*, De consc. q. 26, n. 33; *Rassler*, Norma recti disp. 3, n. 769). Ceterum quidquid de hac re est, legitima huius textus interpretatio videtur esse haec: Quamvis ob puellae infantilem aetatem adeoque ob defectum legitimi consensus contractus videatur esse nullus, nihilominus de valore priorum sponsalium, malitia supplente aetatem, videtur satis constitisse. Et tales quidem videntur concurrisse coniecturae et indicia de copula attentata, ut Pontifici de malitia aetatem supplente deque validitate prioris contractus ut sponsalitii (cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 748 et 766, 3 in fine; *Noldin*, De sacram. n. 575 et 576) omnino esset persuasum. Quare adfuisse videtur inter istum iuvenem et consobrinam prioris sponsae tum temporis valens publicae honestatis impedimentum. Nihilominus res cum esset coniecturis agenda, recte potuit dubia appellari, ita tamen, ut moralis certitudo de valore priorum sponsalium, malitia sup-

plente aetatem, post inquisitionem simul adesset. Quod cum moraliter certum esset, certum quoque moraliter erat, alterum matrimonium fuisse invalidum et proinde separationi obnoxium. Nihil igitur neque hic est, quod thesi nostrae adversetur (cf. *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 10, n. 15). — Ultimus locus Iuris canonici petebatur ex *Clementinis* cap. „Exivi" l. 5, tit. 11, c. 1. Verba sunt haec: „Et quia (ut intelleximus) non minuitur hoc dubium, sed augetur ex eo, quod felicis recordationis Nicola [sic] Papa tertius, praedecessor noster, noscitur declarasse, quod fratres ipsi ex professione suae regulae sunt adstricti ad ea consilia evangelica, quae in ipsa regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus exprimuntur, et nihilominus ad eorum omnium observantiam, quae in ipsis eadem regula verbis obligatoriis indicuntur: supplicaverunt praedicti fratres (ordinis S. Francisci), ut *ad ipsorum conscientias servandas* declarare, quae horum censeri debeant praeceptis aequipollentia ac obligatoria, dignaremur. Nos itaque, qui in sinceris horum conscientiis delectamur, *attendentes, quod in iis, quae animae salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiae, pars securior est tenenda:* dicimus, quod licet fratres non ad omnium, quae sub verbis imperativi modi ponuntur in regula sicut ad praeceptorum seu praeceptis aequipollentium observantiam teneantur: expedit tamen ipsis fratribus ad observandam puritatem regulae et rigorem, quod ad ea sicut ad aequipollentia praecepti se noverint obligatos, quae hic inferius annotantur." Difficultas hic tractanda oritur imprimis ex iis verbis, quae distinximus. *Sed respondetur 1°:* Certo pars securior, quae tenenda est, non sumitur saltem summo rigore. Nam si sumeretur ita, non potest a rigore praecepti pars ulla regulae subtrahi, quae ibi ponitur sub verbis imperativi modi. Eximitur autem eiusmodi pars a rigore praecepti omnino diserte. Ergo nequaquam a singulis id vi praecepti observandum est, quod obiective et per se fuit vi regulae securius. *2°.* Ut autem omnes (etiam simpliciores) clare iam sciant, quid sit securius et quid omnes

debeant abhinc vi praecepti et regulae observare, Summus Pontifex iam singula effert, quae sensu stricto securiora et praecepta censenda sunt. Introducitur haec iuris dispositio his verbis: „Nos itaque“ etc. Hic attende non dici, in his, quae animae salutem respiciunt, securiora esse tenenda ad cavendum peccatum, sed ad hoc, ut vitentur graves remorsus conscientiae, quibus saltem simpliciores sine dubio affligi facile admodum possunt, etsi peccatum formale nullum ex parte ipsorum adest, nisi securiora sunt secuti. Aliis verbis: securiora sunt tenenda et sequenda, non quia ita omnino necesse est ad evitandum peccatum, sed quia, nisi ita fiat, facile homines, praesertim simplices, incidunt in graves remorsus conscientiae. Quae autem iam securiora illa, adeoque iam unice pro singulis Franciscanis secura sint, et sint vi praecepti et regulae stricte servanda, aliis omnibus exclusis, ea ipse Summus Pontifex iam edicit et summa sua auctoritate sancit. Sed quid in omnibus his contra assertionem nostram?

146. Ad textum, qui olim adscribebatur *S. Augustino* l. 5, hom. 41: „Tene certum, dimitte incertum“, respondetur, ipsum in plane diverso argumento versari. Locus est de non differenda peccatorum usque ad mortem poenitentia, cum huiusmodi poenitentia ex pluribus rationibus vehementer dubia sit. Quando igitur S. Doctor ait: „Tene certum, dimitte incertum“, sensus est: Mature age poenitentiam neve differas eam usque ad tempus mortis, quia prius certitudinem (scil. moralem) praebet verae reconciliationis cum Deo, hoc vero multis dubitationibus et periculis est obnoxium.

Ad rationes additas: ad primam: Nego suppositum consequentis. Nam iudicium practicum pronuntiat *determinate et certo* pro possidenti, utut quaedam speculativa momenta contraria supersunt. — Ad alteram: negatur illatio. Nam nec licet operari in dubio practico et re nondum examinata nec licet operari, quando utrumque deficit aut possessio aut probabilitas liceitatis operationis. — Ad tertiam respondetur, thesim positam et probatam ostendere contrarium. — Ad ulti-

mam, esse quidem multos doctores, qui ita sentiunt, alios autem multos et fortasse plures et graviores contrarium sentire.

147. Nec valet argumentum, non posse libertatem nostram esse in possessione contra praecepta Dei. Nam, aiunt, nascimur ligati praeceptis Dei. Ergo. . . . — *Respondetur: Nego antecedens. Ad rationem additam distinguo:* Nascimur ligati praeceptis Dei, i. e. ipsa natura legeque naturali obligati sumus ad explorandum, quantum prudenter possumus, iubentem voluntatem Dei et ad facienda ea, quae cognoscimus ut certo, saltem moraliter, iussa a Deo, *concedo;* nascimur obligati ad facienda omnia et singula, quae Deus a parte rei et antecedenter fortasse facienda iussit, nos autem, quae et qualia sint, invincibiliter ignoramus, *nego.* Aliis verbis: subsumus natura voluntati Dei in genere, *concedo;* in specie et particulari *subdistinguo:* quando voluntatem Dei nobis praecipientem sufficienter cognovimus aut saltem in concreto cognoscere possumus, iterum *concedo;* quando haec locum non habent, *nego.*

148. Neque valet illud contra dicta, quod asserunt quidam, in materia iustitiae ideo valere possidentis praecellentiam, quoniam lis sit inter meros homines, i. e. inter aequales; in materia vero, v. g. religionis, dici idem minime posse, quia homo litem intendat Deo, i. e. legi Dei, cui omnis homo summam debet reverentiam. Nam non agitur de ulla lite intendenda Deo, sed de una hac quaestione, num homo dubio v. g. voto obligetur, i. e. num ob dubium votum cadat certo voluntas Dei obligans ita in materiam voti, ut recedere ab ea seu non observare ipsam merito peccatum formale censeatur; quod sane ob datas rationes negandum est (cf. *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 503).

SECTIO TERTIA.

DE PROBABILISMO.

149. Nisi dictamen conscientiae saltem moraliter certum est, quoties operamur, necessario agimus male et peccamus formaliter. Id superioribus evidenter effectum est. Cum autem saepe directis principiis dubium maneat, quid de plurimis actionibus humanis iudicandum moraliter sit, videtur dicendum esse, nos ab omnibus istis actionibus debere abstinere. Quod forte impossibile est, sine dubio est difficillimum. Nam actiones istae sunt numero plurimae et occasiones ad ipsas exercendas multae cotidie occurrunt; eas autem evitare omnes, severissimam nobis vitae rationem imponeret. Sed revera ista illatio falsa est, prout iam ex tertia propositione ab Alexandro VIII damnata manifesto elucet. Nam ibi Sinnichii aliorumque sectatorum Iansenii propositio proscribitur, secundum quam „non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam". Ergo ipsam certo licet sequi. Ergo falsum est, nobis eas tantum licere sententias amplecti, quae directo iudicio verae et certae sunt. Est igitur alia via, qua id, quod propter dubium directum agere non licet, indirecte ad certitudinem saltem moralem evehatur. Est autem haec via doctrina de recto usu doctrinae probabilis. Ita communissime. Quis autem hic rectus usus sit, iam exponendum. Quaerimus igitur primo, quid sit et dicatur probabile.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID SIT ET DICATUR PROBABILE.

150. Sunt, qui de notione probabilitatis tractantes ita fere loquantur, ac si ipsa eadem sit cum notione opinionis. Id tamen omnino recte non dicitur propter duplicem rationem. Una est haec: Opinio recte dividitur in opinionem probabilem et improbabilem. Sunt enim multae opiniones non solum pro-

babiles, sed etiam improbabiles [1]. Ergo probabilitas est aliquid extra rationem opinionis constitutum. Altera ratio, qua discrimen inter opinionem et probabilitatem manifestatur, est relatio, quae intercedit inter causam et causatum. Probabilitas enim causa seu motivum (momentum obiectivum) opinionis probabilis seu momenti subiectivi est. Haec autem manifesto inter se re differunt. Opinio igitur per se et primo actus mentis est, probabile obiectivum eius fundamentum et causa, quoties nimirum de opinione vere probabili agitur. Si obiectivum aliquid opinio dicitur, denominatio est a causato ad causam.

151. *Quid igitur opinio est?* Opinio est assensus intellectus ad unam partem contradictionis cum formidine mentis, ne altera fortasse pars sit vera; seu brevius: est assensus ex motivo fallibili. Ita *S. Thomas* 1, q. 69, a. 9 ad 4. Ceterum opus non est, ut haec formido sit explicita et actualis, sufficit, ut sit radicalis in ipso motivo assentiendi quasi contenta, prout id declarat *Aristoteles* l. 7 Ethicorum c. 3, n. 5, ubi propter absentiam formidinis actualis in opinante ait: „Nonnulli non minorem fidem habent iis, quae opinantur, quam alii iis, quae sciunt." Et revera multi sunt, qui propter rationem fallibilem alicui propositioni assentiuntur, nihil ad eius fallibilitatem attendentes. Quod si contingit, nihil quidem formidant actu, at quia aptum de se motivum est, quod formidinem contrarii ingerat, tantum opinativus eorum assensus est, et licet non sit formidolosus actu, est tamen formidolosus radicaliter et potentia (cf. supra n. 76).

---

[1] Cf. *Terillum,* De consc. q. 2, n. 3; *Rassler,* Norma recti disp. 3, q. 1, a. 1, n. 2. Ceterum usus vocis opinionis apud veteres scriptores minime constans fuit (cf. *Schmitt,* Zur Geschichte des Probabilismus 16 sqq). Sic v. g. apud S. Antoninum opinio significat idem atque illud, quod hodie sententia unice probabilis appellatur. Nam eam ita definit, ut opinio sit „acceptio unius partis cum formidine alterius, ita tamen, quod ad illam, quae formidatur, non habetur ratio expressa, formidatur tamen propter debilitatem rationis alterius partis". *Antonius de Corduba,* Quaestionarium l. 3, p. 2 opinionem vult esse assensum propter rationes graviores etc. Bene *Navarrus* l. c. apud *Schmitt* 29.

152. *Iam videndum, quomodo aliquid sit et dicatur probabile.* Probabile autem est id omne, quod nititur motivo fallibili quidem, sed magni etiam comparative momenti, seu quod nititur fundamento, quod tale est, ut vel prudentem virum et sine praecipitatione et passione iudicantem post seriam rationum etiam oppositarum considerationem irreprehensibiliter in assensum inducat; seu est apparentia quaedam veri antecedens, fallibilis quidem, adeo tamen magna, ut digna sit prudentis hominis assensu[1].

Et profecto ut vere magnum ad assentiendum momentum adsit, oportet considerare rationes utriusque partis contradictionis, debentque rationes ad assensum invitantes eiusmodi esse, ut non solum secundum se et absolute consideratae ponderosae et graves sint, sed ut etiam earum vis per rationes contradictoriae partis nihil substantialiter imminuatur, seu oportet, eas esse et manere magni momenti etiam comparative. Et revera quandoque rationes pro parte contradictoria adeo invalescunt, ut oppositae rationes, utut in se graves sunt, iis plane enerventur levesque evadant. Ita autem si contingit, manifestum est, ipsis nihil posse vere probabile reddi.

153. Unde etiam manifestum hoc est, nihil posse esse probabile, quod sententiae vel ullo modo certae vel probabilissimae repugnat. Obruunt enim rationes unius partis rationes omnes, quaecumque eae sunt, partis contradictoriae. Quare nec vere probabiles sunt obiective ullae rationes, quae in defensionem alicuius haeresis afferuntur, licet, si absolute solum et in se considerantur, sunt saepe gravissimae. Etenim obstat iis perfecta certitudo doctrinae fidei catholicae. Nam quod certum est vel etiam probabilissimum dumtaxat, id omnem probabilitatem a parte contradictoria tollit.

---

[1] Sic inter alios vel ipse *Gonzalez,* Fundam. diss. 1, n. 40. Idem dicit *Esparza,* Appendix n. 102; *Terillus,* q. 2 De consc. n. 18 et 41; *Rassler,* Norma recti disp. 3, q. 1, n. 2; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 108 et 112; *S. Alph.* l. c. l. 1, n. 40; alii plurimi.

154. Requirimus, ut *antecedens apparentia* adsit ad hoc, ut vera habeatur probabilitas. Nam omnis, quae tantummodo iudicium iam latum consequitur apparentia, facillime et saltem ordinarie nos fallit, sumentes eam ponderosiorem esse, quam reipsa est. Ratio est, quia sententiae, quam semel mente amplexi sumus, magis inhaeremus, et ipsa quoque magis adhaeret nobis magisque placet, quam antea placebat; atque adeo subiectivum elementum ei aliquam veri apparentiam tribuit, quae tamen obiectivo valore caret. Quod idem etiam magis operatur inclinatio affectus, sive naturalis ipsa est sive libera. Id inter alia ideo usuvenit, quoniam illud, ad quod naturaliter aut libere afficimur, frequentius mente versamus et consideramus diligentius. Quare rationes rei faventes propter frequentem earum usum nobis longe clarius et efficacius ob mentem versantur quam rationes partis oppositae, quas facile negligimus. Amor porro et frequens occupatio cum aliqua re saepissime quoque in causa sunt, cur novae rationes pro parte praedilecta a nobis inveniantur, quod vix accidit in ea parte, quam minus diligimus vel etiam aversamur. Quae cum ita sint, in diiudicanda probabilitate huiusmodi rerum, quibus noster affectus naturaliter aut libere iam addictus est, oportet nos esse cautissimos, ne turpiter decipiamur et hallucinemur.

Opponunt adversarii: Pro sola veritate sunt rationes verae. Ergo fieri non potest, ut omni sententiae probabili assistant verae, multo minus graves et solidae rationes (cf. *Berti,* De theol. discipl. l. 24, c. 13). — *At respondetur:* Pro sola veritate stant rationes peremptoriae, concedo; pro sola veritate sunt verae rationes, nego. Vera enim dicitur ratio non propterea praecise, quod uni subserviat obiectivae veritati, sed propterea, quia talis est, ut excitet spem fundatam inveniendae aut inventae veritatis. Ceterum si verum allatum assertum esset, nulla esset probabilis et solida coniectura, quod prudens nemo dixerit. Et revera stante eodem asserto, quot doctrinae physicae respuendae essent, quandoquidem rationibus quidem probabilibus, i. e. gravibus et solidis, neque

tamen peremptoriis et certis, nec hoc sensu omnino et perfecte veris, nituntur!

155. *Circumferuntur etiam aliae probabilis definitiones.* De his etiam hic agendum. *Duae adscribuntur Aristoteli, tertia est Terilli.* Una *Aristotelis* invenitur in l. 1 Topicorum c. 1. Ibi haec: „Probabilia sunt, quae videntur omnibus aut plurimis, aut sapientibus, et his vel omnibus vel plurimis, vel maxime familiaribus et probatis." Sensus est: Ea, quae certo vera minime sunt — de his enim solis in Topicis agitur —, quae tamen aut ab omnibus omnino, doctis aeque atque indoctis, approbantur et recipiuntur ut vera, scil. id ex ipsis terminis apprehensis aut experientia coniciendo; aut quae quidem ab omnibus aut plerisque, quoniam mentis capacitatem plurimorum excedunt, nec aestimari nec ut vera approbari possunt, nihilominus saltem a sapientibus approbantur et vera habentur, et ab iis quidem aut omnibus aut plurimis, aut saltem ab iis, qui in ea materia, de qua agitur, maxime versati sunt atque ut tales publice agnoscuntur, ea sunt sine dubio probabilia. Sed dices: Quo sensu hic Aristoteles voce probabilis usus est? Respondet *Esparza* in „Appendice ad quaestionem de usu licito quaestionis probabilis" n. 101, probabile hic accipi ab Aristotele „active pro principio probationis incertae [seu pro eo, quo aliquid non demonstrari quidem, probari tamen possit], totumque eius scopum et opus in libris Topicorum esse suppeditare probabilia seu loca probabilium in omni genere tamquam principia idonea ad conficiendos in utramque partem contradictionis syllogismos suasibiles, hoc est, quibus pertrahi possit intellectus ad assensum utriusvis partis contradictionis, seu possit utramvis partem opinari"; quod ita revera esse Esparza efficaciter probat. At si tali consensu vel assensu colligitur principium satis firmum ad arguendum, huiusmodi etiam consensus vel assensus videtur quoque satis donare aliquam sententiam ea apparentia veri, qua vere probabilis evadat ad operandum. Habemus igitur hac probabilis descriptione, quid sit auctoritate probabile, dummodo tamen ne tali con-

sensu aliquid certum esse efficiatur, quod contingere saepe potest. Sic consensu et testimonio unanimi plurimorum constat apud omnes, exstare Londinum, Parisios, Berolinum, Tokio etc. Quod enim certum est, ex numero probabilium est eliminandum, et in materia etiam subiecta, de topicis, quae certa non sunt, revera eliminatur (cf. *Terill.*, De consc. q. 2, n. 21 sqq). — Dico autem esse descriptionem potius probabilis, quod authenticum dicitur, sive quod probabile est auctoritate, quam ipsius probabilis definitionem. Id ita esse satis per se patet. Omnis enim vera et iusta definitio constat ex genere et differentia, quod hic minime locum habet. Et insuper veram definitionem in omnibus definitis oportet verificari, non tantum ostendere aliqua, in quibus definitio impleatur.

156. Alibi, l. 2 Prior. c. 27 et l. 2 Rhetor. c. 2, alia ab *Aristotele* videtur tradi definitio probabilis. Secundum hanc probabile id est, quod plerumque contingit. Neque tamen id, quod probabile est, hoc modo recte definitur. Sunt enim 1° multa probabilia, quae tamen plerumque contingere ipsa natura rerum vetat. Tales sunt particulares omnes actiones vere probabiliter licitae. Eae tamen nec fere semper, nec raro, nec ullo modo aliquoties, sed semel tantum contingunt, seu sunt actiones omnino singulares, probabiles, hic et nunc contingentes. — Illa quoque, quae de essentiis rerum probabiliter traduntur, non possunt contingere plerumque, sed aut semper aut numquam locum habent. Sunt enim essentiae rerum necessariae et immutabiles, adeoque extra omnem contingentiam constitutae. — De Deo etiam eiusque actionibus ad extra multa probabiliter asseruntur. Neque tamen illud dictum de contingentibus plerumque in ipsa cadere ullo modo potest. — 2°. Duo contradictoria, ut ambo fere semper contingant, fieri nequit. Nam unum si fere semper contingit, necesse est, alterum admodum raro contingere. Iam vero duo contradictoria simul esse probabilia, in confesso est et infra etiam ostendetur. Ergo falsa est definitio probabilis per id, quod fere semper contingit. — 3^io^ potest etiam probabile id esse,

quod admodum raro contingit; simili modo atque id potest esse verum, quod raro evenit. Sic verum quidem est, communiter matres filios suos diligere; at in casu particulari vere probabile esse potest, hanc mulierem filium suum odisse. Ergo.... — 4°. Praeterea hoc modo argumentamur. Probabilis est sententia D. Thomae, qui vult damnandum esse reum, licet iudex eum privata scientia noverit innocentem, si nimirum secundum probata et allegata criminis commissi reus traducitur; item tamen probabilis quoque est sententia Scoti, qui contrarium defendit. Sed ubi in alterutra sententia est locus ei definitioni probabilis, secundum quam id probabile est, quod fere semper contingit? Quid hic contingit fere semper? — 5°. Etiam illud, quod *S. Thomas* habet l. 4 sent. dist. 45, q. 2, a. 2, quaestiunc. 1 ad 5, huc pertinet. Affert ut probabile aliquid, quod nec fere semper nec communiter, sed si omnino, vix umquam evenit, scil. ut subeunda poena aeterna usque ad diem iudicii universalis suspendatur. Id tamen S. Gregorio a Deo circa Traianum, imperatorem, concessum esse ut probabile tradit[1]. — Vides iam vim verae definitionis probabilis huic locutioni Aristotelis tribui minime posse.

Quare *Pallavicini,* De actibus humanis disp. 8, q. 6, a. 4, n. 10 cum aliis paucis errat, quando hunc Aristotelis loquendi modum, quasi ipso vera probabilis definitio tradatur, laudat. Et revera non intendit philosophus his verbis dare definitionem eius, quod omnino probabile est et a theologis ita appellatur, sed aliud quoddam genus vel potius speciem tradit probabilium, qua ad arguendum et efficiendum in contionibus possumus uti.

Ceterum etiam hoc *Esparza,* Appendix n. 96 recte animadvertit, hoc probabile, de quo Aristoteles hic loquitur, unice versari circa quaestionem, sitne aliquid factum annon, non vero circa aliam quaestionem, quale sit illud: iustum an iniustum, honestum an turpe; hanc autem esse potissimam quaestionem,

[1] Nos tamen eam sententiam ut improbabilem reicimus (cf. *Salmant.,* De vit. et peccat. disp. 17, dub. 3, n. 61 sqq; *Rhodes,* De peccat. disp. 3, sect. 2, § 2).

quam tractamus: et prius illud quidem per ea, quae fere semper contingunt, recte explorari, hoc minime. Nam quod iustum est aut iniustum, honestum aut turpe, nequaquam ex quaestione, num fere semper contingat an raro, sed in lege naturali pendet ex ipsa rerum natura, in lege vero positiva ex lege positiva exstante aut non exstante, non vero ex iis, quae fere contingunt. Cf. praeter *Esparzam Terillum*, De consc. q. 2, n. 11; *Moyam* in Appendice q. 1, n. 8; *Rassler,* Norma recti disp. 3, q. 1, n. 29 sqq. Itaque licet illud Aristotelis effatum, probabile dici id, quod fere semper contingit, verum sit positive, est tamen mala, quia inadaequata probabilitatis definitio.

157. *Tertia definitio probabilitatis est Terilli,* De consc. q. 2, n. 13 et De regula morum q. 37, n. 18 et 64. Sibi proponit eiusmodi explicationem modo commemoratae definitionis Aristotelis dare, ut omne id, quod vere probabile est, ipsa complectatur. Refert igitur dictam definitionem non ad obiectum materiale, quod probabile dicitur, et quod, ut vidimus, saepe aut necessarium est nec potest aliter se habere, aut singulare et uno solum modo potest contingere, sed ad obiectum formale, vultque sensum eius esse hunc, ut omne id probabile sit, quod tanta verisimilitudine vel apparentia veri menti praesentatur, ut licet haec apparentia omnino fallere possit, nihilominus sit eiusmodi, ut omnes ei aequales apparentiae saepius coniungantur cum veritate quam cum falsitate, seu ut ex omnibus obiectis, quae cum ea specie veri intellectui proponuntur, plura eveniant vel ita se habeant, quam non eveniant vel se habeant aliter. Seu brevius et clarius, ut *omne id probabile* sit, *quod utitur motivo, quod plerumque non fallit,* seu quod, ut S. Thomas loquitur, se habet magis ad verum quam ad falsum (cf. *S. Thomam* l. 3 sent. dist. 34, q. 1, a. 2; *Illsung,* Theol. pract. disp. 1, n. 37).

158. Et revera tale motivum est probabile, quoniam fundat spem prudentem veritatis consequendae. Dicitur etiam merito motivum eiusmodi magni ponderis esse. Nam id dicimus magnum esse, quod in aliqua serie seu genere rerum medium

excedit. Huiusmodi autem motivum vere medium excedit, quoniam saepius connectitur cum vero quam cum falso. Nec hunc excessum illud, quod ipsi fortasse opponitur, probabilius aufert. Nam etsi hoc tale sit, ut ex decem vicibus, quando eadem species vel apparentia veritatis adest, octies inducat in verum, bis tantum in falsum, ab altero non tollit, ut, quoties eadem apparentia veri decies adest, saltem sexies cum veritate coniungatur. Ergo probabilius quidem illud est, manet tamen etiam hoc vere probabile (cf. *Terill.,* De consc. q. 2, n. 15; *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 35).

159. Hoc si menti alte impresseris, cavebis gravem multorum errorem, quasi probabilius elidat tollatque rationem sententiae vere probabilis a contradictoria. Potest reapse adesse apparentia veri, quae admodum frequenter et frequentius coniungitur cum vero quam cum falso, et nihilominus potest esse et est alia veri apparentia, quae cum vero quam prior, etiam coniungatur frequentius. Haec probabilior est, illa probabilis [1].

160. Unum in hac probabilitatis definitione difficile est; *quomodo* scil. *cognoscere possimus, motivum esse tale, ut plerumque verum dicat, seu quandonam apparentia veri in motivo eiusmodi sit, ut omnes ei aequales saepius cum veritate coniungantur quam cum falsitate.* Quod tamen nisi cognoscimus, definitio pro usu prorsus inutilis est. Id ipse iam *Terillus* sensit sibique opposuit (cf. De consc. l. c. q. 2, n. 20). Verumtamen hanc difficultatem non inepte *Rassler* l. c. n. 36, premens Terilli vestigia, elevare conatur. Scilicet quoties homo prudens, qui nec animi levitate nec affectu et passione uni parti indebite addictus ducitur, post maturam quaestionis discussionem et rationum considerationem, motivo alicui et propter ipsum materiali etiam obiecto irreprehensibiliter assentitur, apparentia veri, quae in eo obiecto relucet, necessario est talis et tanta, ut saepius cum vero quam cum falso cohaereat. Quid ita?

---

[1] Cf. interim *Gonzalez,* Fundam. diss. 1, n. 17, qui hoc fundamentali errore laborat.

Quoniam, nisi ita esset, natura seu potius Deus hominem satis male instituisset, siquidem in quaestionibus obscuris, quorum pro homine numerus prorsus ingens, immo quodammodo infinitus est, prudenter et irreprehensibiliter iudicans verum non saepius attingeret quam falsum, quod videtur a divina circa hominem providentia esse alienum. Ergo homo prudens prudenter iudicans norma est, secundam quam de vera sententiae alicuius probabilitate seu de motivi eius frequentiore coniunctione cum veritate quam cum falsitate statuere recte possumus. Hoc autem est illud ipsum criterium, quod supra in probabilitatis definitione posuimus. Diximus enim, probabile contineri apparentia quadam veri antecedenti, fallibili quidem, sed adeo magna, ut prudentis hominis, prudenter utique etiam iudicantis, assensu digna sit.

161. *Sed opponis, difficile quoque videri hoc ipsum, quomodo prudentiam alicuius hominis cognoscamus.* Si enim dicis, prudentem illum esse, qui magnis solum motivis inducatur ad assensum alicuius sententiae, facile vides, quomodo circulo circumagaris. Nam definis magnum motivum esse tale, cui prudens assentiatur, virum autem prudentem esse eum, qui non assentitur nisi ob magnum motivum. — *Respondetur,* de prudentia alicuius hominis vario modo constare. Si de tua ipsius prudentia deque intrinseca probabilitate alicuius sententiae, quae tibi percipienda est, agitur, ante omnia dicendum, omnes debere multum cavere, ne sibi nimium confidant seque ipsos prudentes habeant. Facile enim unusquisque propria opinione propriisque inventis decipitur. Nam suum cuique pulchrum [1]. Nihilominus quando quis sibi prorsus conscius est, se esse in materia, de qua agitur, perfecte, quantum id humana fragilitas permittit, versatum seque nosse saltem praecipua cuncta argumenta, quae pro aliqua sententia aut contra eam afferri possunt,

[1] Cf. *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 9, n. 9; *Martinon,* Disp. theol. II, disp. 14, sect. 2, n. 11; *Castro-Palaum* l. c. disp. 2, n. 3; *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 11, n. 136 alios.

quaestionem autem, in quam inquirit, esse a se in omnem partem sine studio et ira expensam, rationem denique pro asserenda sententia, quam amplectitur, sibi non absolute tantum, sed comparative etiam ad motiva oppositae partis gravem semper et magnam seu valde inductivam ad assensum, quod re idem est, apparere, certus esse potest, se prudenter et non temere pro probabilitate sententiae pronuntiare, maxime quando etiam scit, suam etiam ab aliis peritis et prudentibus viris sufficientiam ad iudicandum de huiusmodi rebus communiter agnosci (cf. *Moyam,* Electae quaest. tr. 1, q. 3; *Bañez* 2, 2, q. 62, a. 5, dub. 4 „Ad argumentum"). De prudentia propria et qua de probabilitate sententiae intrinseca iudicium prudens fertur, satis diximus.

Veniamus ad probabilitatem extrinsecam seu quae auctoritate, i. e. prudentia et veracitate, asserentium nititur. Hic 1° communiter satis facile constat, quis prudens dicendus sit. Prudentia enim, qualis hic requiritur, propria luce clarescit. Imprimis autem talis, qualis requiritur prudentia, cognoscitur ex editis libris, qui rerum peritia et usu atque diligentia excellunt; interdum manifestatur excellentia doctrinae oraliter et publice tradita; quandoque se prodit ipsa promptitudine et soliditate responsorum et consiliorum etc. 2°. Quod ad veracitatem attinet, hanc adesse, communiter iure supponitur, maxime quia defectus eius in huiusmodi quaestionibus omni commodo per se caret et facile etiam cum propriae famae iactura detegitur. Ex his elucet, quomodo prudentia et auctoritas alicuius auctoris cognoscatur.

Dices, quae utilitas in definitione probabilitatis supra data inveniatur. *Respondetur,* ea rationem probabilitati propriam magis declarari, ut omni consideranti patebit.

162. *Scholion.* Fuerunt (v. g. *Baron,* Theol. mor. disp. 2, sect. 4, a. 3, § 2; *Berti,* De theol. discipl. l. 21, c. 14), qui probabile nostrum et universim theologorum cum probabili recentiorum Academicorum, de quo S. Augustinus in scriptis suis agit, quodque summopere detestatur, confundebant. Sed

hoc immerito; nam toto coelo probabile nostrum ab istorum probabile distat. Probabile enim istorum est omne id, quod iucunditate vel delectabilitate vel alio sensuum commodo appetibile est, potestque nos invitare ad agendum, suspenso omni de vero et honesto iudicio rationis; seu ut *S. Augustinus*, Contra Academicos l. 2, c. 11, n. 25 ait (*Migne,* P. L. 32, 931): „Id probabile vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur, verum esse aut nos id scire arbitremur; agamus tamen." Eiusmodi quidem probabile, quod, num vere homini ut tali appetibile sit, nec inquiritur nec diiudicatur atque omni iudicio rationis circa se caret, in omne homines flagitium facile inducere, per se patet. Academici autem volebant omne ideo a sua mente iudicium rationis de honestate actionis exclusum esse, ne errarent (cf. *S. Aug.* l. 1 Retract. c. 1). Hoc enim omnium malorum summum arbitrabantur. Nostro autem probabili vere assentimur, etsi ob motivum absolute fallibile id facimus. Deinde vero et potissimum discrimen inter probabile nostrum et probabile Academicorum hac re apparet: „Probabile nostrum", inquit Esparza, „ex suo conceptu differentiali est restrictum ad honestum creditum tale cum fundamento magni momenti, magni vero tum positive tum negative, seu absolute et comparative. Unde non potest invitare ad agendum quidquam certo inhonestum." Aliam etiam gravissimam differentiam notat inter utrumque. „Divisio", inquit, „opinionis, quae nobis est familiaris, pernecessaria et legitima in improbabilem et probabilem, nullum potest habere locum, sed est chimaerica apud Academicos. Ratio est, quia omnes eiusmodi differentiae opinionum et opinabilium constituuntur per differentias maioris accessus vel recessus respectu eorum, quae certa sunt, et habent in animo statum immutabilis et indubitabilis veritatis; nec nisi aliquid certum potest esse mensura et regula probabilium et improbabilium et magis et minus seu probabilium seu improbabilium." Quoniam autem Academici eiusmodi certo immutabili et indubitabili

carent: nec possunt quidquam habere pro vere probabili. „Ob rationem contrariam", pergit Esparza, „apud doctores catholicos, probabilitatum patronos, opinabile reipsa differt a probabili tamquam genus a differentia; dividitur legitime per probabile et improbabile et reliquas praememoratas species. Quia videlicet doctores catholici habent principia certa ac indubitabilia tum fidei divinae tum rationis et sensus, per quae tamquam per regulam et mensuram invariabilem metiri et determinare possint inferiorum incertarum cognitionum dispares gradus, momenta et qualitates, ac praesertim discernere ac diiudicare inter opinabilia quae sunt probabilia quaeque improbabilia." Ita *Esparza,* Appendix n. 72 sqq. Cf. etiam *S. Aug.* l. 3 Contra Academicos c. 20 (*Migne,* P. L. 32, 945); De civ. Dei l. 19, c. 13 (*Migne,* P. L. 41, 646); *Terill.,* De consc. q. 27, n. 37 sqq; Reg. mor. q. 25, n. 2 sqq; *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 15, n. 404 sqq; *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 279 sqq.

Vides iam, quam absurde probabile nostrum cum probabili Academicorum permisceatur, cum tamen totaliter inter se opponantur sicut verum et falsum, sicut homo pictus et verus. Et nihilominus quamvis haec ita se habeant, etiam hodie non minus absonae circa probabilismum sententiae a plerisque protestantibus circumferuntur (cf. v. g. *Harnack,* Dogmengeschichte III^3 671 sqq, qui absurda multa declamat).

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PROBABILIS OPINIONIS DIVISIONE.

163. Divisio sententiae probabilis multiplex est. *Primo dividitur in opinionem probabilem immediatam et mediatam.* Est autem opinio probabilis immediata ea, quae ex ipsa apprehensione terminorum probabilis statim apparet, obscure tamen et credibiliter tantum, non clare et evidenter. Talis propositio est et dicitur principium probabile per se notum. — Mediata vero est et dicitur ea probabilis sententia, quae ex ipsis terminis seu extremis apprehensis non innotescit, sed

quae colligitur aut ex aliquo principio per se et immediate probabili certo et evidenter, aut ex principiis per se certis et evidentibus, per illationem probabilem tantum. Quod vero ex principiis per se certis et evidentibus bona et legitima formâ infertur, id non tantum probabile est, sed certum et evidens.

164. *Dices,* videri totum hoc novum esse, scilicet, dari propositiones probabiles per se et immediate notas. — *Respondetur,* id immerito asseri. Nam ipse iam Aristoteles eiusmodi propositiones novit. Et revera in l. 1 Posterior. c. 26 loquitur de opinione, quae sit acceptio propositionis immediata et non necessaria[1]. — Quando autem quaeris, qui fieri possit, ut sint propositiones immediate probabiles, respondetur, id ideo locum habere posse, quoniam immediata apprehensio terminorum propositionis saepe aut non omnino clare et certo ostendit eorum necessariam connexionem, ostendit eam tamen non omnino obscure; aut clare quidem et certo eorum connexionem ostendit, neque tamen ut plane necessariam, sed tantum ut communiter contingentem (cf. *Vasquez* 1, 2, disp. 62, c. 3, n. 8; *Lugo,* De fide div. disp. 1, sect. 7, n. 119 sq; *Terillum,* De consc. q. 4, n. 1 sqq; Regula mor. q. 32, n. 8 sqq; *Esparzam* l. c. n. 92).

Quando vero *Pallavicinus* disp. 1 De act. hum. q. 1, a. 3, n. 3 sqq opponit, quasi omnia quomodocumque per se nota debeant esse evidentia neque probabili ut probabili possimus assentiri ullo assensu immediato, primum quidem videtur id dici contra experientiam; deinde vero rationes, quas Pallavicini affert, videntur non subsistere. Una est haec: Cum

[1] Sensus huius asserti hic est: Assentimur quandoque alicui propositioni propter connexionem inter subiectum et praedicatum immediate apprehensam; neque tamen talem, ut extrema appareant necessario et semper inter se connexa, licet inter se connectantur frequentius. Ergo adest propositio, quam vocamus probabilem, et est quidem immediate, seu sine medio, probabilis. Sic v. g. immediate probabile est, fortuitum iactum isocaëdri variis punctis 1 2 3 4 5 etc. ex ordine distincti non daturum prima vice numerum primum.

haec iudicia non sint evidentia, iis non assentimur vi naturae, sed ex imperio voluntatis. Omne autem imperium voluntatis supponit aliquod iudicium, quod voluntatem ad imperandum assensum inducit. Iam vero hoc iudicium aut evidens est aut obscurum. Non potest tandem esse obscurum; nam sic introduceretur progressus in infinitum. Ergo est evidens. Ergo numquam probabili ut probabili immediate assentiri possumus, sed tantum nixi altero evidenti iudicio. — Haec tamen ratio propositum nequaquam efficit. Nam *imperium* quidem voluntatis est id, quod mentem in casu *ad exercendum actum assensus determinat; ratio autem intrinseca assensus seu quae mentem intrinsecus ad assentiendum movet, et propter quam immediate et unice assentimur, sunt illa momenta obiectiva propositionis, quae assensum sollicitant atque ad eum antecedenter mentem inclinant, non necessitant.* Iudicium vero, quod praelucet imperio voluntatis, est dictamen, quo evidenter iudicamus, nobis convenire, ut ob illa motiva saltem probabiliter immediate assentiamur. — Altera ratio petitur a paritate quadam, quae non adest. Est haec: Omne ens realiter contingens necesse est oriatur ab aliqua causa necessaria secundum esse reale. Ergo omne ens intentionaliter contingens oriri debet ab aliqua causa necessaria secundum esse intentionale, i. e. a cognitione evidenti. *Respondetur:* Antecedens conceditur et verum est; dependet enim omne ens reale ab ente necessario in esse reali essentialiter et indispensabiliter; negatur vero consequens, quia eiusmodi dependentiam inter ens intentionale contingens et ens intentionale necessarium locum habere nec probatur nec per se patet. De his conferri potest *Terillus,* De consc. q. 4, n. 1 sqq.

165. *Dividunt 2° opinionem probabilem in opinionem tantum absolute probabilem et probabilem etiam comparative vel relative.* Absolute probabile dicitur illud, quod secundum se tantum consideratum, praecisis et neglectis omnibus contradictoriae partis rationibus, motiva habet de se apta ad virum prudentem in absolutum ipsius assensum inducendum. Comparative vero

probabile illud est, quod talia habet momenta obiectiva, ut etiam comparata cum motivis contradictoriae partis adhuc valeant virum prudentem ad sui assensum trahere. Priore modo probabilia secundum quid, simpliciter tamen improbabilia, ut mox apparebit, multa sunt, quae ab haereticis in favorem suae haeresis proferuntur; haec enim, ubi primum comparantur cum motivo contradictoriae partis, vera et certa auctoritate divina, sine ullo valore esse apparent neque ullum cordatum hominem ad suum assensum movere queunt. Sic etiam duo viri graves suo testimonio rem, quam dicunt a se visam esse, per se probabilem reddunt; nihilominus si opponuntur ipsis quinque alii viri etiam graviores, qui ipsi quoque ut oculati testes de eadem re contrarium deponunt, istorum testimonium plane eliditur nec quidquam amplius valet. Unde horum quinque testimonium in casu unice et comparative et simpliciter est probabile, aliud vero iam est simpliciter improbabile. Hinc vides, hanc divisionem probabilis opinionis non esse adeo divisionem opinionis vere probabilis in sua inferiora, quam divisionem opinionis vere et simpliciter probabilis contra opinionem improbabilem. Nam id, quod *tantum* est absolute probabile, est revera improbabile.

166. *Tertia divisio est in probabilem intrinsecus et probabilem extrinsecus et probabilem utroque modo.* Intrinsecus probabile id est, quod nititur ratione magni momenti, quae, omni doctrinali auctoritate seposita, aut ex ipso obiecto, eius proprietatibus, causis, effectibus aut ex ipsa lege positiva, sive divina sive humana, hauritur; extrinsecus aliquid probabile fit gravi auctoritate testium fide dignorum. Constituitur autem auctoritas testium fide dignorum tribus maxime momentis: *peritia rei,* de qua agitur, atque capacitate intelligendi et aestimandi omnia, quae forte in contrarium afferri possunt; *probitate,* qua homo cupidus veri omnem inordinatum affectum erga rem, de qua quaeritur, omnemque praecipitantiam in iudicando cavet; *veracitate,* qua determinatus est ad nihil aliter eloquendum, quam est in mente sua. Nihil tamen movemur

dicentis assertione, nisi sufficienter perspicimus, *diligenter et ex omni parte eum rem examinasse et eam saltem vera probabilitate intrinseca praeditam esse, certo cognovisse. Est igitur cognita intrinseca rei probabilitas fundamentum omnis verae extrinsecae probabilitatis.* Quando vero omnia haec adsunt, negari non potest, sententiam ita prolatam esse per se vere extrinsecus probabilem, seu adesse magnam et gravem rationem veritatis eius rei, etsi minime convincit; maxime vero adest probabilitas extrinseca, *quando plures huiusmodi viri* in affirmanda huiusmodi sententia conspirant. Nam ita saltem moraliter certum est, ei non deesse intrinsecam probabilitatem (cf. *Ioannem a S. Thoma* 1, 2, q. 18, disp. 12, a. 3). Cessaret autem illico probabilis esse aliqua sententia, si aliquid, quod aut auctoritate, S. Scriptura, conciliis, Patribus etc., aut ratione certum est, ei merito opponeretur. Nam certum non compatitur contradictorium esse probabile.

167. *Dices:* Difficile constare potest de veracitate hominis, quando testatur de re, quam ipse solus mente percepit. Ergo difficile etiam constat de eius testimonio, num veram probabilitatem ei rei conciliet, quam ut certo sibi intrinsecus probabilem adstruit. — *Respondetur,* antecedens verum non esse, quoties plures docti et probi independenter idem testantur. Nam inter ipsos convenisse de mendacio dicendo, per se satis absurde dicitur. Tunc igitur satis facile constat, verum eos loqui, quando omnes dicunt, rem sibi probabilem esse intrinsecus. Et revera, quoties aliquid probabile fit propter extrinsecam auctoritatem, plerumque, immo fere semper adsunt testimonia independentia saltem plurium, immo plurimorum virorum doctorum et proborum, qui de cognita a se intrinseca probabilitate independenter testantur. Ergo de ea probabilitate satis constat (cf. definitionem *Aristotelis* supra n. 155 allatam; *Terillum,* De consc. q. 5, n. 31 et 40; q. 2, n. 30). Hoc autem usuvenit ideo, quoniam probabilitas intrinseca rei est res manifesta; est enim insignis quaedam apparentia veri, vehementer inducens ad assensum. Quare, quoties

in mente rationes vere probabiles adsunt, admodum saltem difficile est, celari probabilitatem earum ab homine rei perito, qui apparentiam et vim motivi magnam in se experitur, similiter ac res sensibilis communem hominum perceptionem difficile effugit, quando in lumine est posita[1]. Ergo in plerisque eventibus de probabilitate extrinseca et de ea, quae ei praesupponitur intrinseca probabilitate, testimonio plurium doctorum satis constat. Adverte tamen, nos minime computare in numero doctorum et peritorum, qui independenter de re aliqua suffragium ferunt, meros compilatores, qui sententias apud alios scriptores repertas solum describunt et in suis libris referunt. Independenter autem testari dicimus eum scriptorem, qui non aliquid asserit propterea tantum, quia alius ante eum idem statuit, sed qui re diligenter et perite examinata de ipsa pronuntiat. Hic auget suo testimonio pondus assertionis, merus compilator minime (cf. *Sanchez,* De matrim. l. 3, disp. 44, n. 2; Decalog. l. 1, c. 9, n. 9; *Castro-Palaum* I, disp. 2, punct. 1, n. 10; *Martinon,* Disp. theol. disp. 14, n. 42; *Terillum,* De consc. q. 6, n. 43 sq; Reg. mor. q. 23, n. 25; *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 20, n. 53; alios apud ipsum). — De casu autem, quomodo vel unus scriptor sententiam aliquam vere probabilem reddere possit, infra agetur. — Quid probabile sit utroque modo, patet ex dictis. Est illud, cui et vere gravis ratio assistit et gravis auctoritas.

168. ***Coroll.*** Ergo non adeo solus numerus, sed pondus auctorum sententiam extrinsecus probabilem reddit. Cf. *Cardenam* l. c. tr. 1, disp. 11, c. 2, a. 4, ubi invenies adnotatos scriptores permultos, qui idem tradunt, ac nos modo diximus. Et revera si solus per se numerus posset sententiam pro-

---

[1] Attende valde inter se differre quaestionem de veritate absoluta alicuius rei et quaestionem de eius probabilitate. Veritas potest esse abscondita; probabilitas rationum vere probabilium saltem difficillime. Est enim magna apparentia veri, quae in ipsis manifesto relucet. Unde probabilitas, quam unus peritus percepit, facile ab omnibus aliis peritis percipitur (cf. *Terill.* l. c. q. 2, n. 30 et q. 5, n. 10).

babilem reddere, essent probabilia multa, quae prorsus sunt improbabilia. Cf. catalogum bene longum huiusmodi propositionum, quae, quamvis defensores nactae sint multos, nihil plerumque probabilitatis habent, apud *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 136 sqq et apud *Cardenam* l. c. disp. 20, c. 8, a. 6, n. 197 sqq et articulos etiam, qui sexto huic praecedunt.

169. Gravis autem imprimis est auctoritas eorum doctorum, qui *classici* vocantur atque omni exceptione maiores sunt. Excipitur porro contra aliquem auctorem aut propter imperitiam in quaestionibus moralibus aut ob improbitatem aut ob negligentiam in quaestionibus examinandis aut ob similes defectus. Qui vero alicui huiusmodi defectui obnoxius est, doctor omni exceptione maior esse non potest (cf. *Vivam,* Prop. 27 ab Alex. VII damn. n. 6; *Cardenam* l. c. disp. 11, c. 4, c. 7, n. 140, c. 11; *Terillum,* Reg. mor. q. 17, n. 12; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 160).

170. Revera tamen sunt multi classici auctores, ut *S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Bartholomaeus Medina, Alvarez, Bañez, Suarez, Lugo, Vasquez,* imprimis *Liguori,* et alii sane plurimi, etiam recentiores. Nec auctoritas eorum propterea imminuitur, quoniam quaedam eorum opiniones postea sunt damnatae ab ecclesia aut demonstratae ab auctoribus posterioribus falsae, dummodo fuerint ea aetate, qua scribebant, vere probabiles. Sic v. g. etiam summi doctores S. Thomas et S. Bonaventura errarunt, quando olim tradebant, omnes gradus consanguinitatis et affinitatis legis leviticae esse impedimenta matrimonium lege naturali irritantia. Numquid ideo eorum auctoritas quidquam detrimenti cepit, quia iam universaliter et iure habetur haec sententia pro omnino falsa? Et similiter in aliis quibusdam sine suo praeiudicio inculpabiliter errarunt (cf. *Lacroix* l. c. l. 1, n. 161).

Attamen si numerus sententiarum postea damnatarum nimium in aliquo scriptore increscceret, aut si sententias ex falsis principiis deductas protulisset, iam inter classicos non posset ullo modo numerari, quia iure timeretur, ne etiam in

ceteris a vero saepius aberrasset; et profecto unum huiusmodi principium falsum est revera seges multorum errorum (cf. *Carden.* l. c. c. 4; disp. 55, n. 2; disp. 59, n. 33; l. c. P. 2, diss. 1, c. 13 etc.).

171. Unum addo, in multis auctoritatem recentiorum scriptorum praeferendam esse auctoritati veterum, ac propterea a studio recentiorum iam propter hanc rationem non esse cessandum. Etenim 1° multa decursu temporis a competente auctoritate, Romano Pontifice, etiam mediis Congregationibus, dirempta et infallibiliter statuta sunt[1]; haec autem recentes,

[1] Conc. Vatic. sess. 4, c. 4. Cf. *Vivam,* Quaestio prodroma ad Trutinam propositionum damnatarum, et *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 9 per totam, praesertim c. 20, a. 6 sqq. — Quod autem *Lacroix* l. c. l. 1, n. 204 innuit, *Cardenam* l. c. n. 372 contradicere *Lugo,* De fide disp. 20, n. 135, et *Cano,* De locis l. 12, sect. 10, § „Propositionem", verum non est. Etenim duo hi dicunt tantum, scandalosam posse esse etiam sententiam, quae verum enuntiat; quod sine dubio verum est (cf. *Lugo* ib. n. 99 et *Canum* l. c.). Id tamen ipsum profitetur *Cardenas* ib. n. 364. Addit vero *Cardenas,* quando „Romanus Pontifex docens Ecclesiam in materia morum affirmat, doctrinam esse scandalosam, consequenter ipsum affirmare, eam esse falsam" scil. in ordine morum (n. 373). „Pontifex cum e cathedra loquitur", inquit, „et negat probabilitatem opinionis aut affirmat eam esse scandalosam, id docet et declarat Ecclesiae in perpetuum tamquam doctrinam omni tempore sustinendam. Et ideo non dicit solum, quod de praesenti nullum pro ea apparet fundamentum grave, sed quod nec umquam apparebit et quod semper pro scandalosa reputanda est. Quare relinquit omnimodam desperationem de probabilitate eius et de ablatione scandali, quod secum importat." Sed quaenam hic contra priorem propositionem contradictio? Eandem doctrinam repetit Crisis P. 2, diss. 1, c. 10, a. 2, n. 168 sqq. Articulus inscribitur: „An propositio in materia morum, quam Pontifex declarat scandalosam, eo ipso sit certo falsa." Id ibidem affirmat et probat. Est igitur secundum *Cardenam* magnum discrimen inter sententiam in materia morum declaratam scandalosam a Summo Pontifice pro tota Ecclesia et declaratam scandalosam a privatis doctoribus. Hi enim recte ideo possunt declarare sententiam scandalosam esse, i. e. modo esse scandalosam, quia nullum hucusque solidum fundamentum probabilitatis apparet; quod minime impedit, quominus aliquando tale appariturum sit. Contrarium obtinet in eiusmodi condemnatione Romani Pontificis pro tota Ecclesia facta. Eiusmodi condemnata pro tota Ecclesia sententia ambusta est semperque erit scandalosa et improbabilis (cf. *Cardenam* l. c. P. 1, n. 378). — Id confirmatur censuris, quibus Alexander VII et Innocen-

non veteres referunt; 2° alia item temporis decursu non solum a Romanis Pontificibus, sed etiam a Congregationibus Romanis ita sunt statuta, ut pro opposita sententia nulla remaneat solida probabilitas (cf. *Denz.,* ed. novissima, n. 1683 et 1684, olim n. 1536 et 1537); 3^io^ item multae leges tum ab ecclesiastica tum a civili potestate temporibus posterioribus latae aut abolitae sunt; quare in multis quaestionibus status quaestionis prorsus immutatus est; 4° etiam doctrina et studio recentiorum quaedam ita sunt elucidata, ut opposita, quae prius probabiliter docebantur, iam prorsus improbabilia facta sint (cf. circa dicta *Cardenam,* Crisis P. 2, diss. 1, c. 2, n. 80 sqq); 5° fit etiam, ut ex iisdem causis sententia, quae prius habebatur pro improbabili, probabilis, immo certa evaserit (cf. *Terill.,* De consc. q. 5, n. 26 sqq). Haec omnia autem attendunt et referunt recentiores scriptores, veteres autem, ut patet, nequibant ea attendere et considerare. Ergo veteribus quidem diligenter studendum, neque tamen ita, ut recentiores negligantur.

172. *4° Dividitur sententia probabilis in sententiam certo probabilem et in sententiam, quae tantum probabiliter probabilis est.* Illa est, quam omnino certum est niti motivo magni momenti, absolute et comparative. Hanc vero eiusmodi motivo magni momenti niti tantum est probabile. — Nihilominus potest sententia reddi certo probabilis, quae de se firmatur tantum testimonio probabili, atque adeo per se tantum videtur esse probabiliter probabilis. Sic auctoritas parochi vel confessarii certo non est tanta, ut quidquid dicunt, ipsa certum reddatur. Ergo quando ipsi testantur de probabilitate alicuius sententiae, ea videtur reddi tantum probabiliter probabilis. At homo vulgaris et ineruditus, dummodo ne per accidens merito suspicetur, parochum vel confessarium a communi in ecclesia doctrina suo responso declinare atque errare, in quo casu eorum

---

tius XI plures theses in re morali scandalosas damnarunt. Has omnes habent ut prorsus et semper improbabiles (cf. *Denz.* n. 1145 [1016] et n. 1215 [1028]).

responsum esset per se minus probabile vel etiam prorsus improbabile, quoniam perfectiorem gradum cognitionis et certitudinis in quaestionibus moralibus generatim assequi nequeunt, iam ob unam hanc rationem eorum responsis satis certiorantur. Ergo dictis parochi vel confessarii faventibus libertatem redduntur actiones, de quibus quaeritur, pro ipso interroganti communiter certo probabiles (cf. *Terillum* l. c. q. 6, n. 9 sqq; *Ioannem a S. Thoma* disp. 12, n. 34).

173. Deinde vero adverte, locutionem „probabiliter probabilis" nonnumquam videri aequivalere locutioni, qua asseritur, aliquam sententiam *non esse improbabilem*. Hac porro locutione videtur potius indicari, deesse aliquid, ut positive et certo probabilis dicatur sententia quam ipsum affirmari. Ergo potius, ita si usurpatur vox, negatur hac dicendi formula positiva et certa sententiae probabilitas quam statuitur. Et ita eam formulam concipit *Terillum* l. c. q. 2, n. 27 (cf. ipsum etiam ib. q. 4, n. 18; q. 21, n. 1). Idem sentiunt aliqui apud *Cardenam* l. c. disp. 4, c. 2; similiter *Viva,* „Damnatae theses" ad propositionem 3^iam^ damnatam ab Innocentio XI n. 10.

Alii vero dicunt ea loquendi formula indicari, „omnibus expensis posse pro ea sententia prudenter iudicari, gravem et solidam pro ipsa adesse rationem, et consequenter pro eius veritate esse grave motivum, adeoque vix esse discrimen inter certo et probabiliter tantum probabilem". Ita inter alios *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 368; *Cardenas* l. c. c. 3, n. 15; cf. ib. c. 6, qui hanc sententiam bene defendit; *Ballerini-Palmieri,* tr. 2, n. 119. De hac quaestione infra amplius agetur.

174. *Addo aliquid circa sententiam ex probabilibus probabiliter deductam.* Quae ex praemissis probabilibus probabiliter colligitur sententia, ea sine dubio minus probabilis est quam praemissae. Incertitudo enim singularum praemissarum augetur incertitudine earum inter se et in medio termino. Nihilominus licet minor conclusioni semper conveniat probabilitas, potest tamen ea remanere vere probabilis. Sed de hac re cognoscere et iudicum ferre, non est omnis novitii

theologi, sed tantum gravium theologorum, qui perpensa utraque defectibilitate et praemissarum et illationis de probabilitate conclusionis prudenter enuntient (cf. *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 8, n. 2 et 7; *Terillum*, De consc. q. 5, n. 5 sqq; Reg. mor. q. 29, n. 17; *Lacroix*, Theol. mor. l. 1, n. 169 et 172). — Cavere autem maxime oportet, ne ex praemissis incomprobabilibus vel incompossibibus, i. e. ex praemissis, quae singulae quidem probabiles sunt, quae tamen ambae simul verae esse nequaquam possunt, quidquam velimus deducere. Ex his enim manifestum est, nihil posse inferri (cf. *Cardenam* l. c. disp. 7 et 8; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 167 sq).

175. *5° dividunt sententiam probabilem in magis, minus, aequaliter probabilem.* Magis probabilis illa est, quae nititur motivis maioris momenti vel motivis pluribus. Minus probabilis sententia momentis minoris ponderis aut paucioribus sustentatur. Aeque vero probabiles sunt sententiae, quae momentis aequalis vel fere aequalis ponderis innituntur. Facile autem patet posse uni videri aliquid probabilius esse opposito, licet alii contrarium iudicent. Id partim venit a varia penetratione motivorum, qua unus intellectus prae alio motiva magis et altius penetrat — et hoc merito censetur et est probabilius —, partim vero id provenit a prorsus subiectivo elemento; et hic cavendum. Nam facit plurimum affectus et inclinatio sive naturalis sive acquisita et libera, ut motivum ei congenium pluris aestimemus graviusque nobis appareat quam meretur (cf. *Terillum,* De consc. q. 3, n. 12 sqq). Huc referre etiam oportet mores et consuetudines atque enata inde praeiudicia variarum nationum. Sic una natio magis inclinat in severiora et graviora, et ob id facile severiori parti in iudiciis ferendis favet; cuius contrarium contingit in aliis populis. Amor et odium similiter falsa iudicia facile progignunt (cf. *Terillus* ib.).

176. *6° merito dividunt etiam probabilem sententiam in eam, quae est probabilis quoad se et quae est probabilis quoad nos.* Dicitur probabilis quoad se, non quasi ulla res ullumve obiectum mere secundum se consideratum sit tantum probabile,

sed ita semper est obiective certum. At quandoque momenta obiectiva, quae rem concernunt et quae homines communiter assequi possunt, sunt talia, ut, *si quis ea noverit omnia,* non possit non pronuntiare rem esse probabilem, *id est probabile quoad se;* quandoque vero res, licet obiective improbabilis sit, tamen quantum *ipsi* eam modo assequi possumus, videtur nobis subiective niti magna et solida ratione; *hoc est probabile quoad nos.* Sic homini inter haereticos educato, qui nihil de catholica fide audivit, quique ipse haereticus materialis est, potest aliquid, quod est contra fidem catholicam et prorsus quoad se et obiective improbabile, nihilominus videri certo probabile. Huiusmodi igitur sententia, etsi est prorsus improbabilis quoad se et quoad se prorsus falsa, potest tamen esse ei praecise homini prorsus probabilis (cf. *Terillum,* De consc. q. 4, n. 13 sqq; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 116). — Non omnino coincidit cum hac distinctione alia, qua interdum distinguitur probabilis sententia *in probabilem obiective et probabilem subiective.* Subiective probabile dicunt illud, cui quis ipse possit prudenter assentiri recipiendo sententiam in proprium intellectum et affirmando ipsam; obiective vero eam sententiam probabilem dicunt, cui quis assentiri ipse fortasse non possit, habet tamen illam ut obiectum suae considerationis et iudicat, talia ei adesse motiva, ut saltem alios viros prudentes ad assensum irreprehensibilem movere possit nec habeat contra se aliquid convincens (cf. *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 10; *Mayr,* Theol. schol. tr. 4, n. 301). Haec tamen divisio practice minoris est momenti.

ARTICULUS TERTIUS.

DE QUIBUSDAM NOTIONIBUS NOTIONI PROBABILIS AFFINIBUS ET CONNEXIS.

177. *Quaestio 1ª.* Connectitur cum notione sententiae vere probabilis notio sententiae, quae dicitur *tenuiter probabilis.* Quid igitur est sententiam tenuiter probabilem esse? Hoc maxime quaeritur propter propositionem tertiam ab Inno-

centio XI proscriptam ut scandalosam et in praxi perniciosam: „Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quamvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.“ [1] Ergo qui ita agit, non prudenter agit, sed imprudenter et peccat. Quid igitur ista tenuis probabilitas est? *Sunt, qui dicant addita voce „tenuis“ ita probabilitatem sententiae extenuari, ut iam reapse probabilis non sit.* Ita v. g. S. Alphonsus. Nam quod tenue est, leve est; quod autem probabile, momentosum et grave. Qui igitur non est flagrans contradictio tenuis probabilitas? At flagrans haec contradictio fortasse nonnihil imminuitur addito inciso: „modo a probabilitatis finibus non exeatur“, quo videtur vox „tenuis“ nonnihil limitari et attenuari atque indicari, aliquatenus tamen probabilitatis rationem in ea sententia servari. Cf. *Vivam,* Propositiones damnatae ab Innocentio XI prop. 3, n. 7, ubi haec: „Verum nomine opinionis tenuiter probabilis hic non est intelligenda opinio, quae est probabilis cum addito distrahente, ita ut nullatenus intra terminos probabilitatis contineatur. Aliter haec thesis non indigeret proscriptione, cum nemo sanae mentis docuerit, homines prudenter ac licite operari, si opinione nullatenus probabili nitantur.“

Potest igitur censeri, talem tenuem probabilitatem inveniri in sententia, quae absolute quidem probabilis est, comparative vero improbabilis. Ita *Illsung,* Theol. pract. tr. 1, disp. 1, n. 55 et 65; *Viva,* Propositiones damnatae ad prop. 3 ab Innocentio XI, n. 8, et alii tenuem probabilitatem interpretantur. At hoc ipsum accidere potest vel sententiae, quae secundum se gravibus omnino momentis fulcitur, quae igitur nequaquam secundum se tenuis dici potest. Hic autem videtur ex tenore verborum agi de tenui probabilitate secundum se. Insuper ob motiva oppositae partis gravissima, ipsius motiva plane obruuntur et confriguntur; unde ne tenuis quidem probabilitas videtur in ipsa relinqui. Nihilominus nihil repugno, si eius-

[1] Sumpta est ex *Tamburini,* Explicatio decalogi l. 1, c. 3, § 3, n. 3.

modi sententiam dicere velis tenuiter probabilem. Nam certo, si sequimur ipsam, non prudenter, sed imprudenter agimus.

Multo minus verum censeri potest alterum, quod quidam opinati sunt, *omnem, quae minus probabilis est sententia, probabilis tamen, hac thesi amburi*[1]. Nam minus probabilis sententia potest esse admodum probabilis et absolute et comparative, proinde nullatenus tenuis est. Et confirmatur: si prohiberetur hac thesi omnis usus sententiae minus probabilis, prout ii volunt, qui hanc interpretationem sequuntur, non esset, cur speciales quaedam sententiae de modo probabilis hic explicite adhuc notarentur. Constaret enim per se earum proscriptio hac ipsa generali propositione de tenui probabilitate notata et damnata. Reprobantur autem plures huiusmodi speciales propositiones explicite sub modo probabilis. Cf. v. g. propos. 2am; propos. 44 et 57 etc.[2] Et profecto non fuisset, cur thesis immediate praecedens a Pontifice adhuc signate damnaretur, licere iudici sequi sententiam probabilem. Nam cum ipsa thesi de tenui probabilitate omnis iam sententia simpliciter tantum probabilis damnata esset, quid opus erat, specialem aliquam thesim simpliciter probabilem adhuc damnare? — Tandem si prohibenda erat omnis sententia minus probabilis, sane Congregatio id explicite elocuta fuisset. Aut cur id non fecisset? (Cf. *Cardenam,* Crisis P. 2, diss. 4, c. 1.)

178. Alii igitur opinati sunt, *tenuiter probabilem intelligi probabiliter probabilem.* At multi, ut vidimus n. 173, etiam modo huiusmodi sententiam probabiliter probabilem aequiparant certo probabili et ab ea vix differre autumant. Nefas autem est a privato doctore propositionem notari ut damnatam, quam

---

[1] Cf. *Viram* l. c. n. 9; *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 936 sqq; *Gonzalez,* Fundam. theol. mor. diss. 5, c. 2, § 3.

[2] Prop. 2: Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare secundum sententiam minus probabilem; 44: Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat; 57: Probabile est, sufficere attritionem naturalem modo honestam (scil. ad valorem sacramenti poenitentiae).

etiam modo graves doctores ut ab omni nota immunem profitentur. Quae cum ita sint, *videtur recte dici, tenuem probabilitatem, quae hic damnatur, et ut scandalosa et in praxi perniciosa traducitur, esse probabilitatem dubiam.* Quae enim dubia est probabilitas, ea etiam tenuis est, nec permittit etiam adhibitis secundariis principiis formare prudens iudicium de liceitate actionis, quamvis speciem quandam levissimam probabilitatis servet nec manifesto a finibus probabilitatis exeat. Cf. *Cardenam,* Crisis P. 2, qui diss. 4, c. 3, n. 17 sqq hanc sententiam valide propugnat. Consentit Cardenae *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 126 et *Ballerini-Palmieri,* Opus morale tr. 2, c. 2, n. 119. Cf. etiam *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 937 sqq, qui merito notat ib. n. 942 sq, propositionem hanc tertiam non esse proscriptam in sensu auctoris, sed, quemadmodum in decreto Innocentiano diserte affirmatur, sicuti iacet. Et revera, sicut iacet, prorsus vagum, irrestrictum periculosumque probabilismum continet, adeoque merito damnatur. Id autem in sensu Tamburini, si ipse est auctor, non est omnino verum. De hac re postea. Contrarium censet *Viva* l. c. propositio 3ia n. 10, qui ibi pro probabiliter probabili enuntiat, quod idem facit *Reuter,* Theol. mor. P. 1, n. 105.

179. *Quaestio 2a, quae sententiae censeantur dubie probabiles esse. Respondetur,* motiva, quibus sententiae dubie probabiles evadunt, videntur ad haec posse reduci: 1° interdum prorsus incertum est, gravene sit intrinsecum motivum assentiendi; id autem maxime locum habet, quando merito suspicamur, ne forte in aequivoco laboremus an aliter sophistice decipiamur. Quae huiusmodi defectui obnoxia est sententia, ea sine dubio dubie probabilis est. — Quando vero de probabilitate extrinseca agitur, quae ab auctoritate petitur, dubie probabiles opiniones sunt 2° propter has causas: Auctor, qui novam sententiam profert, non est omni exceptione maior, nec ea, quam addit rationem, nobis satisfacit nec videtur esse omnino solida. A fortiore id locum habet, quando a tali scriptore novum quid sine addita ratione statuitur. — Alias pauci quidam

scriptores aliquam sententiam ut probabilem defendunt, longe vero maior pars eam ut improbabilem et parum tutam refellit. Interdum non potest ostendi, aliquam sententiam non pugnare cum quodam principio certo. Etiam ob hanc causam serium dubium de probabilitate alicuius sententiae oriri potest, quia auctores eam defendentes sunt mihi prorsus ignoti, neque alia via mihi constat de eorum excellentia (cf. *Cardenam* l. c. P. 1, disp. 11, c. 3; disp. 56, c. 9, a. 3, n. 5 sqq; P. 2, diss. 4, c. 5, n. 35; *Illsung,* Theol. pract. tr. 1, disp. 1, n. 38; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 127 sq).

180. *Quaestio 3ia, possitne sententia esse speculative probabilis, quae est practice omnino improbabilis. Respondetur,* id saepe usuvenire. Nam possumus considerare aliquam actionem nostram secundum solam ipsius substantiam; et ita si reapse fieri posset, esset probabilis, seu ita fieret secundum dictamen verae prudentiae. Attamen ita tantum occurrit in speculatione; in concreto vero et in rerum natura actio circumstantiis induitur, quae malae sunt aut quibus ipsa saltem mala evadit. Est igitur huiusmodi actio in concreto mala. Unde etiam sententia, qua probabilis pronuntiatur, speculative quidem probabilis dici potest; practice vero et moraliter improbabilis est (cf. inter alios *Ioannem a S. Thoma* l. c. disp. 12, a. 3, n. 6 sq; *Cardenam* l. c. P. 1, disp. 14, c. 2 et disp. 56, c. 1; *Illsung* l. c. l. 1, n. 69: *Terillum,* De consc. q. 4, n. 20 sqq; *Moyam,* Electae quaest. tr. 1, q. 2, n. 2; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 115 et 117 et alios communiter). Sic v. g. tactus *quidam* humani corporis nudi, maxime diversi sexus, licet considerari possit fieri tantum propter qualitates iucundas (mere sensuales), quae nullam per se malitiam continent, in concreto tamen et communiter venereus est et carnalis. — Potest etiam huc revocari actio, quae secundum se et natura sua est licita, evasit tamen propter legem positivam aut propter scandalum ei adiunctum illicita. — Ceterum quae sententia est speculative probabilis, ipsa etiam practice probabilis est, quoties speculatio omnia momenta respicit, quae usuveniunt in praxi (cf. *Cardenam* l. c. disp. 15, n. 186 sq; *Illsung* l. c.;

Terillum, De consc. q. 4, n. 22). — Denique hic notandum, non omnes adhibere voces sententiae speculative et practice probabilis eodem plane sensu, licet is, quem supra dedimus, sit longe communior (cf. *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 115[1]; *Schmitt,* Zur Geschichte des Probabilismus 19).

181. *Quaestio 4ª: Unus auctor possitne sententiam probabilem reddere. — Respondetur 1°:* Quod attinet ad sententiam, quam theologus omnino gravis propter probabilitatem intrinsecam actionis rite et certo a se perceptam ipse format, sane ex supra demonstratis evidenter constat, talem probabilitatem pro ipso vere et certo adesse (cf. supra n. 166; cf. etiam *Azor* I, l. 2, c. 17, q. 6; *Vasquez* 1, 2, disp. 62, c. 4, n. 13; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 9, n. 9; *Moyam,* Electae quaest. tr. 1, q. 3; *Castro-Palaum* I, tr. 1, disp. 2, punct. 1, n. 3; *Reuter,* Theol. mor. P. 1, n. 93 sqq; *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 83 sqq).

182. 2°. Quam vero auctor classicus, etiam contra communem, enuntiat *novam in theologia morali sententiam* ut probabilem, ea ob eius solam auctoritatem de se certo iam probabilis est etiam aliis; nisi in particularibus causis ob speciales rationes contrarium dicendum sit.

Patet opus esse, ut agatur de materia probabili. Nam in huiusmodi solum materia communis etiam opinio non excludit, ut grave pro contraria sententia fundamentum aliquando reperiatur, modo quidem sic, ut probabilitas a contraria sententia auferatur, modo vero et communius, ut contraria etiam sententia probabilis maneat. Nihil enim repugnat duas inter se oppositas sententias in materia non certa, sed topica, simul esse probabiles, ut infra ostendetur. In materia vero certa

[1] Hic diversos modos, quibus aliquid speculative tantum aut practice etiam probabile dicunt, ita colligit: Speculative tantum probabile est omne id, quod est ita probabile, ut vel de praxi nihil enuntiet vel tantum procedat habita ratione principii universalis non consideratis illis, quae in praxi actioni communiter coniunguntur; practice vero illud est probabile, quod enuntiat licitam esse praxim post omnia considerata, quae in praxi apta sunt contingere.

evidens est, id locum habere non posse; ea enim est necessario et immutabiliter talis, qualis dicitur.

Ostenditur huius secundi asserti prior pars. Auctor classicus in theologia morali est vir, quem notorium est esse admodum probum et veracem, qui igitur nec passione nec prava aliqua inclinatione motus, sed uno honestatis et veritatis commodo studet et scribit. Est porro vir, qui publice notus est ut peritus in quaestionibus moralibus, quem igitur non facile, minime vero quando ex professo quaestionem tractat, quidquam alicuius momenti elabitur, quod pro sententia vel contra eam affertur vel afferri potest, quique quid singula momenta valeant, recte aestimare valet. Est denique vir, quem ex scriptis editis aut alia etiam via constat, quaestiones, quas agit, mature et considerate, non obiter et praecipitanter tractare. Atqui evidens est, id, quod huiusmodi vir causa ex omni parte expensa ut probabile et sua sententia verum assertive enuntiat, etiam communissime tale esse et vix umquam tale assertum a veritate, i. e. a vera probabilitate, deflectere. Ergo huiusmodi sententia vere et certo probabilis est. — Atque ita etiam scriptores communissime censent. Cf. *Ioannem a S. Thoma* 1, 2, disp. 12, a. 3, n. 31 sqq; *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 11, c. 7, n. 141 et sequentes articulos. Cf. etiam ib. c. 3, ubi multos scriptores graves huc pertinentes laudatos invenies[1]; *Vivam,* Trutina ad propositionem 27 ab Alexandro VII damnatam n. 6 sqq; *Rassler* l. c. disp. 3, n. 87 sqq. Cf. quoque rescriptum S. Poenitentiariae die 5. Iulii 1831 editum de auctoritate S. Alphonsi ob solam eius assertionem apud *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 86. Haec tamen eius auctoritas non ita accipienda est, quasi nulla iam sententia S. Alphonsi possit umquam a probabilitate excidere. Exciderunt iam plures, sed de se pro ipso est praesumptio, quae nisi aliquo decreto Pontificio aut Congregationis aut alia gravissima auctoritate vel ratione non perimitur.

[1] Non est tamen omnium horum manifesta pro hac doctrina sententia.

Probatur altera pars seu exceptio addita. Etenim quamvis auctor classicus suam per se sententiam probabilem reddat, tamen homo cum sit, nihil repugnat, eum aliquando a vero aberrare vel a probabilitate excidere. Et certo erravit atque errat, adeoque nec eius sententia probabilis est tunc, quando contraria sententia iam est certa seu probabilissima, aut quando constat, eum per accidens levi usum fuisse ratione. Prior casus maxime locum habet in sententiis, quae iam iacent prostratae et antiquatae, et huiusmodi plures sane sunt, aut quia postea damnatae sunt a Romanis Pontificibus aut Congregationibus, aut quia ex damnatis sententiis necessaria illatione consequuntur, aut quia alio modo iam minime probabiles evaserunt. De levitate vero vel gravitate rationis allatae praesertim decursu temporis satis semper constabit. Nam fieri necesse est, ut huiusmodi aut habeat sectatores aut sectatoribus careat. Si graves auctores ei accedunt, pondus probabilitatis iugiter increscit; sin contra sectatoribus gravioribus et independentibus caret, satis evidens signum est, rationes ab eo allatas fuisse leves et insufficientes. Item cessat eius auctoritas, quando constat aut iure praesumitur, eum minus diligenter quaestionem in casu particulari expendisse.

Si denique auctoris minus gravis singularis sententia quandoque extrinsecus probabilis evadit, quod nihil sane repugnat fieri, id non evenit ob auctoritatem ipsi propriam, sed quia ratio, quam attulit, ab aliis gravibus et independentibus doctoribus postea gravis et magni momenti reperta est (cf. *Cardenam* l. c. c. 6 et c. 8, a. 17, n. 252 sqq; *Moyam* l. c. q. 4, § 3, n. 10).

183. Ergo merito Alexander VII die 24 Septembris 1665 damnavit ut ad minimum scandalosam hanc 27^am^ propositionem: „Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.“ Dicto omnis moderni hic probabilitas attribuitur, quoniam auctores huius propositionis satis viderunt, omnibus antiquis id minime tribui posse; sunt enim plura ab iis dicta prorsus iam antiquata et a Sancta Sede reiecta. Neque

tamen concessio haec facta modernis ex pluribus causis sustineri potest. Nam 1° clausula finalis: „Dummodo non constet reiectam eam sententiam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem", videtur supponere, Sedem Apostolicam omnem sententiam improbabilem aut censura dignam, quae in vulgus editur, continuo reicere et improbare; quod certum est Apostolicam Sedem minime facere (cf. Bullas, quibus Innocentius XI et Alexander VII plures laxas sententias damnarunt; cf. etiam *Vivam* ad proposit. 27 Alexandri VII n. 4; *Ballerini-Palmieri* tr. 2, n. 108). Ergo ex hoc negativo momento nulla in principalem assertionem auctoritas refunditur. 2°. Neque censura communis theologica operibus recentiorum scriptorum adhibita et inscripta eam eis auctoritatem confert, ut omne eorum dictum iam probabile sit. Nam etsi supponamus, omnem omnino librum de theologia morali agentem oculis censorum ecclesiasticorum subici: at quandoque censura ab iis fit perfunctorie, oscitanter et negligenter, quandoque nimis indulgenter et ob humana motiva; raro autem censores eo numero et loco sunt, qui sententias ab ipsis approbatas vera probabilitate donent. Nec etiam si plures sunt, hoc modo defectus auctoritatis elevatur, quasi nimirum tres vel quatuor in theologia morali mediocres theologi tantum valeant, quantum unus in ea plane eximius et agnitus ut talis. Id nusquam valet. Nusquam, inquam, plures mediocritates uni viro in re, de qua agitur, plane eximio aequiparantur. Relinquitur igitur 3^io^ una auctoritas iunioris et moderni theologi. At omnem eiusmodi theologum suae sententiae per se probabilitatem conciliare prorsus improbabile et plane falsum est. Saepissime enim illis eximiis donis carent, quae ad eum effectum in ipsis omnino requiruntur (cf. *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 11, c. 12 sqq; *Terill.,* De consc. q. 6, n. 25 sqq; q. 29, n. 29; *Rassler* disp. 3, n. 90 sqq; *Vivam,* Trutina ad proposit. 27 Alex. VII n. 4).

184. His etiam hoc constat, non omnem quidem hominem, attamen omnem virum mediocriter doctum de probabilitate extrinseca opinionis iudicare satis posse, dummodo tamen

statum quaestionis satis intellexerit. Nam ita praeter statum quaestionis recte intellectum nihil aliud opus est, quam ut et norit, qui sint scriptores omni exceptione maiores, et quae sententiae aut auctoritate Pontificia aut aliter prostratae iaceant. Haec autem tria omnis vir modiocriter doctus scire et potest et debet (cf. *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 59, n. 7; *Vivam* l. c. ad proposit. 27 Alex. VII n. 8; *Lacroix* l. 1, n. 151).

185. *5° quaeritur, quid sit tutum, tutius, minus tutum. Tutum simpliciter* hic est id, *a quo omne periculum formalis peccati abest.* Talis est omnis actio, quae aut certo licita esse cognoscitur directa cognitione ex ipsa materia hausta seu principiis directis, aut quae saltem principiis reflexis et auxiliaribus certo licita esse evincitur in individuo, ut evenit in omni sententia de solo licito, quae directe tantum probabiliter aut probabilius licita esse ostenditur. — *Tutius* vero id est, *quod excludit non tantum periculum peccati formalis, sed etiam materialis.* Sic v. g. is, qui cavet multiplicationem praebendarum, tutius agit, quia neque formaliter neque materialiter peccat neque potest peccare, cum certo liceat non habere plures praebendas. Qui vero plures praebendas habet, is, etsi minime peccat formaliter, quoties ipsi eas ex vere probabili vel probabiliore sententia habere licet[1], tamen materiali peccato facile involvitur, cum saepe non solum probabilis sententia, sed etiam probabilior possit esse et saepe sine dubio sit falsa. Unde in casu suppositis supponendis ageret quidem sine peccato formali, minime tamen certus esset, omne etiam materiale peccatum a suo modo agendi abesse.

Hinc etiam constat, non id semper esse tutius, quod est probabilius, aut probabilius semper esse tutius.

186. *Communius igitur dicimur tutius tum agere, quando ex duabus contradictoriis sententiis eam sequimur, a qua omne periculum vel materialis peccati abest vel saltem nobis invinci-*

---

[1] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 4, n. 116 sqq; *Laurentium,* Instit. iur. can. n. 273.

biliter videtur abesse. Interdum vero in tali conditione versamur, ut, quocumque nos vertimus, videamur necessario incidere in peccatum. Dicitur is *perplexitatis status.* Sic si per accidens offendimus hominem moribundum sensibus destitutum, nescimus autem catholicus an protestans sit, licetne ipsi sacramentum extremae unctionis impertiri? Ex omni parte dubia et difficultates. Si ipsi conferimus sacramentum, exponimus nos periculo conferendi sacramenti invalide, et ita peccamus contra reverentiam sacramento eiusque auctori debitam; si non conferimus, contra caritatem proximi periculum est, ne offendamus. *In hoc casu tutius est id agere, quo removemus periculum maioris peccati.* Ergo quoniam caritas est prima et excellentissima omnium virtutum, necesse est, sacramentum sub conditione conferamus, maxime etiam, quia sacramenta sunt propter homines instituta. Atque hoc modo sine dubio formaliter non peccamus.

Minus tutum communiter intelligitur illud, cui saltem nexum videtur periculum peccati materialis, etsi periculum formalis peccati abest. Quandoque vero minus tutum id appellatur, quod ne quidem tutum simpliciter est, sed cui etiam formalis peccati periculum adhaeret, quod igitur practice improbabile est. Quomodo vox in singulis locis, ubi usurpatur, intelligenda sit, id diiudicandum ex contextu (cf. *Mastrium* l. c. disp. 5, q. 2, a. 1, n. 42; *Terill.,* De consc. q. 19, n. 2 sqq; *Moyam* l. c. q. 6, n. 56 sq; *Rassler* disp. 3, n. 11; *Lacroix* l. 1, n. 472 sqq).

187. *Quaeritur 6°, quod commodum quaeve utilitas ex doctrina de probabilitate resultet.* Demonstrabimus postea, eam sententiam veram esse, qua docetur, non solum id, quod directe est licitum probabilius, sed etiam id, quod directe licitum tantum est solide et vere probabiliter, nobis licere in particulari agere. Hic iam quaerimus, quod commodum pro nobis in hac licentia operandi id, quod directe probabile vel probabilius est, relicto eo, quod tutius est, contineatur. *Respondetur,* commodum in ea licentia contineri multiplex. Nam ita in

agendo ambitus moralis libertatis multo evadit latior, periculum vero offendendi Dei atque peccandi multum restringitur et imminuitur; quod pro hominis fragilitate et imbecillitate, ut fiat, multum desideratur. Praepediuntur etiam ita multae animi anxietates et animi pax multo facilius conservatur et fovetur. Iugum porro Dei suavius sentitur, iucundius et facilius portatur. Contra vero si obligamur sequi in omni eventu id, quod est tutius, sane iugum Dei videtur evadere valde durum et onus gravissimum; id autem erit, quae est hominis mentis et voluntatis imbecillitas, offendiculum frequentissimi lapsus. Replebit etiam talis agendi lex secundum tutiora mentem continuis angustiis et timoribus viamque salutis admodum impeditam reddet. Manifestum igitur est, benignam sententiam multum per se conducere ad pacem et salutem animarum. — Neque quidquam est, quod ex parte intellectus opponas, quasi nimirum ista operandi licentia insigni veritatis detrimento ematur. Ostendetur enim efficaciter, quidquid est de operandi licentia ex principiis directis, de ipsa, quoties de certo probabili sententia agitur, in singulis eventibus virtute principiorum reflexorum et auxiliarium indubie et perfecte constare. Quare dicendum, ea, quae modo commemorata sunt commoda, ipsa etiam vera, non ficta esse.

188. Quae cum ita sint, *quaeres 7°, praeferendumne sit practice, ut in singulis eventibus sequamur semper id, quod propter directam probabilitatem sententiae reflexe agere licet, an potius amplectendum id sit, quod est tutius. Respondetur,* graviter erraremus, si ob veritatem minus strictae sententiae, eam vellemus in singulis eventibus amplecti ipsamque exsecutioni mandare, vel si vellemus indiscriminatim aliis suadere, ut sequantur ipsam. Nam etsi ita per se licet agere, non tamen per se licet eam sententiam indiscriminatim aliis suadere, neque conducit nos ipsos communiter et ordinarie ita operari. Etenim illa probabilia, etsi licita sunt, sunt tamen fere imperfectiora tutioribus. Imperfectum autem, ut agant, suadere aliis sine ratione excusanti, certo vitiosum est; agere vero

ipsa sine causa excusanti, etsi de se peccatum quidem non est, est tamen defectus moralis, sublatio multorum meritorum et causa privationis multarum gratiarum, quae nobis provenirent, si agendo tutiora et perfectiora essemus secuti. Ergo dicendum quidem aliis communiter hoc, licere ita agere, suadere vero et impellere eos, ut ita reipsa agant, sine causa excusanti minime licet, sed saepe contrarium est faciendum. Ut autem videas, quanta tibi incommoda inferas, si tutiora et fere secundum se perfectiora agens declines, afferam unum alterumve exemplum, quibus id illustratur.

Est probabilissima sententia attentionem ad sensum verborum, ut valida et recta sit recitatio divini officii, non requiri, sed plane sufficere attentionem ad verba recte recitanda una cum intentione saltem virtuali colendi Deum (cf. *S. Alphons.* l. 4, n. 176, § „Attentio autem"; *Lehmkuhl* II, n. 632). Quicumque igitur hanc sententiam sequitur, non opus est attendat verborum significationi, sed solum curet exactam in divinam laudem eorum recitationem. Caret tamen multis gratiis ita agens divinisque illustrationibus, quae intelligentem recitationem comitantur, et quibus acceptis fortior evaderet ad evitanda in posterum multa peccata mortalia[1]. Licet igitur quibusdam culpis venialibus careat ex sua probabilissima sententia minus stricta prae alio, qui amplexus est sequiturque strictiorem, nihilominus propter periculum incidendi in mortale, quod vitasset, strictiorem sententiam si esset secutus, sine dubio in peiore conditione versatur prae illo, qui strictiorem est secutus. Securior enim multo est animi status, quo homo redditur fortior ad vitanda mortalia, quam is, quo liberatur de facto a multis venialibus.

Similiter si avarus homo arripit probabilem sententiam, quae ipsum a restitutione excusat, vehementer dubium est, num conditionem suam meliorem et securiorem reddat. Victoria enim sui in re sibi difficili non solum sibi maius apud Deum

[1] Cf. 1 Cor 14, 14 sqq.

meritum, sed etiam probabiliter gratias plures comparasset, quibus vitium suum multum periculosum postea superasset (cf. *Terill.,* De consc. q. 31, n. 6 sqq, praesertim n. 14). Etiam apud ipsum praecedentia confer. Item *Esparza,* Appendix etc. a. 217 sqq; *Cardenas,* Crisis P. 1, disp. 13; *Lacroix* l. 1, n. 475 486 sq 510.

Ceterum quod praesertim ad priorem casum pertinet, sine dubio melius feceris, si mitiorem amplexus fueris sententiam, egeris tamen secundum severiorem; sic commoda habebis prioris sententiae coniuncta cum commodis posterioris.

ARTICULUS QUARTUS.
DE SIMULTANEA PROBABILITATE.

§ 1.
POSSITNE UTRAQUE CONTRADICTIONIS PARS VERE ET SOLIDE SIMUL ESSE PROBABILIS.

189. Patet, falsum esse id, quod olim Caramuel contendebat (cf. apud *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 4, n. 1), quando una pars contradictionis sit probabilis, eo ipso eius contradictorium esse probabile. Nam profecto non ideo adsunt graves et solidae rationes pro altera parte, quia adsunt tales pro una parte. Verum est unum hoc, quando pars una est probabilis, contradictoria non est certa seu est vere incerta. Certa enim si esset, altera non posset esse probabilis.

190. Iam inquirendum hoc, possitne revera simul utraque contradictionis pars vere et proprie esse probabilis. Neque tamen id inquirendum respectu diversorum intellectuum. Etenim nimium apertum est, posse esse probabilem v. g. sententiam A uni intellectui et simul posse eodem tempore contradictoriam sententiam probabilem esse alteri intellectui; prout etiam diversis temporibus potest probabilis videri eidem intellectui modo sententia A, modo contradictoria. Ratio prioris est, quia nihil repugnans asseritur, quando contenditur, duos homines contradictoria ex animi sententia affirmare, uni videri

rem se habere sic, alteri vero contradictorio modo. Id cotidie usuvenit. Quod idem dicendum de altero eventu. Nam homo hoc tempore hoc sentiens est quasi alter homo respectu contradictoriae assertionis, si ipse comparatur secum alio tempore. *Asserimus igitur, posse eundem hominem vere et simul affirmare, duas contradictorias sententias sibi esse simul vere et proprie probabiles, etiam intrinsecus, i. e. ob rationes ex ipsa re, de qua agitur, haustas.* Et cur? Quoniam duas contradictorias sententias simul probabiles esse nihil dicit, nisi duas puras affirmationes locum habere posse; scil. graves et quae doctum, peritum, prudentem hominem ad assensum impellunt rationes adesse pro una parte et simul eiusdem conditionis rationes adesse pro altera parte contradictionis. Huius conditionis rationes pro utraque parte contradictionis simul adesse posse palam est. Ergo.... Idem ostenditur alio modo. Probabilitas est veri apparentia talis, ut saepius coniungatur cum veritate quam cum falsitate (vide supra n. 157). Atqui nihil repugnat sententiam A habere veri apparentiam talem, ut ex viginti vicibus, ubi ea apparentia adest, quindecies verificetur, quinquies tantum cum falsitate coniungatur; eius vero contradictoria talem habeat veri apparentiam, ut, quoties adest, decies septies cum veritate, ter tantum cum falsitate coniuncta sit. Porro haec diversa connexio veritatis cum diversa apparentia veri, etsi non omnino exacte, tamen generatim ex vehementia respectivi impulsus ad assentiendum animadverti et aestimari simul a nobis potest. Ergo nihil repugnat, ut utraque contradictionis pars simul vere probabilis inveniatur et cognoscatur, idque aut ut magis aut ut minus aut ut aequaliter probabilis.

Confirmatur auctoritate *S. Augustini* in ep. 54 (alias 118), n. 4 (*Migne,* P. L. 33, 200), ubi disputans quaestionem, conveniatne singulis diebus communionem corporis Domini accipere annon, fatetur utramque sententiam probabilem esse, seu positivas et solidas rationes adesse pro utraque parte, quare unusquisque faciat id, quod pro sua pietate in Christum

faciendum sibi esse duxerit (cf. *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 9, n. 12; *Arriagam* 1, 1, disp. 24, n. 11; *Ioannem a S. Thoma* l. c. disp. 12, a. 3, n. 44 sqq; *Esparzam,* Appendix etc. a. 128; *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 15, n. 519 sqq; *Terill.,* De consc. q. 5, n. 16 contra *Vasquez* 1, 2, disp. 62, n. 10 sq; *Schildere,* De princip. consc. form. tr. 2, n. 16 aliosque apud ipsum. Hi tamen non omnes merito afferuntur). Ceteroquin adversarii miscent saepe duo valde diversa atque inter se confundunt; unum est, esse duas contradictorias sententias simul probabiles; alterum, posse nos duabus contradictoriis sententiis simul probabiliter assentiri; quorum unum est verum, alterum hoc prorsus falsum.

191. Patet in his, quae modo disputavimus, vocem probabilis sumi obiective, seu *simultaneas probabilitates ambarum sententiarum,* quae sibi contradictorie opponuntur, *simul ut obiective veras et certas cognosci.* Est tamen alius quidam modus, quo de simultanea probabilitate duarum sententiarum contradictoriarum loquuntur. Scilicet possintne esse duae sententiae contradictoriae, *simultanee probabiles subiective,* seu quod re idem est, possimusne alterutri ex contradictoriis et simul obiective probabilibus sententiis, prout placet, mente assentiri. — Non posse nos ambabus probabilibus sententiis simul assentiri, evidens est. Id enim non esset aliud quam eandem rem sub eodem respectu simul a nobis affirmari et negari, quod dicere absurdum est. — Sensus igitur quaestionis est, possimus affirmare, possimus etiam negare pro nostro beneplacito ipsam rem, cuius affirmatio et negatio ante mentem nostram versatur ut probabilis aut probabilior.

Aliis verbis agitur de quaestione, num voluntas possit physice, num possit etiam prudenter determinare intellectum, ut directe pro beneplacito voluntatis amplectatur alterutram sententiam ut veram, quando duae contradictoriae sententiae ut simul probabiles ante mentis nostrae oculos versantur. Est vel potius fuit de hac quaestione insignis controversia, aliis contendentibus, posse tantum id, quod probabilius est, saltem

prudenter, a mente nostra affirmando suscipi[1] — ita multi —, aliis item multis affirmantibus, id fieri posse non solum physice, sed etiam prudenter circa id etiam, quod aeque vel etiam minus probabile menti nostrae praesens est[2]. Solutio huius quaestionis ad doctrinam, quasnam probabiles sententias sequi nobis practice liceat, parum aut nihil confert. Quare eam hic omittimus (cf. apud *Rassler* disp. 3, n. 94 sqq et 1118; *Cardenam* l. c. disp. 15, n. 246; *Genicot,* Theol. mor. De conscientia n. 74).

192. Ostendere autem oportet ultimum hoc dictum verum esse, nihil referre in praxi, qualem in hac controversia partem teneamus. Etenim, si sententias certas aut probabilissimas aut unice probabiles interim seponimus, quas omnes directe amplecti et practice sequi licet, quidquid ceteroquin quomodocumque vere et solide probabile est, id, etsi ob suam probabilitatem directe affirmatur, nihilominus positivum dubium et probabile in favorem alterius partis contradictionis relinquit, sive id, cui assentimur, tantum est probabile sive est etiam probabilius. Ergo si vel probabilius amplectimur, nec aliud quidquam ultra id habemus ipsumque exsecutioni damus, exponimus nos formali et immediato periculo agendi id, quod nescimus, immo quod iure timemus, ne Deo displiceat. Tali autem se exponere periculo, formale peccatum est, prout supra est demonstratum. Ergo nullus directus assensus ad

---

[1] Ita inter alios opinantur *Laymann,* Theol. mor. l. 1, tr. 1, c. 5, § 2, n. 5 „Notandum secundo"; *Lessius* 1, 2, q. 17, a. 6; *Gonzalez,* Fundam. theol. mor. diss. 3, c. 2; *Pallavicinus* 1, 2, disp. 8, q. 6, a. 4, n. 8. Hi omnes docent aut videntur docere nos non valere adhaerere ei contradictionis parti, quae actu videtur esse manifesto minus probabilis.

[2] Ita inter alios censent *Cardenas,* Crisis P. 1, disp. 15, n. 303 sqq; *Illsung,* Theol. pract. tr. 1, disp. 1, n. 40; *Wirceburg.,* De act. hum. n. 236, resp. 3 et n. 276; *Lacroix* l. 1, n. 415; *Esparza,* Appendix etc. P. 2, a. 112 sqq; *Terill.,* Reg. mor. q. 29, n. 29; q. 30, n. 3; q. 52, n. 11 et De consc. q. 8 9 10; *Rassler,* Norma recti disp. 3, q. 4, a. 1, n. 94 sqq; *Bouquillon* l. c. l. 3, n. 263. Cf. etiam *Suarez,* De act. hum. tr. 2, disp. 10, sect. 1, n. 5.

sententiam mere probabilem vel etiam probabiliorem potest conscientiam ita certam reddere, ut licite operemur. Ergo licentia operandi nihil ab hoc assensu dependere potest. — Neve opponas illud, quod *Esparza,* Appendix etc. a. 140 habet, nullum posse uti sententia, quam ipse non habet, seu nullum posse dirigi in sua operatione ea sententia, quae non est actualiter in mente eius. Quam autem sententiam non directe affirmamus, eam in mente nostra actualiter non esse. Ergo uti ea operando non possumus. Ita etiam *Gonzalez,* Fundam. diss. 2, § 2 sqq. Respondetur enim, etiam eam sententiam, ut sequi eam possimus, sufficienter esse in mente nostra, quam obiective probabilem esse cognoscimus, prout id manifestum erit ex argumentis, quae infra afferemus pro sententia, qua affirmatur, in quaestione, in qua agitur de solo licito et illicito, licite nos uti semper posse sententia vere et solide probabili (cf. interim inter alios *Rassler,* Norma recti disp. 2, q. 9, n. 339 sqq; *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 15, n. 246; *Illsung,* Theol. pract. tr. 1, disp. 1, n. 54; *Moyam,* De sententia probab. q. 6, § 6, n. 38 sqq; *Reuter,* Theol. mor. P. 1, tr. 2, n. 108; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 387; *Arendt,* Crisis nota 119 sq).

Quae modo dicta sunt, ea ante oculos habere oportet in tota de probabilismo doctrina.

§ 2.

NUM PROBABILE MOTIVUM PROBABILIORE VEL AEQUIPROBABILI ELIDATUR.

193. Simpliciter motivum elidere est eius vim movendi intellectum ad assensum ad nihilum reducere. Quaestio igitur proposita est eadem ac quaestio, num allato pro aliqua sententia motivo probabiliore vel aequiprobabili motivum probabile omni vi movendi intellectum destituatur. Patet autem eo ipso, quod ostenditur, probabile motivum non elidi probabiliore, ipsum certo non elidi aequiprobabili; contra quoties eliditur aequiprobabili, a fortiore elidi ipsum probabiliore.

Quare unum horum quoties probavimus, de altero etiam constat.

Illud autem iam ut evidens supponimus, motiva hucusque probabiliter valida pro una parte contradictionis elidi semper perfecte, si motiva pro altera parte evadunt certa. Nam certitudo pro una parte, etiam quando lata est tantum, omnem tollit probabilitatem ab opposita parte.

194. Si vero motiva pro utraque parte contradictionis de se probabilia sunt, multi opinantur, minus graves gravioribus, immo aequiprobabilibus, semper et perfecte elidi. Ita *Gonzalez,* Fundam. diss. 7 et alii multi Thomistae cum eo ib. n. 7; *Bardi,* De consc. disc. 4, c. 1; *Schildere,* De princip. consc. form. tr. 2, c. 2, § 1, n. 12; *Babenstuber,* Ethica supernat. tr. 1, disp. 4, a. 1, n. 3 sq; *Tournely,* Theol. mor. De consc. c. 5; *Brocardus* Ord. Carm., De consc. q. 2, a. 6, § 2 sq; *Henno,* Theol. mor. III, tr. 2 De consc. disp. 3, q. 1; *Koch,* Moraltheologie 97 et alii multi. Nostra vero sententia etiam multis et praeclaris auctoribus utitur, ut ex dicendis patebit.

195. *Ostenditur falsitas allatae sententiae.* 1° positive. Experimur enim, etsi argumenta pro una parte contradictionis multo solidiora sunt argumentis pro altera contradictionis parte, nihilominus nos vehementer adhuc sollicitari ad huius assensum. Sume v. g. tentatum in fide. Ergo minus probabilia magis probabilibus nequaquam eliduntur. — 2° idem probatur negative. Argumenta, quae pro hac confirmanda sententia afferuntur, subsistere non possunt. Ergo.... Antecedens ostenditur. Sunt varii modi, quibus conantur evincere, solam probabiliorem rationem reddere sententiam vere probabilem. Neque tamen ullus eorum subsistere potest. Ergo.... Maior probatur. Unus modus est hic: 1°. Quod magis probabile est, magis accedit ad veritatem quam id, quod est minus probabile. Iamvero quando ipsa veritas detegi nequit, debemus omnino amplecti id, quod ad veritatem propius accedit. Ergo unum probabilius licet in tali rerum conditione amplecti. Hoc autem idem est ac statuere minus probabile

aeque valere in oppositione ad probabilius atque id, quod prorsus ratione caret. Ergo.... — Et profecto „si ambae opiniones in eandem vergerent partem, utraque dici posset, etiam proprio sensu, licet inaequaliter ad certitudinem accedere; sed cum in contrarias rapiantur partes, una nimirum affirmando, altera negando, necesse est, ut uni tantum accessum, alteri vero recessum adscribamus. Atqui accessus profecto adscribendus est opinioni, quae oppositam suo motivorum pondere superat. Ergo altera opinio proprie dicenda est a certitudine recedere, ac proinde illa sola stricte probabilis est, quae magis ad certitudinem accedit. Ergo id, quod minus probabile est, maiore probabilitate prorsus enervatur". Ita de *Caigny,* Apologetica pro aequiprobabilismo S. Alphonsi n. 41. — Alter modus 2° est hic: Probabile hic dicitur id, quod ab intellectu approbari potest ut verum. Atqui hoc est solum illud, quod est probabilius. Ergo probabile probabiliore omnino eliditur. Maior constat. Minor ostenditur. Nam quando tibi pars opposita probabilior videtur, non poteris parti minus probabili assentiri. Etenim si minus probabili assentiaris, ipsam veram esse iudicas; hoc ipso autem oppositam falsam aestimas. Id autem in casu fieri non potest. Nam intellectus iudicativus secundum speciem non est omnino liber, sed a rationibus et motivis obiecti propositi determinatur. Ergo tantum poteris assentiri parti, quae probabilior tibi apparet. Ita *Brocardus,* De consc. q. 2, a. 6, § 2 (apud *Migne,* Cursus theol. XI). Similiter *Laymann* l. c. l. 1, tr. 1, c. 5, § 2, n. 5. — Tertius modus confirmationis est 3io hic: Probabile est, quod habet motivum grave et magnum. Atqui nulli opinanti id grave et magnum apparere potest, quod habet contra se motiva fortiora et urgentiora. Nam magnum dicitur id, quod est excedens. Atqui non potest minus probabile excedere id, quod est magis probabile. Ita *Gonzalez,* Fundam. diss. 1, § 3, n. 18. — Quarto (4°) idem probatur hoc argumento. Motivum opinionis non habet vim magnam trahendi virum prudentem et probum ad assensum unius partis contradic-

tionis, quando ei occurrit fortius motivum ad dissensum. Nam vir prudens et probus nequit irreprehensibiliter iudicare, actionem aliquam esse licitam, quando percipit et sentit fortius motivum ad iudicandum ipsam esse illicitam. Nec flecti potest ad ita iudicandum per voluntatem, nisi prius averterit oculos considerationis a motivis, quae impellunt ad iudicandam eam illicitam. Quid autem hoc aliud est quam voluntarie claudere oculos et nolle intelligere, ut bene agat? Ergo in huiusmodi conditionibus ratio minus probabilis valet nihil. Ergo enervata iacet (*Gonzalez* l. c. n. 19).

196. Haec sunt potissima argumenta pro sententia, probabilem rationem probabiliore elidi et plane vinci. Sed facile solvuntur. Videamus igitur eorum solutionem. In primo argumento maior est valde incerta, immo simpliciter falsa. Asseritur id, quod magis probabile est, magis accedere ad veritatem, quam id, quod est minus probabile. Sed hoc ipsum, num ita sit, merito dubitatur. Quid enim est, aliquid esse magis probabile? Magis probabile est et dicitur illud, quod saepius cum vero nectitur quam illud, quod est minus probabile, neque tamen errorem omnino excludit. Sic si ratio quaedam est huiusmodi, ut ex triginta vicibus coniungatur cum vero vicies, probabilior sane est ea ratione, quae tantum decies octies ex triginta vicibus cum veritate connectitur. Nihilominus evidens est ab ea non esse exclusum omnem errorem. Cum igitur veritas in indivisibili posita sit: est aut non est; fieri sane potest, ut, licet ratio sit probabilior, nullatenus tamen ad veritatem accedat, immo ab ipsa omnino recedat. Habentur quidem graviores et plures rationes pro opinione, ex ipsius parte stare veritatem, si tamen, ut fieri potest, a veritate reapse recedit et aberrat, nihil graviores vel plures rationes iuvant, ut propius ad veritatem accedatur. Est et manet remota a veritate. Minor etiam supposito dubio innititur. Supponit voluntarie et falso, nos scire, quaenam sententia ad veritatem propius accedat, cum tamen id etiam de probabiliore sententia sit et maneat obscurum. Neganda

igitur sunt consequens et consequentia. — Ad confirmationem additam dico: adscribendum esse uni rationi accessum ad veritatem, alteri recessum a veritate indeterminate et dubie, utri adscribendus sit, *concedo;* determinate et certo, *nego.* Ergo uni determinatae parti immerito certus ad veritatem accessus adscribitur.

197. Ad alteram rationem respondetur: Maior conceditur, minor negatur. Ad eius probationem neganda est ratio. Probatio vero eius distinguitur: Si minus probabili assentiaris, ipsum verum esse iudicas, cum formidine tamen satis magna, ne oppositum sit verum, *concedo antecedens;* sine hac formidine, *nego antecedens.* Quando autem additur, hoc fieri non posse, quia intellectus iudicativus non sit secundum speciem omnino liber; id verum est tantum in assertionibus evidentibus, non est verum, quando agitur de probabilibus; nam in his potest voluntas intellectum in alterutram partem inflectere (cf. huius operis I, n. 420 et *S. Thom.* 2, 2, q. 60, a. 4 per totum). Ceterum quidquid de hac conclusione est, ad summum probat, minus probabile non esse probabile subiective; ipsum non esse nec manere obiective probabile minime efficit. Quando autem agitur de licentia sequendi sententiam probabilem, sufficit, sententiam esse obiective solide probabilem, ut ex argumentis infra afferendis patebit (cf. interim supra n. 192).

198. Ad tertiam rationem reponitur, maiorem veram esse, minorem falsam. Ad eius rationem: Magnum utique dicitur id, quod est excedens mediocritatem seu medium in ea re seu verius in eo genere rerum, de quo agitur; neque tamen omne id, quod ab alio in particulari exceditur, a ratione magni in eo genere rerum, ad quod pertinet, excluditur. Secus enim si esset, omnis homo magnus cessaret esse magnus simpliciter, ubi primum cum maiore comparatur, etsi medium seu mediocritatem humanae staturae in genere multum superat. Quaestio igitur est, quam debeat mediocritatem vel medium excedere ratio, ut qua ratio magna vocetur et sit. Ratio pro aliqua re omnis tunc magna est et gravis, quando apparentia

veri, quae ei competit, est huiusmodi, ut saepius connectatur cum vero quam cum falso, etsi alia est veri apparentia, quae quam ipsa etiam frequentius cum vero connectitur. Quando igitur ratio et apparentia veri vicies ex triginta vicibus, ubi adest, coniungitur cum vero, est sane magna et ponderosa, licet alia sit, quae etiam maior est et ponderosior, et quae v. g. ex quinquaginta vicibus quadragies cum vero coniungitur.

199. Ad quartam rationem respondeo, omnia esse neganda. Negandum est antecedens, neganda est etiam ratio addita. Et profecto potest vir peritus, prudens et probus irreprehensibiliter iudicare actionem esse licitam, dummodo vere probabile motivum habeat ad ita iudicandum, licet etiam motivum habeat probabilius ad iudicandum contrarium. Id infra probabitur. Quare verum non est, rationem probabilem in eiusmodi conditionibus nihil valere.

200. *Nihilominus infitiari nequit, probabilia interdum probabilioribus elidi.* Ut autem, quando id locum habeat, inveniamus, alia via ineunda est. Ad hunc finem duo distinguamus genera motivorum: *motiva, quae sunt incerta et dissimilia, et motiva, quae sunt incerta et similia. De prioribus hoc modo statuimus, ea se numquam perfecte elidere, nisi excessus probabilitatis in una parte contradictionis sit tantus et tam enormis, ut contradictoria pars iam vere et solide probabilis dici nequeat.* Hoc ultimum evenire facile posse, dubitari vix ac ne vix quidem potest. Etenim fac apparentiam veri ex una parte esse eiusmodi, ut inter triginta vices, ubi usuvenit, coniungatur cum vero decies sexies, ex altera parte apparentiam veri esse adeo magnam et excedentem, ut cum veritate ex triginta vicibus vicies octies coniungatur, certo necesse est illam cum hac comparatam tenuem et insolidam apparere. — *Dices,* numquam adeo exacte nobis constare de numero verorum, quae cum aliqua apparentia veri coniungantur. *Respondetur,* id stricte loquendo verum esse, moraliter tamen de eo numero satis constare (cf. n. 160).

Et hoc ipsum tenet et profitetur etiam S. Alphonsus, quando nos iubet, sententiam certo, notabiliter, sine haesitatione probabiliorem minus probabili semper anteponere (cf. *S. Alphons.*, Theol. mor. l. 1, n. 55 sq). Nam practice saltem sic fere erit, ut, quando sine ulla haesitatione continuo et constanter pronuntiamus, hanc partem vincere oppositam probabilitate, haec altera pars tenuiter tantum et dubie probabilis sit (cf. *Arendt*, Crisis disp. 2, sect. 1, punct. 4).

Principalis vero assertio satis constat. Nam ea, quae sunt secundum speciem dissimilia motiva, non possunt, quando omnino probabilia sunt, simpliciter sese excedere et gravitate vincere. Nam habet unumquodque aliam prorsus vim et rationem movendi, quam nec habet nec cui directe opponitur alterum; ideo enim sunt et dicuntur dissimilia. Ergo unum non potest perfecte elidere alterum. — Et profecto in singulis motivis manet illa specie diversa et disparata vis perfectioque differentialis ad movendum intellectum, qua caret alterum. Id autem maxime valet, quando nescitur, quodnam motivum sit absolute et simpliciter potentius. Nam vis unius videtur vim oppositi sui, saltem secundum quid, vincere. Ergo manifestum est vim neutrius perfecte elidi.

201. Idem ostenditur experientia in fide divina et formando iudicio de proximo temerario. Nam qui tentatur in fide, experitur se motivis trahi in utramque partem, ad negandum et ad affirmandum. Et licet motivum fidei agnoscat multo esse maius et potentius, tamen etiam experitur, se sollicitari quoque ab opposito motivo posseque fieri infidelem. Ergo infirmius a potentiore motivo non eliditur. — Quod item dicendum est de eo, qui potest bene et male iudicare de proximo. Experitur enim se trahi in utramque partem, et ita quidem, ut possit alterutri motivo, non solum graviori et magis fundato, sed etiam minus gravi minusque fundato assentiri. Ergo utrumque motivum integrum manet neque contrario eliditur. — Hanc sententiam etiam S. Augustinus innuit, inter alia in illa epistola 54 (alias 118), c. 3, quam supra laudavimus. Hic

quaerens, sitne cotidie accipienda Eucharistia annon, respondet pro utraque parte bonas et probabiles rationes esse; quare „faciat unusquisque quod secundum suam fidem pie credit esse faciendum“. Ergo se hae rationes mutuo non elidunt. — *Dices,* non hoc quaeri, sed quaeri ab Augustino alterum, quid fiat convenientius. *Respondeo:* Dicit ipse, probabilius utrumvis fieri convenientius pro varia consideratione. Haec plane elevant, quae *Brocardus* Ord. Carm. contra textum opponit.

202. Videtur etiam esse D. Thomae sententia. Nam multis locis innuit, nos debere sententiae minus probabili ob rationes honesti, decentis etc. adhaerere (cf. 2, 2, q. 60, a. 4 in corp. et ad 1 2 3; 1, 2, q. 17, a. 6; q. 14 De verit. a. 1; in 3 Ethic. lect. 13). Ergo possumus sententiae minus probabili adhaerere. Id autem fieri non potest, si minus gravis sententia graviore est elisa, i. e. ad nihilum redacta. Nam intellectus sententiae, quae caret omni specie veritatis, assentiri nequit.

203. Rationem probabilis non tolli generatim ab aliqua sententia, quando adest probabilior favens eius contradictoriae, comprobatur etiam hoc generali facto, quod auctores passim sic suam sententiam tradunt ut probabiliorem, ut tamen fateantur, contradictoriam esse vere probabilem. Nec facile inveneris quempiam, qui aliorum sibi oppositas sententias iudicet esse sibi vere improbabiles ac falsas comparatione suarum rationum magis probabilium, sed etiam fallibilium (cf. *Illsung,* Theol. pract. n. 60).

Quae vero contra haec argumenta minus apta opponit *Concina* (cf. Apparatum II, diss. 1, c. 6), ea iam in antecessu impugnavit valide *Cardenas,* Crisis P. 1, disp. 15, c. 4, a. 8 (cf. *Reuter,* Theol. mor. P. 1, n. 107).

204. Venimus ad quaestionem, quid censendum sit, *quando motiva mutuo sibi opposita sunt similia.* Hic ante omnia notandum, id vere et proprie non evenire, nisi quando agitur de testimoniis immediatis, quibus testes auctoritate et numero pares contradictoria de facto aliquo ut a se viso testantur. Nam in ceteris omnibus casibus argumenta inter se opposita

necessario dissimilia sunt, ut cogitanti facile patet (cf. *Terillum,* De consc. q. 9, n. 36; *Gonzalez,* Fundam. diss. 7, n. 35).

Et profecto in ceteris omnibus quaestionibus non solum iuris, sed etiam facti motiva sunt dissimilia; sic v. g. quando una pars non testatur de visu, sed dicit, se *putare* aliquem eo tempore, quo aliquid accidit, fuisse in foro, altera vero existimat, eum tunc domi fuisse, manifestum est variis eos ad ita dicendum moveri rationibus et coniecturis. Quare haec varia testimonia minime se elidunt, quia dissimilibus rationibus et coniecturis nituntur. Et similiter minime se elidunt argumenta, quando v. g. una pars solita peccata sua ex scripto confiteri et sine errore, data occasione opinatur, se certum quoddam peccatum, quod scripserat, confessum esse, quia pro more suo peccata ex scripto confessario recitaverat, confessarius autem, qui sibi proposuerat de hoc praecise peccato poenitentem monere et ideo ad hoc peccatum specialiter attenderat, dicit ipsum de hoc peccato siluisse. Haec sine dubio opposita argumenta probabilia manent nec quidquam se elidunt (cf. *Terillum,* De reg. mor. q. 29, n. 36 et 37; *Moyam,* Appendix q. 9, § 4; *Lacroix* l. 1, n. 398). Quaestio igitur est de solo primo casu, quando plures testes de visu numero et auctoritate ex utraque parte aequales contradictoria testantur.

205. Sunt, qui dicant, huiusmodi argumenta seu testimonia se plane elidere. Haec est, si *Cardenae,* qui ipse eam tenet, confidimus (Crisis P. 1, disp. 6, a. 1, n. 80), sententia minus communis; communior est opposita. Nihilominus ipsa, i. e. non communior, omnibus consideratis videtur esse probabilior[1]. Etenim in hoc eventu cognoscitur, contra omnia et singula, quae pro una parte afferuntur argumenta, prorsus similia afferri pro alia et contradictoria parte. Quare videntur se mutuo elevare. — Insuper omnis, quae alicui auctoritati vin-

[1] Ita docent inter alios *Lugo,* De iust. et iure disp. 16, sect. 2, n. 100; *Cardenas* l. c.; *Esparza,* Append. n. 123; *Terill.,* De consc. q. 5, n. 20 sqq; Reg. mor. q. 29, n. 35; q. 38, n. 36; *Lacroix* l. 1, n. 243; n. 261 sqq; cf. n. 398; *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. mor. tr. 2, c. 2, n. 116.

dicatur probabilitas, nititur suppositione, id, quod ab ea profertur exterius, idem in mente loquentis inveniri; aliis verbis: probabilitas extrinseca semper fundatur in praesupposita probabilitate interiore in mente loquentis. Iam vero in casu, de quo agitur, certum est tale quidquam saltem in menti unius loquentis per se et communiter non exstare, sed praecise contrarium[1]. Dicunt enim, contradictoria circa eandem rem visu a se simul esse percepta. Unde consequitur, probabilitatem saltem ex parte unius in nihilo fundari, i. e. fundari in eo, quod non vidit. Quoniam porro non constat, quaenam ista pars sit, cuius probabilitas nulla est, videtur dicendum esse, utramque partem hac labe affici et utriusque partis auctoritatem elidi. — Praeterea auctoritas, quae hic interponitur, communiter saltem ex una parte evidenter nulla est. Auctoritas enim duobus momentis constituitur, probitate et scientia. Scientia autem hic saltem ex una parte plane deest, et consequenter in hac saltem propositione asserenda communiter etiam probitas. Ergo eius auctoritas plane est elisa. Cum autem non constet, quaenam haec pars sit, elisio auctoritatis ad utramque partem extendenda esse videtur.

206. Contra alterum argumentum *oppones:* Idem usuvenire in omnibus quaestionibus probabilibus, ubi probabilitas adest pro una parte et pro altera parte. Hic enim etiam semper a parte rei unum dumtaxat est verum et alterum haud dubie falsum, neque scitur, in utra parte lateat falsitas, in utra veritas. Ergo dicendum videtur, etiam hic unam saltem partem in nihilo fundari et omni probabilitate carere; ergo elidi. Quoniam autem non constat, quaenam pars illa infirma sit, videtur dicendum esse, utramque elidi. Ita *Brocardus* Ord. Carm. § 3. — *Respondetur,* magnum tamen inter utrumque casum esse discrimen. Nam quando agitur de contradicentibus sibi testibus de

[1] Vox „communiter" additur propter fallacias visus, quae interdum, maxime quando res ex longinquo observatur, interveniunt. Tum potest in mente loquentis inveniri id, quod falsum est, quodque ipse putat se vidisse.

visu, evidens est, unam saltem partem funditus omni fundamento ad testandum verum omnique veritate carere, seu constat, testantem non vidisse factum, et manifesto falsum ipsum dicere; id vero in altero casu minime locum habet, sed probabiliter adest pro utraque parte solidum fundamentum, cur propositio ab asserenti eam vera haberi possit; adest enim pro utraque parte ex supposito magna apparentia veri (cf. *Terillum,* De consc. q. 5, n. 21).

Dices 2° cum *Thyrso Gonzalez,* Fundam. disp. 7, n. 36, illud, quod asseritur, evenire plane non posse, scil. ut motiva opposita similia sint. Nam fac, duos adesse testes, unum affirmantem, alterum negantem, certo motiva assentiendi et dissentiendi non sunt similia. Nam ad assentiendum movet testis affirmans, ad dissensum testis negans. Assertio autem affirmativa et negativa specie differunt. Ergo.... Ita ille. — *Respondetur,* hoc argumentum nihil valere. Quod ut videas, pro phrasi: ad dissensum movet testis negans, haec prorsus aequivalentia verba pone: ad dissensum movet testis affirmans, rem non esse, sed contradictorie se habere. Non poteris sane negare, omnia hic esse similia. Nam de obiecto, in quod duplex cadit affirmatio: una ex visu dicit: est; altera item ex visu: non est.

Dices 3io: Videntur auctores huius sententiae sibi contradicere. Etenim licet dicant, motiva in causis prorsus similibus mutuo elidi, contendunt tamen posse nos in iis assensum ad unam partem contradictionis voluntate imperare. Neque tamen id fieri potest, quando motiva elisa sunt. Nam fieri non potest, ut intellectus voluntatis pondere affirmet id, quod omni motivo veritatis caret, quale est omne motivum elisum. Cf. *Lacroix* l. 1, n. 268, qui id cum aliis fieri posse affirmat. — *Respondetur:* Id fieri potest per inconsiderationem, quando mentem ab altera parte eiusque motivis avertimus, *concedo;* fieri id etiam potest, quando utriusque partis motiva simul attendimus, *nego.* Hoc autem mentis aversionis artificio a motivis unius partis et conversione ad una motiva alterius partis possumus etiam certissima negare et affirmare incertissima et plane falsa, prout id cotidie cernere licet in atheis vel hominibus odio flagrantibus, qui prorsus incredibilia de inimicis suis credunt. Sed numquid ideo ea sunt probabilia? Sunt et manent improbabilia. Affirmantur tamen. Similiter in casu nostro.

ARTICULUS QUINTUS.
DE PROBABILITATIS USU.

§ 1.
DE SENTENTIA UNICE PROBABILI.

207. Ventum est ad quaestionem, cuius solutio in hac parte praecipue intenditur. Est autem haec, quem probabilitas

directa sententiae practicum usum in formanda recta conscientia permittat.

Et primo quidem loco agemus de ea sententia, quae una probabilis est, nullam igitur, etiam post debitam inquisitionem factam, obstantem sibi probabilitatem contradictoriae sententiae habet.

Dico: Quando pro una affirmativa dumtaxat contradictionis parte in quaestione de solo licito adsunt vere probabiles rationes iuris, nullae vero pro altera parte, illam non solum semper nobis amplecti et exsequi licet, sed ipsa etiam amplectenda est (cf. *S. Alphons.,* Theol. mor.: Systema mor. n. 71 et 76; l. 3, n. 148; Vindiciae 18; *Terillum,* De consc. q. 19, n. 6 sqq).

Saepe accidit, ut nullae quidem demonstrativae rationes pro ulla contradictionis parte reperiantur, una tamen pars, quae stat pro libertate actionis, vere probabiles pro se rationes habeat. Possumus hanc probabilitatem semper sequi, si de solo licito agitur. Aliud est, si quaestio movetur de valido. De hoc infra agetur.

Probatur 1°: Sufficit ad honestatem actionis, ut sententia, quae in praxi sequenda eligitur, sententia sit rationalis seu rectae rationi consentanea. Atqui in casu proposito una de liceitate actionis probabilis sententia rationalis est, quae autem diceret, actionem prohibitam esse, irrationalis esset, utpote quae careret omni ratione. Ergo... Maior est evidens. Nam sumus essentialiter entia rationalia, quae igitur oportet in omnibus suis liberis et deliberatis actionibus rationem ducem sequi. Minor quoque patet. Nam una ea pars solidam habet rationem liceitatis; nihil autem contradictorium ut prohibitum, vel probabiliter potest suaderi.

208. *Probatur 2°:* Quoties aliqua sententia circa honestatem actionis ne ad probabilitatem quidem evehi potest, ea, quae fortasse in ipsa continetur lex, est invincibiliter ignota. Atqui nos ignotis legibus et quae a nobis moraliter ne cognosci quidem possunt, in actionibus nostris regi deberi absurdum est, et si id fieri deberet, scrupulorum non esset finis, ut per

se patet. Iam vero sententia, quae unice probabili contradictorie opponitur, ex supposito omni probabilitate et solida ratione caret; ergo nihil obligat, atque adeo contradictoriam eius nobis licet libere operari. — Et profecto his consona tradit *S. Thomas* q. 17 De verit. a. 3 ad 4. Nam secundum ipsum error circa ea, quae quis scire non tenetur, absolvit a peccato. Quae autem quis scire non potest, qualia sunt sane ea, pro quibus etiam debita investigatione facta ne probabilis quidem sententia potest excitari, ea nemo tenetur scire. Ergo ab eorum obligatione certo liber est.

209. *Probatur 3°:* Dictamen liceitatis actionis in tali rerum conditione est prudens et reflexe cognoscitur ut certo prudens, cum unum solida ratione innitatur, nihil solidi apparente pro contraria parte etiam seria inquisitione facta. Immo si ob purum metum peccati a tali actione abstineremus propter inanem et omni fundamento carentem possibilitatem peccati, stulte abstineremus, quia regularemus actiones nostras inani terriculamento peccati. Atqui sequi dictamen unice prudens in suis operationibus certo sine peccato est. Ergo licet semper secundum sententiam unice probabilem operari.

210. *Probatur 4°:* Homo in paucis tantum rebus directa evidentia utitur, atque ut plurimum, maiorem certitudinem consequi nequit quam eam, quae oritur ex unius partis probabilitate cum absentia omnis probabilitatis ex altera parte. Ergo homo tali notitia contentus esse debet et sequens eam humano modo prudenter operatur. Ergo minime peccat.

211. *Probatur 5°:* Si haec probabilitas ad honestatem actionis non sufficeret, sed habenda esset aut omnimoda certitudo honestatis aut sequenda esset pars tutior: Deus auctor esset legis noxiae. Nam ita necessario incidendum esset in multa peccata et innumeros scrupulos. Nam homo in tanta obscuritate et multitudine obligationum, quae ex levissimis rationibus, immo nullis orirentur, versaretur in ineluctabili quadam necessitate serius ocius incidendi in peccatum etiam mortale. Id consideranti patet. Exponeretur quoque innumeris

scrupulis. Scrupuli enim essentia in hac re sita est, ut homo sibi fingat praeceptum ob inanem rationem. Hic autem scrupulus eo esset peior, quoniam non tantum conciperetur ob inanem metum, sed etiam solida ratione contrarium suadente. Deum autem adeo noxiam legem tulisse, qua homines implicarentur peccandi cuidam necessitati vitamque agerent innumeris et perpetuis scrupulis obnoxiam, admittendum non est. Ergo talis lex non exsistit. Ergo sententiam unice probabilem semper sequi licet.

212. *Probatur 6°:* Coniux, quae coniugi tantum probabili matrimonii vinculo iuncta est, potest nihilominus, quoties nihil probabile pro contraria parte obstat, debitum non solum reddere, sed potest ipsum etiam petere pro arbitratu suo. Ita *Innocentius III* in cap. „Inquisitioni tuae" 44 De sent. excommunicat. Atqui quod valet hic, id a fortiore in alia omni quaestione de honestate actionis valet. Quid ita? Quoniam lege ipsa naturae vetitum est, ne quis copula cum alia persona quam cum propria uxore vel proprio marito utatur. Si igitur Summo Pontifice auctore constat ad honestatem huius actionis sufficere, ut de vinculo matrimonii probabiliter constet, nihil alicuius momenti faciente in contrarium, in aliis eventibus id a fortiore certum est. Ergo.... (cf. *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 245).

213. Hinc infertur: Quidquid rationibus vere probabilibus unice obversatur menti ut bonum honestum *atque simul necessarium,* id oportet nos omnino amplecti *atque exsequi* neque nobis circa ipsum dubiis haerere licet. Patet imprimis ex prima et quarta ex modo allatis rationibus. — Idem patet circa id, quod unice vere probabilibus rationibus ut prohibitum ostenditur. Ipsum oportet nos semper aversari (cf. *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 10, n. 22 sqq).

Si porro quaesieris, quid censendum sit de bono inferioris ordinis, cui nulla ratio prohibens vere probabilis opponitur, respondetur, id ut vere rationale vereque honestum bonum appetere nobis licere (cf. huius operis tom. II, n. 83).

214. ***Coroll.*** Ergo non omne periculum, etiam levissimum, committendi peccati materialis, etiam cognitum, affert obligationem vitandi actionem, quae aliquo modo videtur esse aut etiam fortasse est peccatum materiale.

§ 2.

DE VARIIS SYSTEMATIS CIRCA PRACTICUM USUM SENTENTIAE PROBABILIS.

215. Quaestio de practico usu probabilitatis non ubique tam facile solvitur atque in praecedenti quaestione. Quinimmo verissime *Esparza,* Curs. theol. a. 240 affirmat, esse quaestionem de practico usu probabilitatis inter omnes quaestiones de moribus seu speculativas seu practicas difficillimam et abstrusissimam. Quibus similia affirmat *Cardenas,* Crisis P. 1, disp. 56, n. 119, qui merito hanc quoque huius materiae difficultatem effert, quod fere perpetuis mentis reflexionibus utatur. Quare mirum non est, de hac quaestione viguisse olim ingentem quandam, non adeo controversiam, quam confusionem. Systemata vero, quae adhuc commemoratione digna sunt, principaliora enumeremus. *Sunt haec: 1° rigorismus seu tutiorismus absolutus; 2° tutiorismus mitigatus; 3ⁱᵒ probabiliorismus; 4° aequiprobabilismus; 5° probabilismus moderatus.* Iam de singulis.

A. De systematis a probabilismo moderato diversis.

216. *Primum igitur est systema rigorismi seu tutiorismi absoluti.* Auctores eius fere Iansenistae sunt[1]. Asserunt, semper sequendum id esse, quod est tutius, nisi id, quod favet libertati, certitudine stricta verum esse constet, sive immediate

---

[1] Ipse iam *Iansenius* in opere suo „Augustinus" tom. 2, lib. Prooemialis c. 8 (ed. Lovan. 1460, col. 22) haec inter alia declamavit „vix aliquid in moribus tam absurdum esse, nisi decalogum aperte feriat, immo etsi feriat, quod non factum sit probabile"; et alia similia profert (cf. Thesaurum theologicum, Venetiis 1772; *Ios. Maria Gravina* S. J., De usu et abusu opinionis probabilis).

sive mediate. Adscribitur inter alios iure Fromondo et Sinnichio, asseclis Iansenii, quamvis Sinnichius eam sententiam in iis, quae iuris positivi sunt, moderetur eamque amplectatur tantum in quaestionibus iuris naturalis, in quibus cum Iansenio negat, ullam ignorantiam excusantem locum habere posse (cf. supra n. 51 sqq). Idem contendit Pascal, ipse etiam Iansenista, in epistola quinta ad provincialem, cui Wendrockius (i. e. Nicole) eiusdem sententiae notas adiecit. Baron quoque O. P. in theologiae moralis Summa bipartita (disp. 1, sect. 2, a. 1, § 2; ib. a. 2, § 1 etc.) eandem sententiam professus est, ut etiam Contenson eiusdem ordinis l. 5 Theol. diss. 6. Nec celeber ceteroquin iurisconsultus Prosper Fagnani et Alexandro VII familiaritate coniunctus ab hac sententia alienus fuit, prouti abunde constat iis, quae in cap. „Ne innitaris" De const. n. 60, 63 et alias conscripsit[1]. Alii etiam sectatores Iansenii, ut Arnauld, Gerberon, Quesnel, idem tradunt (cf. *Rassler*, Norma recti disp. 3, n. 229 sqq; *Terillum*, De consc. q. 20, n. 18 sqq; *Wirceburg.*, De act. hum. n. 204; *Bouquillon*, Theol. mor. fundam. n. 267 nota 5).

Occurrit etiam apud *Sinnichium* in opere „Saul ex-rex" l. 1, c. 95, n. 357 famosa illa propositio 3ia ex 31 ab Alexandro VIII damnatis: „Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam" (cf. *Bouquillon* l. c.). Ergo his auctoribus praeter tutiorem eam tantum licet sequi sententiam, quae sine dubio directa cognitione certo licita est. Id tamen certo falsum est, ut iam ex damnatione illius propositionis 3iae per Summum Pontificem pro tota Ecclesia facta elucet. Et revera ut tutius semper sequamur per se obligatio nulla est. Aut quomodo id probatur? Cf. etiam ea argumenta, quibus mox contra tutioristas mitigatos procedemus; ea contra rigoristas a fortiore valent[2].

---

[1] Nonnumquam tamen a nimio rigore deflexit (cf. apud ipsum n. 225, 448 etc; cf. *Terill.* l. c. q. 20, n. 18 sqq et *Rassler* l. c. disp. 3, n. 232 sqq).

[2] Affertur etiam *Caietanus*, quasi hanc sententiam professus sit. Cf. Summam eius s. v. Opinio, § „Opinione uti". Cf. *Vasquez* 1, 2, disp. 62,

217. *Altera sententia est eorum, qui tutioristae mitigati seu catholici audiunt.* Statuunt, semper quidem sequendum esse id, quod tutius est, excipienda tamen ab hac regula sententia favens libertati, quando est probabilissima aut unice probabilis. Est multorum Lovaniensium saeculi XVII et XVIII, ut *Steyaert,* Aphorismi 1, disp. 3; *Dens,* de consc. n. 188 etc. Iis sub fine eiusdem saeculi XVIII accessit doctus card. *Gerdil,* Institutiones philosoph. II, De consc. c. 3; Ethica exercit. c. 2, ubi tamen multa, ut parum dicam, mira invenies. Nec aliter sentiunt, qui, si eorum sola verba spectes, tantum probabilioristae censendi essent. Attamen eam solam sententiam probabiliorem habent, quae ita vincat oppositam, ut haec improbabilis relinquatur. Talis est *Thyrsus Gonzalez,* Fundam. diss. 1, n. 47; diss. 10, n. 98 sqq[1]. Cf. quoque inscriptionem totius operis, ubi haec falsa sententia insigniter proditur. Talis *Antoine,* De consc. c. 4, q. 1 et q. 4[2]; talis *Lud. Habert,* De consc. c. 4, q. 1[3]; *Gazzaniga* alii. Defendunt igitur, licere sequi sententiam minus tutam tantummodo, quando est aut probabilissima aut unice probabilis. Et haec sententia sane

---

n. 20. Nam ait *Caietanus:* „In operandis vero, nisi tutiorem partem eligendo, *non licet opinionem cuiuscumque assumere, ut regulam operis,* quia eo ipso, quod operatio committitur opinioni, comittitur regulae ambiguae, quia opinio omnis ambigua est, utpote cum formidine alterius partis." Sed si inspicitur id, quod *Caietanus,* Opusc. tr. 21, reg. 13 ad 7 tradit, nullum manet dubium, ipsum nihil velle aliud, quam regulam proximam et operationem immediate dirigentem debere non esse opinativam, sed certam; quod etiam ipsi dicimus (cf. *Rassler* l. c. disp. 3, n. 236 et *Alb. Schmitt,* Zur Geschichte des Probabilismus 21. — Vide circa hunc locum etiam *Terill.,* De consc. q. 22, n. 70; *Esparzam,* Appendix etc. a. 206 sqq. Cf. etiam Summam Sylvest. s. v. Opinio et *Ballerini-Palmieri* tr. 2, n. 86.

[1] Exigit hic doctor, ut argumenta sententiae, quam sequi licet, contrariae sententiae fundamenta offuscent, i. e. elidant.

[2] „Licet sequi opinionem minus tutam de licito, quando post debitam veritatis inquisitionem apparet certo et valde probabilis et multo probabilior opposita, ita ut excludat dubitationem et formidinem rationalem errandi."

[3] Q. 1 l. c. apud ipsum haec exstant: „Non licet sequi sententiam probabilem, nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem falsitatis et pariat certitudinem moralem, saltem relativam." Q. 4 Resp.

esset sequenda, quando, ut illi opinantur, in moralibus omnia directis cognitionibus et ex speciali materia, de qua agitur, haustis solvenda et dirigenda essent; sed hoc mirum quantum a veritate aberrat.

Sit igitur primum contra hanc sententiam argumentum hoc: 1°. Obligamur ad operandum id, quod tutius est, eatenus tantummodo, quatenus contradictoria eius pars in mente nostra versatur ut illicita aut fortasse illicita, a qua fugere nos oportet. Quare si modus vel via est, qua certo et indubie efficitur id, quod speculative et in thesi fortasse illicitum est, nihilominus in particulari et individuo certo licere, nihil opus est amplectamur semper tutius, ut ita periculum operandi formaliter male evadamus. Est autem huiusmodi in quaestione de solo licito modus et via pro omni parte faventi libertati, quoties sententia in genere est absolute et relative probabilis. Id infra ostendetur. Ergo. . . — 2°. Idem ulterius probatur. Si in illis quaestionibus practicis de licito, in quibus directe nulla certitudo, sed tantum probabilitates sunt, numquam in praxi liceret sequi minus tutam sententiam, sed tutior aut tutissima semper esset eligenda, haec obligatio esset iuris naturalis et pertineret ad omnes homines innumerasque eorum actiones; spectaret etiam ad prima iuris principia vel certo iis admodum propinqua esset: quomodo igitur longe maxima hominum, etiam sapientissimorum, pars potest eam obligationem ignorare? — 3°. Hac sententia admissa homines debent in omni eventu, ubi non habetur directa certitudo, saltem late moralis, de liceitate actionis, subire onus implendae legis, i. e. debent implere et observare plurimas leges non exsistentes, saepe difficillimas. Convenitne id statuere circa illum, qui iugum suum suave, onus leve esse asseveravit? — 4°. Nisi liceret aliquid docere ut licitum praeter id, cuius honestas directe aut certa aut probabilissima est, peccassent gravissime S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, S. Alphonsus innumerique alii gravissimi theologi. Nam nisi id, quod a S. Thoma aut alio quoque gravissimo et omni exceptione maiore theologo in practica

casuum resolutione ut licitum traditur, de se vere esset licitum et in praxim posset deduci, inexcusabiles ipsi essent talia docentes et tradentes, quia homines in peccata et perditionem aeternam dirigerent. Tradunt autem ut licitum probabiles suas casuum resolutiones. Quis autem hos doctores audet damnare? — Dico autem, huiusmodi de se esse licita. Nam cum essent homines etiam illi sancti et gravissimi theologi, aliquid humani ipsis per accidens potuit accidere et reapse interdum accidit. Neque tamen hoc est a priore praesumendum, sed in particulari casu probandum.

218. *Tertia sententia est probabilioristarum.* Hi statuunt semper sequendum nobis esse in operationibus nostris, quoties certum nihil habetur, id, quod tutius est, nisi sententia, quae stat pro libertate, sit probabilior. Insistunt pro hac sententia huic potissimum rationi: Quoties a nobis detegi non potest id, quod in quaestione morali certo verum est, debemus mente adhaerere ei idque in operationibus nostris sequi, quod est propinquius vero. Id autem est illud, quod est probabilius seu quod plures et graviores rationes habet pro se. Ergo. . . Ita *Gonet,* De opin. prob. a. 2, § 2 et alii plurimi. De hoc tamen argumento supra iam egimus, et quam a veritate alienum sit, vidimus (cf. supra n. 194).

219. Gloriabantur olim numero religiosorum ordinum, qui hanc suis sententiam praescripsissent. Nominant Dominicanos, qui in Capitulo Generali 1656 Romae congregato edixerunt, „ut caveant [omnes] ab omni pruritu exoticarum . . . opinionum . . ., praecipue vero in moralibus, ubi pressius de salute et indemnitate animarum agitur. In his porro studeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas et parum tutas, abstineantque a paradoxis ac monstris recentium placitorum seu problematum, quae magis vanitati et periculosae ostentationi militant quam veritati“ (cf. *Billuart,* De act. hum. diss. 6). — Similia praecepit iam 1598 ordo Theatinorum suis[1]. Ordines

[1] Cf. tamen *Döllinger-Reusch,* Moralstreitigkeiten 31 nota 2.

Carmelitarum, SS. Trinitatis, Franciscanorum exemplum datum secuti sunt. Et ipse ordo Societatis Iesu idem similibus verbis suis commendavit (cf. *Billuart* l. c.; *Concina*, Apparatus l. 3, diss. 4, c. 9; *Wirceburg.*, De act. hum. n. 206; *Lehmkuhl* tr. 2, n. 78).

220. Sed quidquid est, certo haec decreta modo minus apte afferuntur. Nam 1° si tenor dumtaxat verborum inspicitur, probabiliorismus ut talis iis non semper praescribitur. Aliud fortasse est, quo animo haec a singulis ordinibus illa aetate praescripta sint. Sed formaliter expressum id non semper est. Fortasse iure dixeris, unum probabilismum vagum, irrestrictum notatum esse. Hoc unum certum, non omnes hos ordines probabiliorismum suis sectandum praescripsisse. Ceterum 2° et hoc omnino caput est, etsi reapse stricte praecepta olim ab illis ordinibus fuisset sententia probabilior, hoc praeceptum modo vix non antiquatum iacet.

Aut quotusquisque hodie post S. Alphonsum invenitur, qui adhuc profitetur probabiliorismum? Vix sunt paucissimi. — Quare etiam hodie minoris momenti est scire, qui et quot auctores olim hanc sententiam sint amplexi, nisi forte, ut ostendatur, adiutorium etiam multorum et doctorum virorum contra veritatem tandem non praevalere. Et multos fuisse, qui hanc sententiam, maxime ab annis 1640 vel 1656 et deinceps suam fecerint, certum est[1], etsi constat benigniorem

---

[1] Demus nomina aliquorum probabilistarum. Recensetur ex Societate Jesu: *Paulus Comitolus, Michael Elizalde, Candidus Philalethus,* i. e. *Andreas Bianchi, Ludovicus Schildere, Thyrsus Gonzalez, Muniessa, Taberna, Daniel* etc.; ex Dominicanis: *Iulius Mercorius, Vincentius Baron, Vincentius Contenson,* hi duo tamen verius rigoristae sunt, *Ioann. Bapt. Gonet, Natalis Alexander, Billuart, Daniel Concina, Patuzzius* etc.; ex aliis religiosis familiis: *Antonius Marinarius, Brocardus a S. Nicolao,* ambo Carmelitae, *Perpera,* Oratorianus etc. Inter saeculares eminet tamquam probabilioristarum antesignanus *Franc. Genettus,* episcopus Vasionensis. Etiam plures cardinales s. Romanae Ecclesiae ut defensores probabiliorismi nominantur: cardinalis *Bellarminus, Toletus, Pallavicinus,* omnes Societatis Jesu; card. *de Laurea* O. Fr. M., card. *Aguirre* O. S. B., inter quos

sententiam saltem post opus *Bartholomaei Medinae* (in 1, 2 Summae *S. Thomae*) editum, i. e. ab anno 1577 usque ad

---

card. Aguirre et Pallavicini a probabilismo ad probabiliorismum re melius discussa et explorata dicuntur transiisse. De his cardinalibus plura.

Bellarminus, insignis sane theologus et asceta, nihil tamen de moribus stricte dictis umquam in lucem edidit. Epistola, quae citatur, post eius mortem edita est ab eius nepote, episcopo Theanensi. Provocant ad eam *Gonzalez* l. c. diss. 13, sect. 13, cardinalis Aguirre in Prologo ad Concilia Hispaniae n. 21, *Berti* l. c. l. 21, c. 14, schol. Dicendum tamen, ea epistula per se et si universaliter accipitur, falsam tradi doctrinam. Nam praecipit, „si rei certitudo non potest ad liquidum apparere, debere omnino operantem tutiorem partem sequi, et nulla ratione, nullius imperio, nulla temporali utilitate proposita ad minus tutam partem declinare". Traditur autem sic purus putusque rigorismus, non probabiliorismus. Num possit haec doctrina ex circumstantiis mitius explicari, v. g. quia episcopi sit sectari perfectiora, vel quia fortasse ad certa quaedam capita ab ipso Bellarmino restringatur, alii viderint (cf. de hac quaestione *Rassler* l. c. disp. 3, n. 449; *Wirceburg.* l. c. 275). — Toletum fuisse simpliciter probabilistam patet ex eius Summa l. 3, c. 20.

Quod ad cardinalem Pallavicini attinet, is a *Thyrso Gonzalez*, Fundam. diss. 13, c. 11, n. 75, cf. *Aguirre* l. c. n. 22, laudatur ob eiuratum probabilismum et eius ad castra probabiliorismi transitum. Cuius rei testem affert Gonzalez patruelem cardinalis P. Nicolaum Mariam Pallavicinum S. J., qui ipsi sibi scriptum tradiderit, quo testatur, card. Sfortiam Pallavicinum anno fere ante mortem suam dixisse sibi, fixum sibi esse, relinquere post se scripturam, in qua retractaturus sit, sententiam olim in libro „De actibus humanis" a se traditam, posse scil. quemlibet practice sequi sententiam minus probabilem et minus tutam relicta probabiliore. Ita P. Nicolaus Maria Pallavicinus in scripto, quod Gonzalez dedit. — Sed ante omnia tale scriptum retractationis cardinalis non reliquit, quamvis tempus ad id conscribendum plus quam sufficiens habuerit. Quid igitur id non scripsit? Quid vivus cunctatus est, retractare sententiam, quam falsam esse cognoverat? Deinde fidem si habemus cuidam probabilioristae, *Stephano Gradio*, praefecto Bibliothecae Vaticanae (cf. *Wouters*, De minus-probabilismo 18, *Wirceburg.* l. c. n. 275), Pallavicinus, cardinalis, Alexandro VII auctor fuit, ne id faceret, quod facere prius intenderat, ut ipsum probabilismum damnaret. Damnavit 1665 aliquas tantum laxas propositiones. Attende verba, quibus Gradius sententiam card. Pallavicini explicat. Videbis, quam longe abfuerit eo tempore anno 1665 Pallavicinus a sententia simplicem probabilismum esse damnandum. Monuit cardinalis, accuratiorem requiri deliberationem quaestionis, quam ut celeriter explicari posset. Ergo eam maturam esse ad condemnationem minime censuit (vide locum Gradii apud *Ter Haar*, Ven. Innocentii PP. XI De probabilismi secreti historia etc. 38 et *Döllinger*, Geschichte der Moralstreitigkeiten I 38).

medium saeculum decimum septimum et deinceps ab incomparabiliter pluribus esse defensam et hodie adhuc defendi.

Hucusque igitur card. Pallavicini nequaquam adversarium probabilismi se exhibuit. Debuit igitur, si vera ea sunt, quae P. Nicolaus Pallavicini P. Thyrso Gonzalez commisit, intra annum immutasse de re gravissima sententiam, quam tamdiu defenderat. Nam de vita decessit cardinalis 1667; quae igitur dixisse fertur suo patrueli Nicolao, ea necesse est, ipsum cum eo communicasse anno 1666. Quare a tempore, quo Alexandro VII auctor dicitur exstitisse, ne probabilismum damnaret, quia causa eius nondum satis esset explorata, anno scil. 1665, non plus quam annus interiacet. Rem eo modo accidisse per se creditu satis difficile est. — Nihilominus puto concedendum esse, card. Pallavicinum stetisse ultimis vitae suae annis a partibus probabiliorismi, aut saltem ad ipsum vehementer inclinasse, etsi minime censuerit, causam eius omnino certam et exploratam esse. Hoc ultimum ut iudicem, ratio est ipsum illud consilium, quod Gradio auctore dedit Alexandro VII. Prius vero ut iudicem, me movet, minus quidem testimonium P. Nicolai, sed primo epistola quaedam cardinalis data 27 maii 1662 ad P. Elizalde (apud *Gonzalez,* Fundam. diss. 13, n. 93 sqq), ubi plura habet, quae valde probabiliorismo favent, immo ipsa probabilioristica sunt; secundo movent me ad ita sentiendum ea, quae ipse Elizalde enarrat. Etenim l. 8, q. 8, n. 1 De recta morum doctrina haec habet: „Hic sortiti sumus impugnandum, qui magis amat vera quam sua, scil. Eminentissimum Cardinalem Pallavicinum, qui dignatus cetera huius operis perlegere, suam in eo impugnationem desideravit eamque ut efficerem iniunxit. Docuit ergo tomo ‚De actibus humanis', licere sequi opinionem probabilem, etiam ei, qui contrarium opinatur. . . . Ista omnia revocavit mihique ut edicerem praescripsit." Haec doctrina, licere sequi opinionem aliorum probabilem etiam ei, qui contrarium opinatur, non est quidem probabilismo ita nexa, ut continuo omnis, qui eam neget, certo antiprobabilista habendus sit, tamen, qui consequenter principia probabilismi prosequitur, is eam debeat profiteri. Maxime me movit tertio alia epistola eiusdem cardinalis, quam ad Elizalde de eius opere scripsit. „Gloriae mihi vertam", inquit, „et honori, si nomen meum insculptum video marmoribus adeo pretiosis, adeo solidis, adeo duraturis, quia alicuius meriti me participem fore spero, quod *edendum opus* adeo legi divinae servandae promovendaeque perutile *votis meis probaverim*" (Epistolae, Venet. 1701, 72). Certo qui ita sentit de opere Elizalde, qui extremum profitetur probabiliorismum, immo tutiorismum, non potest non censeri, ipsum quoque in hanc sententiam admodum saltem propendisse. — Cardinalis Aguirre sine dubio a probabilismo ad probabiliorismum transiit. Neque tamen videtur fundamenta probabilismi satis perspexisse; aliter si fuisset, quomodo potuisset scribere ea, quae reapse l. c. scripsit? Scil. „Non voluntas habet vim imperandi intellectui, ut iudicio reflexo censeat verum aut certum

221. *Argumenta* autem (1^{um} et 4^{um}) contra alteram sententiam modo n. 217 allata etiam contra hanc vim suam exserunt eamque prosternunt. Sed insuper: Quando solam sensentiam probabiliorem sequi licet, de facto tamen licet tantum sequi sententiam moraliter certam vel probabilissimam vel unice probabilem. Quid ita? Solide tantum probabilem sententiam vel aequiprobabilem secundum hanc sententiam amplecti atque exsequi nullo modo licet; oportet igitur tibi certo constet eam, quam amplecteris sententiam esse probabiliorem. Quomodo autem probabiliorem esse, certo saltem moraliter scies, nisi excessus erit tantus, ut contradictoria pars a probabilitate excidat? Nam si secus esset, maior probabilitas est fere dubia; ita enim usuvenit, ut id, quod uni videtur probabilius esse, alteri videatur minus esse probabile, nisi ipsum sit excessive probabilius, quocum collapsus contradictoriae probabilitatis intime connectitur. Et similiter accidit eidem homini: Quod hodie ipsi videtur probabilius esse, idipsum ei cras non raro videtur esse minus probabile. — Praeterea, cum hi auctores in quaestionibus moralibus de licito velint omnia resolvi directis cognitionibus, necesse est, eos etiam ob hanc rationem relabi in tutiorismum. Nam directe certi esse non possumus de ulla sententia — quod tamen ad omnem rectam operationem requiritur —, quamdiu contradictoria pars

---

id, quod directo iudicio aestimat falsum aut dubium aut minus tutum.“ Nam sine dubio punctum saliens probabilismi non est hoc, ut iubente voluntate reflexe *idipsum* verum aut certum habeamus, quod directe cognoscimus falsum aut dubium aut minus tutum esse, id enim ut fiat impossibile est, sed situm est in hac re, ut cognoscamus, legem sententiamque speculative incertas, etsi sunt directe probabiles, non posse in particulari producere obligationem certam; immo eius fundamentum est hoc, ut certo cognoscamus, eas ineptas esse, quae ullam in particulari obligationem producant. Cardinalem de Laurea probabiliorismo adhaesisse, certum et indubium est. Sunt tamen alii cardinales, qui Pallavicino, Aguirre, de Laurea doctrina et auctoritate pares, nisi multo superiores sunt, qui sequuntur probabilismum (vide *Caietanum* et *Toletum* locis supra laudatis, *de Lugo*, Responsa moralia l. 3, dub. 19, n. 3; De poenit. disp. 22, sect. 2, n. 39; De iust. et iure disp. 16, n. 97; disp. 37, sect. 10, n. 115).

probabilis est. Cessat autem contradictoria esse probabilis tum demum, quando opposita certa est aut saltem probabilissima. Ergo quicumque directis cognitionibus quaestiones de licito dirimere vult, necesse est sequatur semper tutiorem, nisi sententia directe cognita est certa aut probabilissima (cf. *Reuter,* Theol. mor. n. 10).

222. Etiam hoc operae pretium est, hic animadvertas, multos, qui probabiliorismum theoretice profitentur, in suis de theologia morali libris fere contentos esse probabiles attulisse sententias; quod saltem eam sententiam minus accommodatam esse vitae practicae satis testatur. Id autem contingere opinor ob duplicem causam, tum quia statuere, quid sit vere probabilius, ipsi non audent, et est reapse saepe difficillimum, nisi certa sit sententia aut probabilissima; tum quia satis percipiunt esse arrogantius proprias sententias aliis velle ut certo probabiliores obtrudere. Et revera theologia moralis valde varia et discolor evaderet, si singuli probabiliores sibi sententias aliis possent ut regulas agendi imponere. De probabilibus multo maior concordia. Cf. *Gazzanigam,* probabilioristam, De consc. probabili n. 137, qui vehementer de inconstantia probabilioristarum in adhibenda sua regula in particulari conqueritur.

Hinc vero ulterius fit, ut theoretice quidem multum distent inter se probabiliorismus et probabilismus, practice tamen communiter satis amice inter se componantur. Quod idem a fortiore valet de aequiprobabilismo et solido probabilismo (cf. *Reuter* l. c. n. 111 et *Noldin,* De principiis n. 217 b).

223. *Quartum systema est illud aequiprobabilismi. Eius asseclae duo statuunt:* unum et praecipuum hoc, nos posse, quando sententiae saltem aeque aut fere aeque probabiles sunt, quamlibet earum, etiam minus tutam, sequi. Hoc aequiprobabilismo cum probabilismo commune est; quare ipsum non impugnamus; sed quando de probabilismo agetur, ipsum simul probabimus. Addunt vero, vetitum esse, *ne umquam sententiam minus certo probabilem minusque tutam sequamur.* Hoc aequiprobabilismo

peculiare est, et de ipso est inter probabilistas et aequiprobabilistas controversia. De hoc hic agendum. Alterum, quod tradunt, est hoc, in dubio facti de legis cessatione legem servandam esse, quia lex possideat (cf. *S. Alphons.* l. c. n. 27).

Hic notandum, multos afferri ut aequiprobabilistas, qui tales non sunt. Sic si numeratur inter aequiprobabilistas *Sylvius,* quia 1, 2, q. 19, a. 5, q. 5, conclus. 3 scribit: „Dum una opinio sic est probabilior, ut eius opposita sit improbabilis, necesse est sequi probabiliorem; sicut et quando dubium est, an opinio, quae probabiliori opponitur, vere sit probabilis." Nam hoc etiam probabilistae moderati omnes dicunt. Quomodo enim sententiam aliquam ut probabilem sequi possum, si excessus contrariae sententiae tam insignis atque enormis est, ut id, quod secundum se et absolute consideratum fortasse fuisset probabile, iam comparative ad rationes partis oppositae sit vere improbabile? Aut quomodo ut probabile possum iure sequi id, quod, num probabile sit, nescio? Idem merito dices de sententia, quam *Ernestus Müller* in sua Theologia morali l. 1, § 81, n. 10 professus est. Vult certo probabiliorem sententiam tunc tantum adesse, quoties contradictoria est tantum tenuiter aut dubie probabilis. Nam quod tenuiter vel dubie probabile est, id simpliciter probabile nequaquam est. Debere igitur me in casu sequi probabiliorem sententiam prae improbabili et minus tuta palam est. Aequiprobabilismus igitur non vere defenditur, quando asseritur sententiam probabiliorem pro lege tunc amplectendam esse, quando altera pars minus tuta pro libertate ne simpliciter quidem probabilis est seu amplius probabilis non manet; id omnes solidae doctrinae probabilistae dicunt, sed tunc solum, quando asseritur, sententiam probabiliorem pro lege etiam tunc amplectendam esse, quando altera opposita minus probabilis favens libertati est et manet solide probabilis.

224. Probant autem sententiam *primum argumento,* quod supra n. 196 iam prostratum est; scil. eam sententiam ex obligatione sequendam esse, quae, quoties ipsa veritas reperiri

non potest, ad veritatem propius accedit; eam autem esse probabiliorem sententiam. Quam multos naevos hoc argumentum habeat, ibi ostensum est.

Alterum argumentum non plus valet. Est hoc: Omnis sententia certo probabilior contradictoriam sua probabilitate privat seu eam elidit. Ergo sola probabilior iam probabilis est et sequenda. *Antecedens probatur 1°* argumento illo, quod ipsum quoque supra iam solutum est. Est hoc: Duae diversae sententiae in oppositas partes tendentes non possunt ambae simul ad certitudinem accedere, sed quantum accedit una, recedit ab ea altera. Tales autem sunt duae contradictoriae sententiae de licito et illicito. „Atqui accessus profecto adscribendus est opinioni, quae oppositam suo motivorum pondere superat. Ergo altera opinio proprie dicenda est a certitudine recedere ac proinde *illa sola stricte probabilis est, quae magis ad certitudinem accedit.*“ Ita *de Caigny,* Apologetica de aequiprobabilismo n. 41. — Sed de hoc argumento iam dixi. *Negatur antecedens.* Ad probationem: Maior quidem probationis est vera; minor tamen est falsa, siquidem *neutri parti accessus ad certitudinem determinate adscribi potest;* cum nihil constet, in qua praecise parte veritas lateat; potest esse in una, potest esse in altera parte; et licet pro una parte sint graviores rationes vel plures, nihilominus et graves et solidae rationes etiam exstant pro altera parte contradictionis. Potest igitur haec altera pars facile esse vera. Manet enim verum illud Aristotelis: „Falsa interdum esse probabiliora veris.“ — *Sed antecedens alio etiam argumento conantur 2° evincere.* Petitur ex Logica, quam scripsit *Storchenau* P. 3, c. 3, n. 214, ab *Aertnys,* Theol. mor. l. 1, n. 84. „Probabilitas maior“, inquit, „ea sui parte, qua minori aequatur, eam iam prorsus elidit et detrudit ad locum dubii, quia, si esset aequalis alteri, iam foret dubium. Igitur ea parte, qua minorem excedit, ipsam infra dubium deprimit; sed infra dubium iam habetur improbabilitas. Ergo in hac collisione minor probabilitas ad improbabilitatem degenerat.“ — Sed in hac probatione imprimis

negatur suppositum, quasi argumenta dissimilia variisque principiis nixa, qualia longe communissime sunt argumenta pro utraque parte contradictionis, ullo se modo per se elidant (cf. n. 200). Praecise id, quod est specificum in utroque argumento, alteri prorsus incommensurabile est; ergo ab ipso, per se saltem, elidi non potest. Nec id, quod Aertnys ex Crisi P. 1 *Cardenae* (disp. 6, n. 80) addit, nobis contrarium est. Nam agitur ibi de uno casu facti, ubi adsunt argumenta (testimonia de visu) ex utraque parte *plane similia et aequalia,* quae utique mutuo se elidunt (cf. n. 204).

225. *Tertio loco arguunt:* Homo, ut moraliter recte agat, debet studere sese conformare non sola ratione, sed imprimis voluntate et actionibus veritati recti simpliciter ordinis seu eius ordinis, qui antecedenti lege Dei directe et independenter ab aeterno sancitus est. Qui autem sequitur sententiam libertati faventem, etiam tum, quando certo cognoscit, ipsam minus probabilem esse sua opposita, utut ipsam cognoscit solide probabilem, minime dici potest ei se ordini serio et sincere studere conformare. Ergo in casu unam certo probabiliorem sententiam nobis sequi licet. Maior per se patet. Minor probatur: Si quis v. g. Romam serio et sincere velit pervenire, atque in itinere iam duae tantum patent viae, quarum neutra quidem plane certo et determinate Romam deducit, una tamen ad consequendum hoc propositum certo probabilior est altera, sine dubio non potest dici serio et sincere studere Romam pervenire is, qui eam viam eligit, quae certo minus ad id propositum consequendum probabilis est. Ergo cum nobis officium incumbat, ut serio et sincere studeamus nos ordini obiectivo a Deo antecedenter et independenter ab aeterno statuto conformare, is recte minime agit, qui actionem minus probabiliter ei fini convenientem elegit. Ita *Ter Haar,* Das Dekret Innozenz' XI. über den Probabilismus 11. Cf. *Wouters,* De minus-probabilismo 58 et 60, qui tamen exemplo aegri utitur, qui minus probabile remedium eligit. Hoc exemplo nihil probari, facile intelligitur. Nam aegro-

tum adhibentem minus probabile remedium, vere probabile tamen, non serio quaerere sanationem contra veritatem asseritur.

226. *Respondetur: Distinguo maiorem:* debet studere se ita conformare veritati recti simpliciter ordinis, quantum eam saltem moraliter certo assequi ratione et cognoscere potest, pro viribus nimirum et opportunitate, *concedo maiorem;* quantum id non potest, *nego maiorem.* Quod autem ad minorem attinet, nego suppositum, quasi nos debeamus in omni hypothesi veritati recti simpliciter ordinis seu eius ordinis, qui lege antecedenti Dei directe et independenter sancitus est, conformare. Id minime nec debemus nec possumus, quoties debita etiam adhibita diligentia assequi nullatenus valemus, quis hic ordo sit et quid exigat. Nec probatio minoris necessitatem hanc conformandi nos ei ordini in omni hypothesi edocet. Deficit enim prorsus paritas. Etenim Roma et eius in orbe terrarum situs res materialis est et fixa, qui autem legem aeternam tulit, spiritus vivus. Romae igitur situs nihil immutatur, sive tibi mente obversatur ut in hanc aut in illam directionem sita. Multum vero moraliter interest, quomodo actio quaedam menti tuae invincibiliter obversetur. Nam spiritus vivus seu Deus omnino vult, ut erga obiectum te geras pro modo et mensura, qua in mente tua invincibiliter adest. Quare apud omnes in confesso est, debere se hominem, qui invincibiliter in obiecto diiudicando errat, ita erga ipsum habere, prout in mente praesens est, ut moraliter bonum aut moraliter malum, etiamsi dictamen obiectivo et independenti ordini plane difforme est. Quare etiam hic sciscitari oportet, quomodo velit Deus, ut nos habeamus ergo obiectum, quod incerto modo ante mentem nostram versatur, quodque directa et seria inquisitione instituta invincibiliter nescimus, obligemurne ad ipsum annon obligemur. Vultne nos Deus obligari ad id, pro quo rationes certo probabiliores adsunt, dum adsunt tamen etiam vere graves et probabiles rationes, etsi minus graves et probabiles pro opposita parte? In hac quaestione solvenda pro-

fecto non vult Deus, ut incertis coniecturis utamur[1], sed providit deditque nobis principia secundaria, in quae reflectentes certo cognoscere possumus, quid rebus sic stantibus secundum voluntatem Dei consequentem in particulari nobis certo facere liceat. Ergo hoc inquirendum, sintne reapse eiusmodi principia, quae clare et certo nos doceant, quid obligationis in particulari adsit, quando obligationem ad aliquid directe probare et efficere non valemus, cognoscimus tamen pro utraque parte contradictionis adesse solidas et graves rationes, pro parte, quae obligationem affirmat, et pro parte, quae eam negat, pro una parte graviores quidem, pro altera vero parte minus graves, pro utraque tamen parte vere et solide probabiles. Huiusmodi autem principia nobis praesto esse, mox demonstrabitur, idque etiam ex iam dictis satis patet. Ergo defectus argumenti a Ter Haar allati est situs in hac re, quod moralia physicis nimium aequiparantur, neque ad principia reflexa eorumque vim in re morali satis attenditur. Non erat igitur, cur Ter Haar de hoc argumento scriberet, contra ipsum sophisticis tantum rationibus posse pugnari. Grave sane dictum, sed numquid verum? (Cf. l. c. 14.)[2]

227. Alia quoque satis mira scribit Ter Haar, et similia etiam habet *Wouters*, De minus-probabilismo 62. Sic v. g. quando p. 16 evincere nititur, nos debere sequi probabiliorem sententiam, quia iam non simus in perfecta ignorantia

---

[1] Id facit v. g. sententia, de qua agimus. Dicit enim: Habeo hanc sententiam pro certo probabiliore, adeoque habeo etiam ipsam pro illa, quae est veritati propinquior; quod fortasse a parte rei plane falsum est. Idque facio, licet maneat verum et formale periculum, ne eam sequens, id, quod a priori et obiective illicitum est, immediate sine causa iustificante prosequar et amplectar; nihilominus amplector eam, quia est certo probabilior et ideo etiam est spes, eam esse veram. Haec pugnant cum iis, quae supra certo esse officii nostri, ostensa sunt. Non licet nobis amplecti et exsequi id, cuius liceitas non nobis saltem lato sensu antea certa est (cf. n. 93 sq).

[2] Alia, quas contra hoc argumentum profert *Lehmkuhl* instantias, vide in eius „Probabilismo vindicato" 18 sqq (cf. etiam *Noldin*, De principiis n. 216, 2).

obiectivae veritatis. Nam ait: „Habemus subiectivam opinionem seu cognitionem imperfectam de veritate obiectivae obligationis.“ Sine dubio ea cognitio veritatis obiectivae est admodum imperfecta, ac potius nulla veri obiectivi ordinis cognitio est, quandoquidem nescimus, quid reapse veritas ordinis obiectivi a nobis exigat. Aut id te scire dices, quod quale sit, omnino nescis?

Neve dicas illud, *S. Alphonsum tamen certo probabiliorem pro lege sententiam habere pro ea, quae certam obligationem inducat.* Etenim id non ita est, nisi tamen certo probabiliorem sententiam intelligas eam, quae adeo probabilitate eminet et vincit, ut contradictoriam plane opprimat seu ad tenuem tantum vel dubiam probabilitatem detrudat. Id ita esse efficitur loco, quem S. Alphonsus scripsit in Dissertatione de minus probabili sententia anno 1755, n. 33 et iterum postea in ultimis editionibus Theologiae moralis l. 1, n. 59 (ed. *Gaudé*). Priore loco haec exstant: *„Nec valet dicere, quod cum apparet probabilior aliqua opinio pro lege, tum illa maior probabilitas legem declarat scientiamque legis iam exhibet;* nam scientia, ut cuique patet, importat certam notitiam de exsistentia legis, opinio autem etiam probabilior, cum non removeat prudentem formidinem oppositam, est toto coelo diversa a scientia, quae, omni prudenti formidine exclusa, prae se fert certitudinem. *Quando igitur in aliqua quaestione non adest scientia legis, tunc lex vel non adest vel saltem non obligat.* Dices, tunc adesse aliam legem generalem, quae iuxta legem naturae obstringit ad probabiliora sequenda. Sed iterum rogo: De hac universali lege, quae gratis supponitur, ubi scriptum est? Undenam scientiam eius habemus? cum rationes, ut diximus, potius suadeant, hanc legem non exstare, praesertim quia non praesumitur Deus voluisse hominibus imponere durissimam obligationem sequendi semper opiniones probabiliores tanto cum onere ac periculo errandi formaliter vel ob omissionem debitae diligentiae vel ob hallucinationem passionis. Saltem dico, rationes sunt dubiae: ideo in hac tam magna rationum

dubietate, saltem sententiam benignam reddit evidenter probabiliorem auctoritas tam longe communior, immo communis doctorum, qui talem obligationem non adesse iudicant ac proinde certos nos potius faciunt, declarationem esse in contrarium, scil. *quod lex probabiliora sequendi minime adsit.*" — Posteriore vero loco haec S. Alphonsus eloquitur: „Signanter", inquit, „S. Thomas hoc morale principium absolute profert: ‚Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti.'" — *Ab omnibus philosophis cum D. Thoma docetur distinctio inter opinionem et scientiam.* Opinio denotat cognitionem dubiam aut probabilem alicuius veritatis; scientia vero cognitionem certam et patentem significat. Sed audiamus ipsum S. Doctorem; *et quod S. Thomas nomine scientiae intelligat praecise cognitionem certam, patet,* quia proponit hoc quaesitum: „Utrum conscientia liget?" ac deinde ait: „Ita . . . se habet imperium alicuius gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem, in quam agit. Unde nec imperio alicuius domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam; *unde nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti*" (*S. Thomas,* De verit. q. 17, a. 3 in corp.; cf. *S. Alphons.* etiam Theol. mor. n. 74, ubi iterum multis ostendit, vocem scientiae pro certa notitia a *S. Thoma* l. c. usurpari). His constat locis, S. Alphonsum una cum S. Thoma aliisque auctoribus, quos laudat, aestimare nos tunc tantummodo obligatos esse ad aliquid, quando directa sententia pro obligatione est saltem moraliter et lato modo certa, ita quidem, ut simpliciter dicere possimus, nos scire eam. Hoc autem dicere tantummodo tunc possumus, quando, etsi non adest simpliciter et perfecte certa sententia, saltem adest probabilissima aut unice probabilis adeoque eiusmodi, quae nullam contra

se habeat gravem et solidam probabilitatem[1]. *Quando igitur S. Alphonsus* n. 62 *iam certo probabiliori sententiae eum gradum certitudinis vindicat, qui nos obliget ad eam sequendam, intelligit sententiam ita probabiliorem, ut ei nulla solida probabilitas resistat, quae igitur aut probabilissima est aut unice vere probabilis* (cf. *Lehmkuhl,* Probabilismus vindicatus 25 sqq).

228. Nec potest iure opponi illud, quod *Wouters* l. c. 80 opponit, S. Thomam omnem cognitionem mere quidem opinativam, sed certo probabiliorem voce scientiae denotasse. Nam hoc non solum contradicit ipsi S. Thomae eo loco, quem modo S. Alphonsus diserte pro se laudavit, et quo Aquinas ad obligandum non probabilitatem, sed scientiam requirit, sed insuper eam interpretationem nec ipse ille locus admittit, quem Wouters pro sua assertione confirmanda addit.

Quid enim eo loco dicit Aquinas? Quaerens q. 17 De veritate a. 2: „Utrum conscientia possit errare?" quam quaestionem ob varias rationes mox affirmaturus altero loco sibi *opponit,* „conscientiam aliquid addere supra scientiam; id autem, quod addit, nihil diminuit de ratione scientiae. Sed scientia numquam errat, quia est habitus, quo semper verum dicitur, ut patet ex 6 Ethicorum. Ergo nec conscientia errare potest". *Responsum,* quod ad hanc obiectionem reddit

---

[1] „Sententiam probabilissimam — et idem dic de unice probabili — in rebus moralibus pro certitudine habere", explicat *Palmieri* (*Ballerini-Palmieri,* Opus theol. mor. n. 117 nota a) hoc modo: „Cum in quibusdam sententiis haberi potest vera certitudo (quae non est nisi metaphysica vel absolute vel hypothetice), locus est opinioni probabilissimae, quae alia sit a certa scientia. *Cum vero certitudo solum moralis obtinet, perperam distinguis inter eam et probabilissimam absolute opinionem;* nam certa scientia moraliter ipsa est probabilissima opinio. Scil. quoniam in moralibus frequentissime (non raro enim vera certitudo habetur propter determinatas leges, canones, iudicia et responsa Romanae Sedis) oportet contentos esse probabilitate: tunc cum sententia assequitur summum probabilitatis gradum, ipsa eandem vim habet ad dirigendam actionem ac habet sententia vere certa in physicis et mathematicis et sic sententia certa vocatur: quia vero reapse fines probabilitatis non excedit, dicitur certa *moraliter,* quae est certitudo non proprie dicta, sed sufficiens per se ad dirigendos mores."

S. Thomas, est id ipsum, quod Wouters pro se affert, quasi Aquinas nomine scientiae hic denotaverit certo probabiliorem notitiam. Sed numquid recte?

Audiamus, quid respondeat: „Ad secundum dicendum, quod conscientia addit supra scientiam applicationem scientiae ad actum particularem et in ipsa applicatione potest esse error, quamvis in scientia non sit. *Vel dicendum, quod, cum dico conscientiam, non dico vel implico scientiam solummodo stricte acceptam, prout est tantum verorum, sed scientiam largo modo acceptam pro quacumque notitia, secundum quod omne, quod novimus, communi usu loquendi scire dicimur.*“ [1] — Quae iam est haec scientia late dicta ac notitia rerum, cuius hic meminit S. Thomas, quae etiam in erranti conscientia implicatur et quae distinguitur a vera scientia et proprie dicta, quae est tantum verorum? Est sine dubio eiusmodi notitia, qua homo non minus se ligatum sentit et revera ligatus est, ac si teneatur vera et proprie dicta scientia. Quaenam autem huiusmodi est? *Est subiectiva mentis persuasio firma de rectitudine et morali necessitate sive actionis sive omissionis alicuius.* Huiusmodi enim mentis actu rectitudinem et necessitatem moralem actionis vel omissionis aut reapse scimus aut saltem videmur nobis scire et nosse, propter quod eodem modo ligamur, sive unum adest sive alterum, prout reapse usuvenit in conscientia invincibiliter erronea iubente vel vetante. Ea igitur persuasio non est tantum verorum, sed etiam saepe falsorum. Unde nihil sane repugnat hanc subiectivam mentis persuasionem seu scientiam late dictam, vere obligantem, non solum invenire et implicari in conscientia obiective vera, sed etiam in conscientia obiective falsa et erronea, quod ipsum ostendere voluit *S. Thomas* l. c. (cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. 29; etiam *S. Alphons.*, ed. *Gaudé*, l. 1, immediate ante n. 70).

Constat iam, S. Thomam hic voce scientiae late dictae nullatenus cognitionem mere opinativam, certo probabiliorem

[1] In hac altera solutione sistit S. Thomas et ipsa definitivum responsum Aquinatis continet (cf. huius operis tom. II, n. 426 nota 1).

intellexisse, qui etiam modus loquendi a communi acceptione et sensu vocis sciendi nimium abhorret, sed intellexisse veram mentis persuasionem, etiam subiectivam tantum, de necessitate morali vel actus vel omissionis, cui nihil utique repugnat, quominus obiective interdum sit falsa. Et profecto hic usus vocis sciendi pro subiectiva etiam mentis persuasione est communi vocis sciendi acceptioni vere consentaneus et satis communis.

229. *Dices* cum Wouters ulterius: „Deest neque excogitari posse videtur principium moralitatis, quod honestatem tribuit electioni, qua, cum tendere possem, non tendam ad convenientiam cum moralitate obiectiva seu cum legis aeternae ordinatione obiectiva *[antecedenti]*. Atqui electio huiusmodi principio non innixa inhonesta dicenda est." Ergo. . . — *Respondeo 1°:* Nego suppositum maioris, me posse in casu, ubi lex etiam post debitam inquisitionem factam manet obscura et ex utraque parte dubia tendere vere in eam. Nescio enim, quae lex antecedens sit. Possum utique tendere in terminum dubium, pro quo plures vel etiam graviores rationes habeo, eum esse terminum lege praescriptum, at num sit revera praescriptus, nescio[1], nam adsunt etiam graves et solidae rationes, quae contradictoriam partem graviter suadent. — *Respondeo 2°:* honestatem provenire, prout ubique, etiam hic ab obiecto (cf. huius operis tom. II, n. 121 sqq). Honestas autem obiectiva, quatenus obiecto probabiliter honesto convenit, est illa honestas, quae convenit obiecto *prout probabiliter ut bonum et honestum ante mentem versatur,* simul autem cognoscitur hic et nunc atque in particulari nulla lege Dei efficaciter prohiberi. Brevi: est ea ratio honestatis, quam voluntas divina consequens appetere nobis permittit.

230. *Opponit praeterea:* „Nisi sincere tenderem, cum tendere possem, ad convenientiam cum legis aeternae ordinatione antecedenti, actio seu electio mea ordinationis divinae antecedentis vilipendium involveret. Atqui eiusmodi actio seu electio honesta

[1] Nos debere in terminos non certo praescriptos voluntate et actione tendere, asserunt quidem adversarii, neque tamen demonstrant.

dici nequit." — *Respondeo 1°:* Nego suppositum maioris ob rationem iam allatam. Non possum determinate tendere in divinam ordinationem antecedentem, cum plane ignorem, quaenam ipsa sit. — *Respondeo 2°: Distinguo maiorem:* Actio ista vel electio continet divinae ordinationis vilipendium, quoties in eam ordinationem, quaenam sit, debite inquirere negligo, *concedo maiorem;* quando in eam debite inquisivi nec de ea aliquid saltem moraliter certum vel probabilissimum efficere potui, nego maiorem. — *Respondeo 3io: Distinguo maiorem* alio modo: Vilipendium divinae ordinationis antecedentis habetur, quoties eam, quaenam sit, serio inquirere negligo, aut ubi eam detectam sequi debeo, eam tamen non sequor, *concedo maiorem:* quando eam non sequor, quoniam, quaenam sit, nescio, simulque non valeo eam detegere, ex principiis vero secundariis intelligo, me posse aliam inire viam, ut Deo placeam, eamque reapse ineo, *nego maiorem.* — Haec satis ostendunt, obiectionem fundamento carere.

231. *Oppones ulterius:* Monet Scriptura, ut „ante omnia opera nostra verbum verax praecedat et ante omnem actum consilium stabile" (Eccli 37, 20). Atqui minus probabile in oppositione ad probabilius non potest dici verbum verax, cum magis propinquet falsitati, nec dici potest consilium stabile, cum nitatur infirmioribus motivis opposito. — *Respondetur:* Veracitas, quae hic ante omne opus nostrum exigitur, non est veritas intellectus speculativi, sed practici. Hanc autem veritatem praebet certo etiam probabilismus moderatus, quemadmodum infra ostendetur. Quod autem certum est, id etiam stabile est. Quare neque consilium stabile probabilismo deest. — Ratio, quae ad minorem additur, minus probabile propinquare magis falsitati, est valde dubia et incerta, potest esse, potest non esse; seu potius, quoniam veritas in indivisibili posita est: aut est omnino vera aut non est vera, sed falsa; utrum sit, est incertum. Quare non est, cur minus probabile magis probabili propter eius eminentiam adeo incertam definitive postponatur.

332. *Superest, ut quaeramus de altera sententia, quam aequiprobabilistae circa factum statuunt.* Quaeritur, ipsa vera sit annon. Contendunt illi, in dubio facti de legis cessatione, servandam esse legem, quia lex possideat (*S. Alphons.* l. c. n. 27 et Vindiciae 18 II). Itaque, tum demum ab obligatione legis antecedentis secundum ipsos liberi evadimus, quando aut omnino aut saltem moraliter certum est, legem illam cessasse; quando vero tantum est positive probabile, desiisse legem, manemus obnoxii legis obligationi. Patet autem per se, cessationem proprie dictam legis usuvenire tantum posse in legibus humanis. Nam in legem divinam naturalem et in eam positivam, quae a Christo et apostolis ecclesiae tradita est, cessatio incidere iam non potest. Aliud fuit de lege veteri, quae tantum ad tempus imposita fuit. Quid igitur ad haec?

Respondemus, quoties probabiliter cessavit lex humana, falsum esse, ipsam remanere in suo vigore ad imponendam obligationem. Etenim 1° prius est eodem momento temporis esse quam obligare. Ergo oportet lex humana natura prius exsistat, quam hominem hic et nunc adstringat et obliget. Ergo ubi primum lex humana probabiliter cessavit esse, probabiliter etiam cessavit obligare. Quod igitur asseritur de lege humana tunc etiam certo obligante, quando ipsa probabiliter cessavit esse, sine fundamento, immo contra rationem statuitur. Nam lex dubia, ut infra docebitur, non obligat. — Dicimus, prius eodem temporis momento oportere legem exsistere, quam possit obligare. Nam nihil iuvat ad nunc obligandum lex, quae olim vel modo fuit, sed tantummodo lex, quae nunc est.

Oppones, supra tamen dictum et concessum esse, libertatem possidere, donec lex saltem moraliter certo innotuerit. Ergo a pari dicendum, possidere legem certo, donec libertas plene recuperata sit. Recuperatur autem plene libertas ad agendum una certa, saltem moraliter, cessatione legis. — *Respondetur:* Paritas utriusque casus negatur. Homo vere et proprie possidet libertatem et ad ea quidem omnia, quae non

sunt prohibita[1], et etiam retinet eam ad omnia et singula, donec prohibitio in particulari ipsi innotuerit aut potuerit saltem moraliter ipsi innotescere. Aliud est autem cum lege. Lex consideratur et est aliquid per se stans. Quando igitur probabiliter corruit aut esse cessavit, ipsa eius exsistentia tota positive dubia evasit, unde etiam positive dubia evasit eius obligatio. Nam antea eam exstitisse, nullam ipsi vim pro posteriore tempore conferre potest.

233. *Probatur 2°:* Si lex positive dubia ideo praecise non obligat, quia est dubia positive, numquam lex positive dubia obligabit. Atqui quando probabile est, legem desiisse, aeque ipsa positive dubia est, ac quando probabile est, eam ortam omnino non esse. Ergo etiam, quando dubium positivum circa cessationem legis versatur, lex non obligat. — Loquimur autem de una lege positive dubia, quia lex negative dubia, pro cuius non-exsistentia tantum sunt leves rationes, pro exsistenti habenda est, ut ex communibus principiis liquet.

234. *Probatur 3io*: Quando agitur de obligatione homini imponenda, homo considerandus est ut reus, a quo quid exigitur. Hinc antequam declaretur obligatus, oportet eius obligationem plene demonstrari, et pro illo quidem momento, quo obligatur. Si autem vera et saltem moraliter certa demonstratio fieri nequit, prout usuvenit in lege, quae vere probabiliter cessavit esse, manet homo, utpote qui consideretur ut reus, ab omni obligatione liber. Ergo in positivo dubio facti de legis cessatione lex hominem non obligat. — Hinc autem patet non esse paria iura libertatis et legis in operationum probabilium conflictu. Libertas subsistit, donec vere et plene probetur lex; lex autem, quod attinet ad vim eius obligandi, corruit, ubi primum vere probabilis evadit eius cessatio. — Minor constat pluribus testimoniis Iuris canonici et civilis, ut v. g. Reg. iuris 11 in Sexto: „Cum sunt partium iura obscura, reo potius favendum est quam actori“, et in Iure civili Dig. l. 50, tit. 17, n. 125:

[1] Cf. *D. Thom.* l. 4 sent. dist. 15, q. 2, a. 4, quaestiunc. 3, sol. 2.

„Favorabiliores rei quam actores habentur (cf. *Bouquillon,* Fundam. theol. n. 296, p. 540).

235. Cum quaestione de probabili cessatione legis connectitur, immo a multis etiam confunditur quaestio, quid censendum sit, quando lex sive divina sive humana non quidem esse cessavit, sed iam probabiliter impleta est (cf. *S. Alphons.* n. 29). Evidens est, esse has diversas quaestiones. Nam 1° in hoc eventu lex certo exsistit et manet lex, quod in casu priore contrarium obtinebat; 2° hic agitur de lege humana et divina, ibi de humana tantum agebatur; 3ⁱᵒ hic de solis affirmativis praeceptis agitur, ibi de prohibitivis etiam agebatur. Quare praesens quaestio responso ad priorem quaestionem dato non est prorsus soluta. — *Respondetur* igitur, posse affirmativam legem probabiliter impleri duplici modo: uno, quia certo posita est actio, qua lex secundum probabilem ipsius interpretationem seu secundum probabiles de ea sententias sufficienter impleta est; altero, quoniam probabiliter exercita est actio, qua, si reapse posita esset, lex certo esset impleta. In priore impletionis modo seu quando adest probabilitas iuris, immediate consequitur, nos iam liberos esse a nova et certiore legis impletione. Etenim numquam obligati fuimus revera ad aliquid amplius, quam id, quod iam factum est, praestandum. Id postea ostendetur.

236. In altero vero modo implendi legem, in quo locum habet probabilitas facti seu probabilis positio actionis praescriptae, qui casus hic maxime attenditur, dicendum, neque in ipso nos per se ad certiorem impletionem legis amplius videri esse obligatos. Et revera nisi velis dicere, legislatorem summo rigore positionem actionum, ad quas lege tenemur, a nobis exigere, videmur nobis recte dicere ipsum pro clementia, qua principem ornatum esse decet, et pro hominis imbecillitate, quoties graves et solidas rationes habemus, nos opus praeceptum iam posuisse, ad novum et certiorem actum ponendum nolle nos per se obligare. — Idem alio modo probatur: Quando particularis quaedam exigentia legis actu ex-

sistentis probabiliter impleta est, haec exigentia ut certa amplius subsistere nequit, sed ad summum probabiliter adhuc adest. Exigentia autem probabilis tantum est exigentia dubia. Dubia autem exigentia ad nihil per se obligat, de quo infra. Ergo quoties legem probabiliter implevimus, a nova et certiore impletione per se liberi sumus. — Diximus, dubiam exigentiam *per se* ad nihil obligare. Excipiendus enim casus, ubi actio quaedam non solum ob praeceptum positum, sed ob finem quendam omnino necessarium consequendum a nobis exercenda est, uti v. g. accidit, quando gravi mortis periculo expositi iustificationem aliter quam solo contritionis actu obtinere non possumus. Hic sane debemus ponere novum et quantum fieri potest certiorem contritionis actum, ut iustificationem et aditum ad perpetuam felicitatem certius consequamur; actu autem contritionis, quem fortasse tantum elicuimus, id minime consequimur. Quare nobis contentis esse eo nequaquam licet.

237. Sola iustitiae materia et obligatio serium videtur praebere dubium, quid nobis probabili solutione debiti certi peracta agendum sit. Attende nos dicere facta probabili solutione; nam quando solutio mere dubia est, dubio negativo et ex levi ratione exorto, nihil profecto dubium est, manere obligationem totius debiti solvendi. Dicunt igitur alii, quoties solutio probabiliter facta est, totum adhuc esse solvendum, siquidem dubia solutione certum iustitiae debitum non possit exstingui.

Alii contra contendunt, nihil amplius esse solvendum, siquidem debitum evaserit plane incertum, et quia possessio sit pro debitore.

Alii denique opinantur et defendunt, solvendum esse creditori debitum pro rata dubii. Quid in hac quaestione verius dicatur, in tractatu „De iustitia et iure“ statuendum erit. Vide interim *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 960; *Gury,* Theol. mor. I, n. 721; *Lacroix,* Theol. mor. l. 3, n. 571; *Lugo,* De iust. et iure disp. 18, n. 12; *Bouquillon,* Fundam. theol. n. 296 in fine; *Noldin,* De princip. n. 214 b; *Bucceroni,* Casus consc. 5, n. 12, 5 etc.

Ad totam quaestionem hic tractatam cf. *Lugo,* De poenit. disp. 16, n. 59[1]; *Illsung,* Theol. pract. tr. 5, n. 150; *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 60, c. 4; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 599; *Ballerini-Palmieri,* Opus morale n. 157; *Lehmkuhl* l. c. tr. 2, n. 109 contra *S. Alphonsum* et alios apud ipsum l. c. n. 29.

238. *Extremo loco nomino aliquos, qui hoc systema defendunt.* Sunt inter alios *Rassler* († circa 1730)[2]; *Antonius Mayr* († 1749); *Esparza,* singuli e Societate Iesu; *Eusebius Amort* O. S. Aug. († 1775); et ille, qui in theologia morali praecipue eminet, *S. Alphonsus de Liguori,* qui saltem ab anno 1762 se aequi-

---

[1] *Lugo* disputat quaestionem, num is, qui certus est se commisisse peccatum mortale, dubitat tamen, num peccatum illud iam confessus sit, debeat adhuc ipsum confiteri. Circa hanc quaestionem hoc modo statuit: Quando dubium est negativum, ipsum debere adhuc peccatum confiteri; nam „tunc", inquit, „possessio (legis confessionis) est contra poenitentem". Contra si dubium positivum est, ad nihil ipsum teneri. Sic „docent communiter omnes. Nam in aliis etiam praeceptis obligatio est certa audiendi sacrum, v. g. ieiunandi, recitandi officium etc., et tamen satisfacit homo, si iuxta probabilem sententiam ieiunet, audiat sacrum vel recitet officium: cur ergo non satisfaciet per confessionem probabilem obligationi confitendi?" Ergo probabilis legis impletio sufficit secundum *Lugo,* ut a praecepto amplius implendae legis liberi simus. Ergo a pari. Moneo tamen, Lugonem videri in his potius attendere unum modum implendae legis probabiliter, scil. priorem.

[2] Argumentum, quod hunc auctorem potissimum convicit (cf. disp. 3, n. 1123 sqq), est hoc: De rebus moralibus plerumque non habemus evidentiam seu certitudinem saltem moralem strictam, sed tantum probabilitatem. Nisi igitur teneremur ad ea agenda vel facienda, quae probabilius vetita vel praescripta sunt, plurimas leges, quas ad salutem generis humani Deus condidit, liceret nobis impune et sine culpa transgredi. Atqui Deum voluisse id ut nobis liceret, concedi minime potest. Ergo statuendum est, Deum contrarium statuisse seu velle quidem nos liberare ab omnibus iis observandis, quae probabilius seu saltem aequiprobabiliter sunt licita, velle autem nos omnino teneri ad observanda ea, quae probabilius aut sunt vetita aut praescripta. Ita et lex et libertas id, quod unicuique convenit, habebunt. Eodem modo pro hac sententia argumentatur *A. Mayr,* De act. hum. n. 385. — *Respondeo:* Transmissis ceteris, *nego minorem.* Nam Deus dedit nobis ut proximam normam agendi conscientiam secundum principia aut primaria aut secundaria et reflexa recte formatam et certam; neque tamen obligavit nos, ut incertas sequamur coniecturas, quale est etiam illud, quod *Rassler* proponit.

probabilismum amplecti publice et iterato professus est. De ipso postea uberius agendum. Inter recentiores docent ipsum seu dicuntur docere *Gousset, Scavini, Martin, Ernestus Müller, Simar, Konings, Marc, Aertnys* aliique potissimum theologi ex Congregatione SS. Redemptoris. Alios sectatores huius sententiae vide nominatos apud *Rassler,* Norma recti disp. 3, q. 10, a. 1, n. 933. Nonnemo tamen ex hoc numero reapse excipiendus est, ut iam supra diximus, v. g. *Esparza.* Et haec de aequiprobabilismo sufficiant.

239. Priusquam accedamus ad agendum de probabilismo moderato, *praemittenda adhuc pauca sunt de probabilismo laxo seu de laxismo.* Laxismum tradidisse plures, praesertim ex Societate Iesu theologos, docent inter alios *Koch,* Lehrbuch der Moraltheologie 95 sq; *Döllinger-Reusch,* Geschichte der Moralstreitigkeiten 34 sqq; *Ter Haar,* De system. mor. 77 sq; *Ern. Müller* l. c. § 78. Provocant autem, hoc ut edoceant, ad thesim 3iam ab Innocentio XI damnatam de tenui probabilitate, quae desumpta est, ut iam supra dixi, ex „Explicatione decalogi" auctore *Tamburini* S. J. l. 1, c. 3, § 3, n. 3. Vide n. 175 sqq. Et thesim quidem secundum se et ut iacet, ansam dare posse laxismo seu laxis proponendis et tuendis sententiis, palam est. Merito igitur damnata. Nihilominus ipse *Tamburini* eam plurimis modis restrinxit, ut liquido patet ex sequenti n. 21, ad quem locum inspiciendum ipse nos *Tamburini* n. 3 dirigit. Ibi enim ad veram probabilitatem requirit, ut tanta sit, ut per contradictoriam sententiam a statu probabilitatis non deiciatur. Praeterea ibidem vel in ipsa sententia aeque probabili, ut practice sit probabilis, postulat, ne aliquid (v. g. valor sacramenti) obstet. Id n. 12 monet semper esse habendum ob oculos, ne facilius dicamus aliquid practice probabile esse. Et hoc ab ipso reapse observari videmus n. 16 sqq, ubi plures casus in exemplum resolvit (cf. in specie ea, quae de iudice, advocato, medico, ministro sacramentorum § 4 habet). Hic enim vetat, ne sententiis minus aut aeque probabilibus utamur. Addunt aliqui, ut accusationem probabilismi laxi contra *Tamburini*

factam confirment, tradidisse eum (ib. n. 8) sententiam de probabiliter probabili ut vere probabili. Num vero id ad gravem eam incusationem inferendam sufficiat, alii viderint.

Quando vero *Cardenam* († 1684), quem *S. Alphonsus* classicum auctorem appellat, inter laxistas referunt, nescio, quo id iure fiat. Quod idem dic de *Amico* († 1651). Nam etsi tres eius propositiones, quas de occidendo in defensionem propriam calumniatore vel fure edidit, iure ab *Alexandro VII* (n. 17) et ab *Innocentio XI* (n. 32 et 33) censura notatae sunt: falsa tamen et laxa ipsum principia umquam sanxisse merito negatur. Iam vero ut systema laxum condatur, opus est principiis laxis, non una alterave propositione laxa, quae etiam ex rectis per se principiis illegitime colligi potest et interdum colligitur. — Aliud utique de *Caramuele de Lobkowicz* O. C. († 1682) dicendum. Eius non solum plures propositiones etiam damnatae sunt ab *Alexandro VII* sub n. 24 et 25 et ab *Innocentio XI* sub n. 48 et 49, utpote quae plura falsa in materia castitatis contineant; sed insuper falsa principia condidit, ex quibus necesse est plures falsas propositiones prodire; sic docuit hoc plane falsum principium: si una contradictoria est probabilis, alteram eo ipso esse probabilem; item docuit, omnem sententiam speculative probabilem esse etiam probabilem practice. Hunc igitur scriptorem, quem *S. Alphonsus* principem laxistarum appellat, merito argueris laxismi seu systematis probabilismi laxi, si tamen id systema recte probabilismus nuncupatur, quod nos negamus. *Caramueli* non plane immerito iunxeris fortasse *Ioannem Sanchez, Abulensem.* Is item ac *Caramuel* docuit, omnem sententiam, quae speculative probabilis est, esse etiam practice probabilem, praeterea, omnes sententias vere probabiles esse aeque tutas, cum operans sive secundum hanc sive secundum illam certus sit, se nullo modo peccare etc. Eum etiam in pluribus particularibus materiis falsa docuisse, videre poteris, si inspexeris *Vivam,* Trutina (cf. *Hurter,* Nomenclator I² 233 sq in nota).

Alios etiam auctores, partim Iesuitas, partim alios, laxas interdum sententias defendisse, indubium est. Systema autem ullum laxismi hoc modo conditum esse, merito negatur. Cf. ea, quae *Ballerini-Palmieri* circa mentem *S. Alphonsi* in hac quaestione annotat (Opus theol. mor. I, Appendix 1, n. 40 sqq)[1].

B. De probabilismo moderato.

I. De essentia et ambitu probabilismi moderati.

240. De probabilismo moderato agentes ante omnia dicimus, ipsum nobis videri unice probandum. Consistit autem probabilismus moderatus in hac sententia, ut, quando in quaestionibus *de mere licito* nihil directe certum habere possumus, nobis liceat amplecti et operando sequi sententiam vere et solide, absolute simul et comparative probabilem. Neque igitur omnis sententia quomodocumque probabilis a probabilismo moderato approbatur, sed multae, quae sunt sub certo respectu probabiles, ab eo reiciuntur. Propter hoc praecise appellatur probabilismus *moderatus*.

Excluditur autem ab eo 1° non solum omnis sententia, quae tenuiter vel dubie tantum probabilis est, sed etiam omnis, quae absolute quidem probabilis est, relative vero vel comparative improbabilis, etsi est secundum se admodum probabilis. De sententia vero probabiliter probabili videtur sub distinctione esse loquendum. Ab eo non excluditur, quoties accipi potest, ut vere probabilis; quoties vero ita non potest accipi, excludenda est. Quaestionem autem, quandonam sententia probabiliter probabilis sit vere probabilis, recte videtur hoc modo determinare *Noldin,* De principiis n. 211. „Pendet", inquit, „(quaestio)

---

[1] Iansenistae quosdam probabilistas sibi discerpendos seligerunt adscribentes eis laxismum. Hoc *Blasius Pascal* (Provinciales ep. 5 et 6) circa hominem integerrimae vitae *A. Escobar y Mendoza* S. J. († 1669) praestitit. Cf. *Hurter,* Nomenclator I[3] 264 sqq; *Wetzer et Weltes* Kirchenlexikon sub hac voce. Alii idem praestiterunt circa *Antoninum Dianam,* cler. regul. (1663), qui plura millia casuum eximia cum eruditione, sed quandoque benignius resolvit (cf. *Hurter* l. c. 496).

a sensu, qui termino probabiliter probabili subicitur: etenim si probabiliter probabilis ea opinio dicitur, quae ob rationem vere [et relative] etiam gravem ac prudentem affirmatur [seu potest affirmari], ea profecto vere et solide probabilis est; quodsi probabiliter probabilis ea opinio dicitur, quae ob rationem affirmatur [seu esset affirmanda], quae non certo, sed dubie et probabiliter tantum vere gravis et prudens est, ea vere [certe] et solide probabilis dici nequit." Atque huiusmodi sententiae omnes excluduntur a probabilismo moderato ideo, quia simpliciter et vere sententiae probabiles non sunt.

241. Excluduntur 2° ab eo omnes quaestiones et opiniones, quae versantur circa finem omnino necessario consequendum, et cuius realis consecutio nihil probabilitate sententiae, quam sequimur, sed una reali positione certarum et determinatarum actionum seu dispositionum, quae ad ipsum consequendum sunt necessariae, iuvatur.

3ⁱᵒ excluduntur ab eo alia, quae speculative quidem aliquo modo sunt probabilia, practice vero illicita, quoniam vel lege vel contractu aut quasi-contractu tenemur aut id sequi, quod est tutius aut absolute tutum, aut id, quod est probabilius, relicto probabili.

242. Amplecti igitur secundum has regulas debemus 1° id, quod aut absolute tutum aut saltem tutius est, in quaestionibus iis, quae versantur circa ea, quae sunt *necessaria necessitate medii* ad consequendum ultimum finem vitae, i. e. aeternam animi salutem. Neque iuvat in iis sequi probabilia aut probabiliora, sed sequenda sunt tuta. Ita v. g. est fortasse probabilius non esse necessarium ad consequendam animi salutem, seu non esse necessarium necessitate medii credere explicite mysteria SS. Trinitatis vel Incarnationis Domini nostri Iesu Christi. At si ea opinione nisus omitteres elicere actum explicitae fidei in haec mysteria, nihil te iuvaret ad salutem, quod ea fortasse probabilior sit sententia, si explicita fides horum mysteriorum reapse necessaria est. Et profecto in his adiunctis non quaeritur, quomodo obiectum ante mentem tuam

versetur; sed nisi reapse ponuntur ea, quae ad finem consequendum simpliciter necessaria sunt, finem non consequeris, quia deficit requisitum ad finem.

Similiter dicendum 2° *de sacramentis.* Sit probabilius, aquam ex floribus expressam esse materiam validam sacramenti baptismatis; si tamen reapse valida materia non est, non erit ablutio cum ea, baptismatis ablutio; quare neque locum habet baptismi effectus. Similiter nec licet usurpare oleum catechumenorum pro oleo infirmorum in sacramento extremae unctionis, utut probabile est, ipsum materiam ad extremam unctionem impertiendam sufficientem esse; excipiendus tamen casus extremae necessitatis; non quasi extrema necessitas ipsum id, quod fortasse est invalidum, certo validum reddat, sed quia in extrema necessitate etiam mere probabilia et fortasse invalida tentanda et adhibenda sunt, si fortasse valeant. Id enim caritas christiana exigit. Cavenda porro est in huiusmodi casu necessitatis propter reverentiam Christo et eius sacramentis debitam administratio sacramenti absoluta, eligenda et adhibenda conditionata. — Ratio autem, cur probabilem tantummodo sententiam in sacramentorum administratione extra casum necessitatis non liceat sequi, duplex est: una est omnino certa et universaliter agnita, quia nimirum caritas proximi et institutio Christi de non impediendo fructu sacramenti, quatenus praecise fideles eius fructu defraudantur, vetant, ne eo umquam modo administremus sacramenta, quo fieri potest, ut fideles eximio eorum fructu careant. Quod deinde ideo etiam cavendum est, quoniam, quoties administrationem sacramenti in nos suscipimus, simul implicite nos obligamus, ut ipsa, quantum in nobis est, fructuose administremus. Unde accedit in tali administratione ad peccatum contra caritatem peccatum contra iustitiam ex laeso quasi-contractu. — Altera ratio est reverentia sacramentis eorumque auctori debita. Nam exigit reverentia Christo, sacramentorum institutori et primario ministro, et sacramentis ipsis debita, ne in re adeo sacra quidquam per fictionem agamus.

Iam vero si fingere sacramentum grave sacrilegium est, sacrilegium quoque grave est, sine necessitate sese exponere periculo ficti sacramenti conficiendi. Nam in moralibus idem est aliquid facere et sese exponere periculo aliquid faciendi, ut merito in hac quaestione monet *Suarez,* De carit. disp. 6, sect. 2, n. 8 (cf. tom. IV in 3 part., disp. 32, sect. 2, n. 4). Nec quidquam prodesse potest, validum probabiliter adesse sacramentum. Valor enim probabilis non supplet ullo modo valorem certum; et periculum invaliditatis in sacramento ita ministrato per se et proxime semper manet. — Hoc idem etiam alio argumento efficitur. Recta ratio dictat, Christo Domino, velut auctori gratiae et ministro sacramentorum principali, deberi specialem reverentiam, neque eum ut operantem inducendum esse sine necessitate, dum forte non operatur. Id autem, quando opinio de valore sacramenti tantum probabilis est, et sacramentum nihilominus administratur, facillime accidit. Ergo contra reverentiam Christo Domino debitam eiusmodi sacramenti administratione peccatur.

Priores rationes, ut iam dixi, admittuntur communissime; sed etiam posteriores, quae videntur obiective esse praecipuae, valent. Huius rei testes sunt *Suarez,* De sacram. in genere disp. 16, sect. 2; *Valentia* in 3 partem disp. 6, q. 2, punct. 1; *Henriquez* l. 1 De sacram. c. 9, n. 15; *Cardenas,* Crisis P. 2, c. 3, n. 16; *Platel,* Synopsis P. 2, n. 143 et 146; *Lacroix,* Theol. mor. l. 6, n. 104 sqq; *Viva,* Trutina P. 2 in primam proposit. ab Innocentio XI damnatam; *Reuter,* Theol. mor. P. 1; Doctrina reprobata n. 41 et De act. hum. P. 1, n. 97 et 101 et alii contra *Vasquez* 1, 2, disp. 63, n. 5; *Sanchez,* Decalog. c. 9, n. 33, *Salas, Busenbaum,* alios, qui putant tantum rationes priore loco positas efficaciter vetare, ne utamur in conficiendis sacramentis communiter sententia mere probabili.

Adde tandem, usum sententiarum, quae certae omnino et exploratae aut saltem tutiores sint, in conficiendis sacramentis ab ecclesia praescriptum esse, si tamen casum necessitatis excipias, ubi saltem lex ecclesiae contrarium praecipit.

243. Quae modo statuta sunt, ea insigniter confirmantur thesi quadam damnata. Est prima inter eas, quae Innocentius XI proscripsit, et sonat sic: „Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia tantum probabili utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis.“ Ea confirmare sententiam nostram patet[1].

---

[1] *Prima huius sententiae damnatae propositio usum sententiae probabilis nimium extendit,* quatenus nimirum prohibitionem usus sententiae probabilis in conficiendis sacramentis restringit, quoties de valore agitur, ad legem, conventionem, periculum gravis damni. Grave tamen damnum adesse ab adversario non agnoscitur nisi in frustranea administratione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis, quemadmodum ex altera propositione illata et addita clare elucet. — Iam *altera haec propositio prohibitionem usus sententiae probabilis nimium restringit* ad sacramentum baptismi, ordinem sacerdotalem aut episcopalem. Sed profecto, quamvis in his sacramentis administrandis, quoties de valore agitur, non liceat uti sententia probabili propter ingens et plane maximum damnum, quod animis contingeret, si valor eorum non subsisteret, nihilominus neque in ceteris sacramentis conficiendis sic agere licet, si tamen sine necessitate relinquitur sententia tutior aut unice tuta. Nam quando vera adest necessitas, et id, quod est tutius aut simpliciter tutum, poni nequit, profecto tutius aut simpliciter tutum non relinquitur, sed non habetur.

Neque dici potest, ipsum tamen in sacramento poenitentiae licite fieri, ut cum probabili tantum circa valorem sacramenti sententia agamus, quatenus nimirum hominem absolvimus, qui probabiliter tantum ad validam susceptionem sacramenti dispositus est, quoties nihil grave, quod contrarium suadet, occurrit. Sed ratio huius quasi-exceptionis haec est: quoniam maior quaedam certitudo de dispositione poenitentis communiter haberi nequit. Quod autem haberi et consequi non possumus, id certo non relinquimus. Nisi igitur volumus sacramentum poenitentiae odiosum reddere et confessario submittere perpetuam causam innumerarum anxietatum, denique efficere, ut vix ac ne vix quidem hominibus conferri id sacramentum possit, oportet nos contentos esse, quoties nobis de dispositione poenitentis probabiliter constat, nihil gravioris momenti, quod contrarium vehementer suadet, occurrente.

Constat igitur, usum sententiae probabilis, quando de valore in confectione sacramentorum agitur, per se semper esse prohibitum. — Quale vero huiusmodi confectione alicuius sacramenti committatur peccatum, id hac damnata propositione non innotescit, sed disputationi doctorum relin-

244. Quoniam autem uti non licet sententia probabili de valore sacramenti in conficiendis sacramentis, ne eorum frustretur effectus, merito infertur, peccare etiam omnem recipientem sacramentum, quoties ipse deliberate et libere utitur sententia tantum probabili in re, ex qua realiter praesenti valor sacramenti pendet. Nam etsi renuntiare fortasse possit suscipiens sacramentum fructui, qui ex positione sacramenti in ipsum redundat, reverentiae tamen sacramento ipsi debitae renuntiare licite nullo modo potest.

Adde videri a Summo Pontifice sententiam damnari non solum ob pravam illationem, quae in eius altera parte continetur, sed maxime etiam secundum seipsam, prout textu ipso satis indicatur. Innuitur enim ipsa propositione satis clare, non propter solam legem aut conventionem aut periculum gravis damni usum probabilis sententiae interdici, sed etiam propter aliam quandam causam, quae, nisi fallor, non est alia praeter reverentiam ipsi sacramento et Christo Domino debitam. Quod si ita est, illatio facta circa recipientem sacramentum etiam efficacius colligitur (cf. *Cardenam,* Crisis P. 2, diss. 2, n. 37 sqq; *Reuter,* Theol. mor. n. 97 in fine; *Lacroix*, Theol. mor. P. 1, l. 6, n. 105; *Vivam* l. c. n. 25). Nam sic peccat contra reverentiam sacramenti atque contra virtutem religionis omnis, quicumque ad probabiliter invalidam administrationem sacramenti sine necessitate cooperatur. Quod cum in casu et formaliter quidem faciat etiam recipiens, sine dubio peccat.

---

quitur. Et consentiunt quidem omnes peccari contra caritatem et etiam contra iustitiam, quando eum usum vetat vel lex vel conventio vel periculum notabilis damni, quale manifesto damnum accidit omni suscipienti aliquod sacramentum, quoties frustranee ei administratur. Videtur tamen certum esse etiam contra virtutem religionis, et imprimis quidem, peccari, quatenus reverentia Christo et sacramentis ab ipso institutis debita laeditur, prout id supra in textu expositum est (cf. *Cardenam,* Crisis P. 2, diss. 2; *Viva* l. c.; apud quos etiam videre poteris, quam latum usum tradita haec doctrina habeat. *Cardenas* peccatum contra reverentiam sacramentis et Christo debitam committi, prius negaverat. Cf. Crisim P. 1, disp. 25, n. 343 sq).

Excipiendus 3^io^ *medicus*. Is, quando certa et omnino tuta remedia adhibere non potest, aut quia talia non sunt aut non praesto sunt aut sunt excessivi pretii, quod aegrotus aut non potest aut non vult solvere [1], debet in casu alia inter cetera tutiora et probabiliora remedia eligere et adhibere, non probabilia tantum et minus tuta. Haec tunc tantummodo adhibere ei licet, quando et probabiliora nulla praesto sunt et simul ipsa certo non sunt nocitura. Tantummodo in casu desperato, ubi mors saltem moraliter certo imminet, nisi remedium aliquod adhibeatur, medico licet, deficientibus omnibus aliis remediis, etiam mere probabili uti, idque etiam tunc, quando est cum periculo accelerandi nonnihil mortem coniunctum (cf. *S. Alphons.*, ed. *Gaudé*, n. 46 et auctores ab ipso laudatos). Ratio vero est, quia medicus ad hoc contractu aut quasi-contractu tenetur (cf. *Illsung*, Theol. practica n. 79). — Idem dicendum *de advocato*, qui tenetur viam tutiorem inire, ut causa clientis non certo iniusta vincat. Et generatim idem statuendum est de omnibus iis, qui se obligarunt ad bonum alicuius procurandum, v. g. *de oeconomo*.

Excipiendus est 4° *iudex*. Is enim in sententiis dicendis ob obligationem in ipso munere suscipiendo acceptam debet in causis civilibus communiter sequi probabiliorem sententiam, et per se quidem eam opinionem, quae intrinsecus probabilior est. Si tamen de probabilioritate intrinseca iudici non plane constat, coadiuvanda ipsa est probabilioritate extrinseca, et ita secundum maius pondus rationum interiorum vel etiam exteriorum iudicium ferendum (cf. *Terill.*, De consc. q. 24, n. 9 sqq; *Illsung* l. c. n. 80 sqq; *Cardenam*, Crisis P. 2, diss. 3, n. 11; *Lacroix*, Theol. mor. l. 4, n. 1487). — Aio 1° in causis civilibus eum sequi oportere probabiliorem sententiam. Nam in criminalibus semper favendum reo, quamdiu scil. ratio condemnandi est non plane indubia et clara. Ita dictant et ratio naturalis et ipsae leges positivae. Nam vetat ratio naturalis

[1] *Lugo*, De iust. et iure disp. 16, sect. 7.

eum damnare, qui fortasse innocens est; et quod ad leges positivas attinet, cf. Codicem De probationib. L. „Sciant“ et regulam iuris 49 in Sexto. Aio 2° communiter; nam quando actio instituitur contra legitime possidentem, ex iis, quae supra ostensa sunt, ei favendum est, nec ipse privari potest legitima sua possessione, nisi vere et clare demonstratur, non possidentis esse proprietatem. — Ubi vero non adest legitima possessio in pari probabilitate communiter res divisibilis videtur esse dividenda, res indivisibilis vendenda et partes ex pretio accepto pro rata compensandae[1]. Ita autem communiter tantum procedere oportet. Nam si causa favorabilis est et pia, ut est in Iure canonico causa matrimonii, dotis, viduae, pupillorum etc., excipienda et in pari probabilitate ipsa praeferenda est (cf. cap. fin. „De sent. et re iudicata“ l. 2, tit. 27, c. 16; cf. etiam *Reuter,* Theol. mor. P. 1, tr. 2, n. 103; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 460 et l. 4, n. 1492 sq). — Ratio autem, cur iudicem oportet secundum sententiam probabiliorem communiter in sententiis dicendis procedere, est haec: quoniam respublica ita ei committit officium iudicis, ut iam ipsius provincia sit, praecavere damnum publicum, prospicere vero eius bono idque meliore modo, quo commode potest. Neutrum vero iudex facit, nisi iudicet pro meritis causae, ita ut rationes iuris et facti probabiliores probabilibus praeferat, aequiprobabiles habeat eodem loco. Nam si secus facit, publicae querelae de acceptione personarum, de corruptione iudicum etc. attollentur. His autem pax et tranquillitas publica multum perturbantur. Debuit igitur respublica iudici officium sub hac conditione committere (cf. *Cardenam,* Crisis P. 2, diss. 3, n. 5 et 6; Crisis P. 1, disp. 15, n. 609 et 613 sq; *Lessium,* De iust. c. 32, n. 16; *Vivam* l. c. ad 2am proposit. ab Innocentio XI damnatam;

[1] Huic enuntiato ob rationem non spernendam contradicit *Lugo* l. c. disp. 37, n. 118, qui arbitratur, posse in eo rerum eventu iudicem rem uni integram tribuere. Ratio, quia dividendo uni certo iniuriam infert. Sed vide *Laymann,* Theol. mor. n. 16; *Terill.,* De consc. q. 4, n. 33 et 45, qui contrarium merito docent.

Reuter l. c. n. 103). Alia huius rei efficacia argumenta vide apud *Terill.,* De consc. q. 24, n. 9 sqq.

Habet autem ea, quam tradidimus, sententia summam confirmationem ab illa propositione 2ª, quam Innocentius XI proscripsit. Est haec: „Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta sententiam minus probabilem.“ Ergo cum constet ob eius condemnationem, hanc sententiam ne probabilem quidem esse, est improbabilis et practice saltem falsa. Porro, quoniam nihil distinguit damnata propositio inter probabilitatem facti et probabilitatem iuris, neque nobis inter eas distinguere licet, sed dicendum iudicem debere pronuntiare in quaestione etiam facti pro eo, qui meliores affert facti probationes; quod etiam communiter docent, nisi agatur de legitime possidenti, de reo in causa criminali aut quando agitur de causa, quae lege statuta est favorabilis. Sic v. g. in quaestione facti, homo fueritne compos sui, dum condidit testamentum, debet iudex sequi probabiliorem sententiam[1]. Idem per se dicendum in quaestione iuris.

Dicta regula de sequenda per iudicem probabiliore sententia non valet tantum, quando agitur de sententia definitiva et ultima, sed etiam de interlocutoriis omnibus, quae possunt aliquod praeiudicium afferre parti. Patet ex paritate rationis (cf. *Vivam* l. c. n. 1; *Cardenam,* Crisis P. 2, diss. 3, c. 1, n. 3 et c. 7, n. 62 sqq; *Lacroix,* Theol. mor. l. 4, n. 1482).

Excipiendi 5° omnes casus, ubi damnum necessario praecavendum sequendo probabilem sententiam non satis praecavetur. In dumeto v. g. latet aliquid; nescis, sitne cervus an homo; multo vero probabilius est cervus. Non licet tibi

[1] Audi, quae *Anaclet. Reiffenstuel* O. Fr. M. ad regul. iuris 45 in Sexto annotavit: „Quandocumque vera intentio, mens et voluntas, statuentis, agentis, contrahentis, disponentis etc., aliunde certo et sufficienter non apparet, illud sequendum, iudicandum, tenendum, quod prudenter et aequo animo consideratis considerandis ad cognoscendam veritatem servientibus circumstantiis, veritati magis consentaneum seu conforme apparet; vel quod in huiusmodi, de quibus quaeritur, actibus, negotiis aut dispositionibus communiter et ordinarie fieri solet, ac in regione fieri consuevit.“

in eum explodere, quia probabilis aut etiam probabilior sententia, ipsum cervum esse, nihil occisionem hominis necessario vitandam impedit et praecavet, si reapse ibi latet (cf. *Terill.*, De consc. disp. 23, n. 32 et alios communissime).

245. *Quaeres, num hi similesque casus verae exceptiones sint a regula probabilismi moderati. Respondetur negative.* Nam, ut supra dictum est, valet regula probabilismi moderati *in omnibus quaestionibus*, quae moventur *de solo licito vel illicito*, honesto et turpi. In his vero casibus de solo licito non agitur, sed *de veris obligationibus aliunde* (ab extrinseco) *provenientibus et in casum redundantibus;* scil. vel ex ipsa natura rei, de qua ponenda agitur, vel resultant ex omnino necessaria consecutione alicuius finis vel ex gravi damno necessario avertendo vel praecavendo vel ex aliquo contractu vel tandem ex positiva lege praecipiente, ut probabiliorem aut tutiorem sententiam sequamur.

Ceteroquin sententiae probabiles, quas sequi non licet, sunt tantum *probabiles remote;* probabilismus autem moderatus versatur tantum circa ea, quae sunt probabilia immediate et proxime. Ait sententia probabilis, quam sequi non licet: Probabiliter valet baptismus, qui aqua ex floribus expressa administratur. Hoc nihil adhuc dicit ne probabiliter quidem de licentia ita administrandi baptismi. Aliunde vero constat, per se et extra casum necessitatis omnino non licere administrare baptismum nisi modo certo valido. Ergo ille baptismi valor probabilis valde remote se habet ad licentiam sic agendi probabilem. Recte igitur *Noldin* (De principiis theologiae moralis n. 210 in fine) haec ait: „Sunt, qui hos casus . . . minus apte dicunt exceptiones a principio probabilismi: principium enim non patitur exceptiones; et revera non sunt exceptiones, cum ad propriam probabilismi materiam non pertineant, sed prorsus extra eius ambitum positae sunt. Sane principium probabilismi refertur ad illos casus, in quibus occurrit lex dubia; ubi autem agitur de fine necessario obtinendo, dubium versatur circa efficaciam medii ad finem obtinendum, non circa obligationem."

II. De liceitate probabilismi moderati.

246. *Nullam sententiam neque probabilem neque etiam probabiliorem sequi licet, quatenus ei directe assentimur.* Id supra probavimus. Nam ita manet semper immediatum et formale periculum offendendi Dei. Ergo sola via reflexionis in sententiam directe probabilem superest, ut vacare eam ab obligatione cognoscamus. Hanc igitur viam in sequente thesi probanda inimus.

Dico: Quando quaestio de solo licito aut illicito, honesto aut turpi circa aliquod obiectum movetur, semper licet omnem sententiam sequi, quae ut graviter et solide, absolute et relative probabilis ante mentem nostram manifesto versatur.

Status quaestionis: 1°. Quae sint causae probabiles, ubi de solo licito aut illicito agitur, modo satis explicavimus excludendo casus, ubi obligatio ad tutius aut probabilius operandum aliunde in causam invehitur eique praeexsistit. — 2°. Quid sit solide et graviter, absolute et relative seu comparative probabile, etiam supra late expositum est. — 3io exigimus eiusmodi probabilitatem manifestam, qua omnis vere dubia et tenuis probabilitas reicitur. — 4°. Agitur denique de obiectis ex utraque parte contradictionis vere probabilibus sive aequaliter sive inaequaliter. Nam quae ex una tantum parte probabilis est sententia, eam non probabilem, sed quasi certam habemus.

247. *Probatur 1°:* Lex nos non obligat, nisi quatenus obiecto, circa quod est, rationem moralis necessitatis sive ad amplectendum sive ad fugiendum relate ad nostram voluntatem impresserit vel imposuerit. Atqui id praestare non potest lex, quoties utraque eius contradictionis pars de licito et illicito ut vere et solide probabilis menti nostrae obversatur. Ergo... — Maior patet. Nam omnis lex primum versatur circa obiectum, quod nobis moraliter necessarium reddit idque aut ad amplectendum aut ad aversandum, et mediante obiecto, quod iam in ratione nostra ut praescriptum relucet, attingit voluntatem nostram [2]. Minor item patet. Nam quando summopere

[1] Aliis verbis: Omnis obligatio est ad aliquid nobis necessarium obligatio.

incertum est, utrum lex obiectum omnino attingat annon attingat; quomodo dici potest, ipsam attingere ita obiectum, ut ipsi necessitatem relate ad liberam nostram voluntatem imprimat? Est autem in casu proposito valde incertum, num lex omnino attingat annon attingat obiectum, quandoquidem utraque contradictionis pars ut simul probabilis obversatur menti nostrae probabilitate gravi et solida, absoluta et relativa, etsi una quandoque pars est probabilior. Neque tamen hoc efficit, ut pars probabilior probabilitatem alterius partis obruat. Vide supra n. 195 sqq. Manet igitur obiectum in casu liberum ab omni certa attingentia legis, multo igitur magis ab omni vera necessitate ligante nostram liberam voluntatem. Consequitur, in casu proposito voluntatem nequaquam obligari. Possumus igitur utramvis partem pro libitu sequi.

248. ***Coroll. 1.*** Hoc argumento ostensum etiam est, verum esse adagium: Lex dubia non obligat. Atque circa hoc dictum observa, licet verum sit, neque tamen videri ipsum immediate et per se evidens esse. Quare instar principii per se evidentis assumi in argumentatione nequit[1].

249. ***Coroll. 2.*** Etiam alterum argumento hoc constat, licere nobis minus probabilem sententiam in operatione sequi, quamvis ipsam veram esse directe minime iudicaverimus eique assensum directum non dederimus, sed tantum cognovimus, eius veram et solidam obiectivam probabilitatem. Ita recte *Suarez,* De censuris disp. 5, n. 6; *Vasquez* 1, 2, disp. 62, c. 4, n. 14; *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 9, n. 14 et 15; *Cardenas,*

---

[1] Minime igitur putamus, sequentem argumentationem evincere veritatem adagii. Dicunt, solam legem cognitam obligationem inducere posse. Nam lex nequit obligare voluntatem, nisi media cognitione ei applicetur. Iam vero lex non cognoscitur nisi mediante scientia. Scientia autem non est in cognitione probabili. — Sed respondetur, in hac argumentatione supponi, quod est probandum, scil. non sufficere ad obligandum vere probabilem legis notitiam, sed requiri certam. Efficiendum igitur est, probabilem legis notitiam, quoties pro contradictoria parte simul adest probabilitas, ad inducendam legis obligationem non posse sufficere. Id putamus argumento a nobis allato demonstratum esse.

Crisis P. 1, disp. 15, n. 246 sq; *Terill.,* De consc. q. 13, n. 25; Regul. mor. q. 11, n. 11; q. 2, n. 19 etc.; *Illsung,* Theol. pract. tr. 1, disp. 1, n. 51; *Rassler,* Norma recti disp. 2, n. 337 339 354, ubi alii plures pro hac sententia laudantur; cf. etiam eundem disp. 3, n. 529 sqq; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 387 contra *Gonzalez,* Fundam. diss. 2, § 2, n. 1; diss. 8, n. 52; *Esparzam,* Appendix n. 140 sqq; *Brocardum,* De consc. q. 2, § 4 aliosque plures.

250. *Probatur 2°.* Ut post debitam inquisitionem factam simus subiective obligati ad aliquam particularem actionem exercendam respective ad abstinendum ab ea, necesse est conscientia dictet: Teneris hanc actionem ponere respective abstinere ab ea. Atqui quamdiu aut sententia generalis proponit aliquem actum ut universaliter licitum probabilitate iuris gravi et solida, aut ipsa conditio rerum talis est, ut probabiliter non adsint circumstantiae, quibus praesentibus certa lex reapse iubeat et obliget, non potest conscientia legitime nobis dictare, nos teneri ad actum eum aut ponendum aut ab eo abstinendum. Ergo non obligamur. Maior evidens est. Nam proxima regula omnium actionum humanarum et moralium est conscientia ultimo dictans. Ita omnes. Ergo quamdiu conscientia etiam inquisitione debite facta non dictat nec legitime potest dictare nos teneri ad aliquid operandum aut ad abstinendum ab aliqua operatione, obligatio ad certam quandam operationem aut ad abstinendum ab ea in nobis exoriri non potest. Ergo tamdiu ad nihil sumus obligati. — Minor etiam videtur esse evidens. Nam quamdiu aut regula iuris obligans ad aliquid operandum probabiliter non adest ob contradictoriam probabilitatem iuris gravem et solidam aut circumstantiae eae probabiliter desunt, quibus praesentibus solum lex certa aut praeceptum certum ad exsecutionem urget, conscientia legitime dictare nequit, teneri nos hic et nunc ad actum particularem ponendum aut abstinendum ab ipso. Aut quomodo id dictare merito potest?

Dices: Merito id quidem dictare non posse conscientiam directe, sed id posse et debere eam dictare indirecte et ob

legem quandam superiorem. Haec enim dictat, esse sectandum probabilius. *Respondetur,* nullam talem legem esse, id supra pluribus effectum est.

251. *Probatur 3°.* Sententia de licito, quam quidem ad certitudinem directe perducere non possumus, quam tamen post debitam inquisitionem factam invenimus ratione vere probabili inniti, quae vero ei opponuntur argumenta invenimus solutione convenienti et verisimili non carere, est rationi certo consentanea. Iam vero ratio proximum lumen est, quod in operationibus nostris aut debemus aut saltem possumus sequi. Ergo eiusmodi sententiam nobis in nostris operationibus sequi licet. Ergo vere et solide probabilem sententiam in operationibus nobis sequi licet. Est enim eiusmodi sententia, qualem in maiore descripsimus, aliud nihil quam sententia vere et solide probabilis, prout id ex supra dictis constat. Maior videtur per se patere. Nam quid ad sententiam rationi consentaneam plus desideretur, non cernitur, nisi velis dicere, unam, quae certa est, sententiam rationi humanae consentaneam esse; quod, quae est mentis humanae imperfectio, nemo prudens dixerit. Minor ab omnibus admittitur. Consequentia prima patet. Nam, quoniam rationem ducem in omnibus operationibus nostris liberis praelucentem habere debemus, certo id, quod rationi consentaneum nobis circa operationes nostras exhibetur, nobis amplecti licet (cf. *Lacroix,* l. c. l. 1, n. 308).

Coroll. Hoc argumento colligitur, verum esse adagium illud communissimum veterum[1]: Qui probabiliter agit, prudenter agit. Etenim probabiliter agere aliud nihil dicit quam agere gravi innixum ratione et dissoluta sufficienter omni ratione in contrarium. Ita autem agere secundum argumentum factum et licet et prudens, i. e. rationi consentanea, est actio.

252. *Probatur 4°.* Homo vi liberi arbitrii, quod naturaliter possidet, est naturaliter dominus actionum suarum. Atqui ab

---

[1] Cf. *Ballerini-Palmieri* tr. 2, n. 103, ubi aliquos saltem ex multis, qui hoc adagio utuntur, laudatos invenies.

hoc naturali dominio naturalique possessione suae libertatis non deicitur, nisi certa lex certo attingens ipsum, ipsum ab hoc dominio hacque possessione saltem moraliter certo depellat. Vide supra probata n. 142 sqq. Ergo probabilis aut etiam probabilior circa contrariam partem sententia, quippe quae evidenter non sit certa, ipsum in nulla sua actione ligat, sed utpote possidentem liberum ipsum dominumque actionum suarum relinquit. Ergo probabilem licet per se semper sequi sententiam [1].

Dices: Dominium, quod homo naturaliter habet actionum suarum, esse tantum dominium physicum, non morale. Nihil enim significat aliud, quam posse ipsum naturaliter actum et ponere et omittere. Ergo quando ex eo dominio arguitur ad moralem libertatem, fit transitus ad aliud omnino genus. Quare conclusio immerito infertur. — *Respondeo:* Habet homo naturaliter non tantum dominium physicum, sed etiam morale in suas actiones, donec lege certa certo ab ipso quoad determinatam actionem demptum fuerit (cf. *S. Thom.* l. 4 sent. dist. 15, q. 2, a. 4, quaestiunc. 3, sol. 2).

Dices rursus: Ergo homo non nascitur legi Dei subiectus, sed antecedenter est a lege Dei exemptus, est exlex. Id autem absurde dicitur. — *Respondetur:* Homo nascitur subiectus legi Dei in genere, i. e. debet ex conditione sua oboedire omni legi Dei, quae sibi innotescit; debet etiam, quoties suspicio quaedam exsistentis legis nonnihil gravior in mente ipsius exoritur, serio inquirere, num reapse adsit lex; deinde vero debet se omni legi Dei, quae ita ei moraliter certo innotuit, in specie subicere, *concedo;* debet vero omni legi, etiam ei, quam invincibiliter nescit, num lex Dei omnino sit, oboedire, *nego.* Homo, ut iam supra diximus, est quasi reus in quaestione de imponenda obligatione concreta, lex petitor. Reus vincit petitorem ex omni iure, donec petitor ius suum exigendi vere

[1] Additur „per se", quia, si quis se obligasset voto aut alio modo ad sequenda probabiliora, ad id teneretur.

et certo demonstraverit (cf. ea, quae circa hoc argumentum habet *Bouquillon,* Fundam. theol. n. 296, p. 544).

253. *Confirmatur ex S. Scriptura.* Ait S. Scriptura Eccli 15, 14 sq: „Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. *Adiecit* mandata et praecepta sua." Ergo homo primo est liber *et in manu consilii sui;* dein addita ipsi sunt, saltem natura posterius, praecepta. Habent igitur praecepta revera partes petitoris accedentis. Petitor autem debet evincere suum petitum et causam contra possessorem legitimum rationibus certis. Quis etiam negabit, hominem liberum suum arbitrium legitime possidere? (Cf. *Noldin* l. c. n. 213b.)

254. *Probatur 5°,* quod attinet ad ipsam legem naturalem. Quando dicimus, legem aliquam naturalem esse ex utraque parte contradictionis probabilem, per se et primo aliud nihil asserimus, quam adesse diversas rationes graves et solidas, quae suadent utramvis partem contradictionis circa aliquod obiectum; scil. adesse unas, quae suadent, ipsum esse conveniens ordini recte naturali, alias vero, quae suadent, ipsum ei disconveniens esse. Iam vero ita stante causa nullo modo inferre licet, nos iuberi a Deo sequi unam praecise partem. Nam eatenus tantum vult Deus nos naturali lege obligatos esse ad aliquid, quatenus ipsum ut ordinatum et necessarium aut ut inordinatum et vitandum cognoscimus, quod tamen hic nullatenus locum habet. Ergo huiusmodi probabilitate non obligamur.

255. *Probatur 6°.* Ne effectus vincat causam, non potest ulla incerta et dubia lex, sive in se sive in sua applicatione dubia et incerta est, ullam per se et directe obligationem producere, sed dubiam tantum. Haec autem practice est nulla obligatio. Ergo. . . Maior videtur esse evidens. Minor probatur. Omnis vera obligatio subiectiva implicat iudicium absolutum: teneor hoc facere respective omittere. Hoc autem iudicium formare non possumus, nisi menti nostrae illucet imperium superioris absolutum et certum, quo tenemur. Fieri porro nequit, ut tale imperium absolutum et certum praesens

nobis sit, quando plane incerti sumus de eiusmodi superioris imperio. Id autem profecto sumus, quando tantum adest dubia lex, i. e. lex ex utraque parte, ex affirmativa et negativa probabilis. Summo iure enim hic usurpaveris illud, quod scripsit Apostolus (1 Cor 14, 8): „Si incertam *(ἄδηλον)* vocem det tuba, quis parabit ad bellum?“ Nisi igitur lex indubium *(δῆλον)* dat sonum ipsa natura duce, ad nihil arbitramur nos obligatos esse. Indubius autem sonus est sonus certus et determinatus, non probabilis ex utraque parte, negativa et affirmativa. — Nec iuvat adversarios invocare superiorem quandam legem de necessitate absoluta vitandi omnis peccati materialis aut de necessitate operandi id, quod tutius est, aut accedendi ad id, quod est veritati propinquius. Nam nulla nec est nec potest esse necessitas vitandi omnis peccati materialis, nec est necessitas operandi communiter, quod tutius est, nec accedendi ad id, quod est aut potius quod aliquo modo videtur esse verius, ut ex supra demonstratis patet.

256. *Probatur* 7°. Potest se homo voto oboedientiae ita obligare, ut oboedire debeat saltem in particulari semper superiori suo, etiamsi is minus tuta minusque probabilia ex genere suo mandet, dummodo ne mandet huiusmodi, quae certo sunt illicita. Ergo necesse est minus tuta minusque probabilia ex genere suo, sint saltem in particulari certo licita. — Consequens probatur. Nam nos votum non potest obligare ad ea facienda, quae sunt omni modo, tam in genere quam in particulari, antecedenter ad votum et praeceptum illicita, secus votum esset vinculum iniquitatis. Ergo ea, quae minus tuta minusque probabilia sunt, probabilia tamen ex genere suo, sunt saltem in particulari certo licita. Antecedens autem constat communissima doctrina SS. Patrum, theologorum, ascetarum, immo approbatione Ecclesiae (cf. inter alios *Suarez,* De virt. relig. IV, tr. 10, l. 4, c. 15, n. 17 sqq; cf. ib. n. 3 sqq; *Terillum,* De consc. q. 23, n. 79 sqq; *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 549; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 433; *Gonzalez,* Fundament. diss. 14, n. 92, ubi inter alia haec invenies testimonia: *S. Bernardus,*

De praecepto et dispensatione c. 12 haec ait: „Quidquid vice Dei praecipit homo, quod non est certum displicere Deo, haud secus accipiendum est, ac si praecipiat Deus“). Ergo omne, quod probabile est non displicere Deo, vel quod probabile est, ei placere, accipiendum est, ac si id praecipiat Deus, et exsequendum est, quando et quoties ipsum a superiore praecipitur. — Idem docet *Humbertus,* Generalis ordinis Praedicatorum, vir virtute et doctrina clarus, l. 5 De eruditione religiosorum l. 1, c. 1: „*Nisi aperte sit malum,* quod a superiore praecipitur, accipiendum est, ac si a Deo praeciperetur.“ Ergo omnia vere probabilia, quae sine dubio non sunt aperte mala, quoties a superiore praescribuntur, Dei praecepta censenda sunt. — Consona habet *S. Bernardinus Senensis,* Dialog. de oboedientia: „Ubi subditus rationabiliter dubitat, an, quod praecipitur, sit peccatum annon, tunc profecto oboedire tenetur.“ — Eadem tradit *S. Ignatius de Loyola* part. 3 Constitut. c. 1, n. 23: „In omnibus rebus, ubi peccatum non cernitur, proposita sibi voluntate ac iudicio superioris [habeant] pro regula suae voluntatis ac iudicii.“ — Nec dissentit *Dionysius Carthusianus* in l. 2, dist. 39, q. 3, ubi docet, subditum religiosum debere in omnibus, *quae non sunt certo contra legem Dei,* oboedire (cf. etiam *Halensem* part. 2, q. 121, membr. 3, art. 2; *S. Bonaventuram* l. 2, dist. 39, a. 1, q. 3 etc.; cf. etiam *Lugo,* Resp. moral. l. 3, dub. 19). — Quae vero theologi ordinumque fundatores in re morali adeo communiter docent, ea certo approbat Ecclesia.

257. *Dices,* fieri numquam posse, ut superior mandet minus tuta minusque probabilia. Nam eo ipso, quod superior aliquid mandat, est probabilius. Ergo suppositum praecedentis argumenti est falsum. Ita *Gonzalez,* Fundam. n. 101 sqq cum quibusdam aliis. — *Respondetur:* Negatur antecedens et ratio addita; atque ita etiam consequens negatur. Nam falsum omnino est, quod in ratione supponitur, iussum superioris de se immutare naturam et probabilitatem obiecti. Etenim quod obiectum non est antecedenter ad praeceptum tale, ut se possit

votum oboedientiae ad ipsum extendere, id semper extra sphaeram et ambitum potestatis superioris situm manet. Ergo quod antecedenter nullo prorsus modo est licitum, id iussu superioris de se numquam evadit neque simpliciter neque probabilius licitum, quoniam ad ipsum votum oboedientiae se extendere non potest. Ergo omne mandatum superioris validam licentiam obiecti de se supponit. Dico, de se iussum superioris obiectum non immutare; nam in positiva et humana lege saepe potest superior ecclesiasticus dispensare; quod, quantum potest, reapse facere censetur, ubi aliquid, quod tantum iure humano vetitum est, iubet. — Ceterum si verum esset id, quod dicitur, haberes illud mirum, ut ea, quae probabiliora sunt, dum superior in munere manet, ipsa, ubi primum defunctus est munere, iterum evaderent minus probabilia (cf. *Illsung,* Theol. pract. tr. 1, disp. 1, n. 61, § „Dein quaero"; *Lugo,* Responsa moral. l. 3, disp. 19, n. 17 23 24)[1]. Brevi: iussum superioris nihil per se connectitur cum specie et apparentia veri et liciti in obiecto, in qua sita est eius probabilitas, sed licentiam iussi omnino supponit.

258. *Probatur 8°.* Nisi licet in agendo sententiam amplecti simpliciter, sed vere probabilem, amplectenda est aut vere probabilior aut tutior. Iam vero communissime fieri non potest, ut inveniamus eam, quae sit vere probabilior. Unde nec eam amplecti possumus nisi admodum raro. Quare fere semper tutior est amplectenda. Hanc autem nos in agendo communiter amplecti debere ex pluribus rationibus falso dicitur (cf. n. 216 sqq). Ergo superest, ut amplecti liceat simpliciter vere probabilem. — Maior est evidens. Minor con-

[1] Quem pro sua sententia confirmanda *Gonzalez* l. c. inducit *Suarezium* l. 6 De leg. c. 8, n. 6, minime ipsi assentitur. Asserit unum hoc: Quando subditus probabiliter censet, ordinationem superioris excedere ob difficultatem iussi eius potestatem, debere subditum nihilominus, quoties superior monitus insistit ex certa scientia suae ordinationi ut suam potestatem non excedenti, superiori se submittere et suo iudicio renuntiare. Sed quid hoc ad propositum?

stat, quia, dummodo ambae contradictoriae sententiae vere probabiles sint, difficillime et raro, utra sit certo probabilior, indubitanter statui potest, nisi tamen una adeo superat alteram probabilitate, ut haec relative et comparative improbabilis evadat (cf. *Reuter,* Theol. mor. n. 94 et communissime).

259. *Confirmatur 9°*: Sacrum Officium consultum circa varios casus, qui in causa excommunicationis simplicis ob non debite denuntiatum confessarium, qui ad turpia sollicitavit, obvenire possunt, his formulis 11. Febr. 1661 respondit: modo quidem sic: negativam opinionem non carere probabilitate (n. 6 et 7); negativam esse probabilem (n. 11 12 15); „si sollicitatio fiat extra locum confessionis et absque praetextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem; secus si in confessionario seu in loco confessionis" (n. 4); modo vero sic: affirmative, reiecta opinione contraria ut non probabili (n. 2); opinionem contrariam [i. e. negativam] non esse probabilem (n. 3); censuerunt affirmative; et opinionem negativam non esse probabilem (n. 5) etc. Voluit autem S. Officium diverso hoc modo respondendi intimare et plane eloqui, quis lege illa teneatur, quis non teneatur; discrimen autem in hac re statuit, ut id, quod probabiliter dicitur, certo ab officio denuntiandi eximat; quod vero dicitur non probabiliter, id relinquat sub onere denuntiationis. Ergo S. Officium in his saltem sententiis proferendis probabilitatem secutum est, seu probabilitatem ut causam et normam vere ab onere legis eximentem agnoscit (cf. *Scavini,* De poenit. c. 4, a. 4; *Ballerini-Palmieri,* Opus morale V, n. 1088; *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 975).

260. *Oppones 1°:* Secundum ea, quae alibi vidimus (cf. huius operis tom. II, n. 500 sq), omnis actus humanus in particulari necessario est formaliter aut honestus aut inhonestus. Et quoniam omnis honestas redundat ab obiecto in actum, obiectum, quod omni honestate caret, actum etiam honestate donare non potest. Iam vero actus humanus, qui versaretur circa obiectum probabile tantum, omni positiva honestate caret. Ergo est actus inhonestus. Minor ostenditur. Nam tale obiectum ad summum

obversaretur menti nostrae ut non prohibitum seu a Deo mere toleratum. Hoc autem nullam honestatem obiectivam et veram dicit, sed ad summum indifferentiam. Ergo neque actus humanus circa ipsam versans potest inde contrahere honestatem subiectivam et formalem. — *Respondetur:* Concessa maiore minor negatur. Ad probationem minoris respondeo: *Nego maiorem.* Constat enim in casu, obiectum in individuo non solum nobis certo licere, sed etiam ipsum esse probabiliter honestum. Tendimus autem in ipsum praecise et signate ob honestatem obiectivam, quam probabiliter in mente nostra habet, simul cognoscentes, hoc obiectum nulla lege hic et nunc prohibitum esse. Consequitur igitur actus humanus ab honestate obiectiva probabili positivam honestatem et formalem eamque talem, quae nulla malitia offuscatur (cf. supra n. 229).

261. *Oppones 2°:* Si ex hoc, quod obiectum probabiliter licet, iure inferri possit, nos posse ipsum in particulari licite amplecti, similiter, quia probabiliter non licet, iure infertur, non licere nobis ipsum in particulari amplecti. Atqui in sententia ex utraque parte contradictionis probabili, obiectum et probabiliter licet et non licet. Ergo ipsum in particulari amplecti simul et liceret et non liceret, quod est absurdum. — *Respondetur:* Illatio antecedentis negatur, quoties agitur de obiecto, quod ostenditur in genere probabiliter et licitum esse et non esse licitum. Nam quoties agitur de obiecto, pro quo solum sunt vere probabiles rationes ipsum esse prohibitum, nullae esse licitum, sane fateri oportet, non licere nobis ipsum amplecti, ut ex iis, quae supra dicta sunt, satis constat. Ratio autem negandae illationis antecedentis in conditionibus dictis haec est, quia ex probabiliter negata liceitate obiecti in genere, quoties ipsi obluctatur probabiliter affirmata liceitas eiusdem obiecti item in genere, merito colligitur obiectum in particulari et concreto nobis licere (argumentum primum). Neque colligi potest in casu, usum libertatis, quem antecedenter legitime possidemus, nobis propter prohibitionem non firmiter fundatam ereptum esse et interdici

(argumentum quartum). Neque ex probabilitate sententiae negativae potest colligi absolutum praeceptum, quod nobis amplexum obiecti vetat, quoties adsunt probabiles rationes, quae ipsum nobis amplecti permittunt (argumentum alterum). Conclusio igitur nulla est. Et sane non sequitur, obiectum in particulari licere simul amplecti et non licere amplecti, sed prius tantum (*Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 315 sq).

262. *Instas:* Si ille bene agit, qui illud operatur, quod probabiliter honestum est, male is agit, qui probabiliter inhonestum operatur. Aut cur ista illatio non valet? — *Respondetur:* Si idem obiectum simul subest rationibus gravibus et solidis, quae eius honestatem et liceitatem probabiliter et in genere ostendunt, et aliis rationibus item probabilibus et solidis, quae ostendunt probabiliter eius inhonestatem et illiceitatem in genere, non potest ullo modo effici, ipsum in particulari esse prohibitum, prout argumentis allatis constat. Ergo qui tale obiectum in particulari voluntate amplectitur eatenus, quatenus menti obversatur ut probabiliter honestum, simul cognoscens nulla id lege in particulari prohiberi, is bene agit, utut adest dubium plus minusve grave de eius inhonestate speculativum et in genere (cf. *Illsung,* Theol. pract. n. 73).

263. *Quaeres:* Quid de argumento illo censendum sit, secundum quod lex, quae etiam debita inquisitione facta dubia remanet, non est sufficienter promulgata; atque adeo, quoniam promulgatio est de essentia legis aut saltem eius conditio prorsus necessaria, nec est vere et proprie lex nec nos obligare ullo modo potest. — *Respondeo,* multos et gravissimos doctores censere, recte id meritoque concludi (cf. *S. Alphonsum* saepissime, v. g. Systema morale l. 1, n. 67; *Suarez* 1, 2, disp. 12, sect. 6, n. 8; *Terill.,* De consc. q. 23, n. 14; *Lacroix* l. c. l. 1, n. 274; *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 91 etc.).

Attamen si promulgatio sensu proprio sumitur, id videtur vix ac ne vix quidem vere dici posse. Et in positiva quidem lege, divina et humana, videtur id esse evidens. Nam multae possunt esse causae, cur eiusmodi leges, etiam debite promul-

gatae, maneant etiam diligente inquisitione facta nobis saepe ignotae vel saltem dubiae, maxime quod attinet ad eorum sensum et intelligentiam. — Quod autem ad legem naturalem attinet, videtur omnis lex naturalis rerum creatione divinitus satis promulgata esse. Nam legem naturalem quomodo Deus promulgat? Nisi fallor, non alia via, nisi quatenus Deus ordine rerum condito homini principia subiectiva sufficientia seu rationem indidit ad eum ordinem recte cognoscendum et legitimas ex eo cognito illationes practicas concludendas. Ergo condito rerum ordine (principio obiectivo) et condita humana ratione (principio subiectivo) Deus promulgationem legis naturalis videtur ex parte sua et simpliciter complevisse (cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 90, a. 4 ad 1). — Si aliter dixeris, quasi promulgatio legis naturae sit ipsum actuale quoddam dictamen rationis, quo actu cognoscamus, quid Deus vi naturalis ordinis a nobis exigat, videmur negare, deficiente tali iudicio, vel materiale peccatum committi posse. Etenim peccatum quoque materiale, saltem ut adsit sensu perfecto, promulgationem legis factam supponit. Nam materiale peccatum dicit transgressionem legis obiectivae. Nequit autem adesse transgressio legis obiectivae deficiente lege seu lege nondum sufficienter promulgata. Nam promulgatione exsistit lex. Ergo in hac hypothesi cum deficientia subiectivae notitiae legis naturalis simul promulgatio adeoque ipsa lex deficeret, ac proinde nec iam posset esse mera et vere obiectiva et materialis transgressio legis, quam tamen vix non omnes in casu adesse posse fatentur. — Insuper dici oporteret, quoties lex quaedam particularis naturalis hucusque dubia denuo et primum certo innotesceret, legem naturalem hanc tum demum promulgari et primum condi; quod vix quisquam admittet. — Idem extendendum esset ad legem divinam positivam; ut scil. tunc tandem dicatur promulgari et condi, quando v. g. circa locum S. Scripturae hucusque obscurum interpretatione authentica a Romano Pontifice infallibiliter facta discimus determinate, qui verus eius sensus sit et quid ipso praescribatur. Hoc tamen negabunt omnes et merito.

Est enim huiusmodi locus S. Scripturae a parte rei iam diu sufficienter promulgatus, etsi, qui eius sensus sit, nondum sufficienter innotuit. Quare recte quidem affirmatur, legem dubiam etiam instituta serio eius investigatione non sufficienter ad proxime obligandum nobis innotescere, non recte, eam non esse sufficienter promulgatam. Nam sitne sufficienter promulgata annon, id etiam sic dubium est et manet.

Idem confirmatur doctrina multorum canonistarum, qui negant, interpretationem legis mere comprehensivam nova promulgatione indigere [1]. Ratio eorum est haec: Lex quamvis sensu esset incerta, nihilominus iam fuit sufficienter promulgata. Obligabat igitur iam in actu primo, licet ob defectum notitiae non in actu secundo. Nunc vero propter certam cognitionem datam obligat sine nova promulgatione etiam in actu secundo (cf. *Bouquillon* l. c. n. 114 et eos, qui ibi laudantur canonistae; cf. etiam *Noldin,* De principiis I, n. 113, 3; n. 133 sq). Ergo male infertur ex lege, quae etiam adhibita diligentia debita dubie tantum cognosci possit, ipsam non esse sufficienter promulgatam.

Paucis cum *Bouquillon* n. 294 quaestionem de legis promulgatione absolvamus. *α*) „De ratione legis est, ut sit (publice) *cognoscibilis;* redditur ordinatio cognoscibilis per promulgationem debito modo factam: hinc promulgatio requiritur ad vim legis obiectivam, et ideo lex non sufficienter promulgata est lex nulla; *β*) at promulgationi legis non semper respondet eius *cognitio;* lex autem non cognita, licet vim habeat obiectivam et sit vera lex, tamen non habet vim subiectivam et eius transgressio excusatur; *γ*) lex promulgata et cognita omnem suam vim exserit; scil. obligat tum in actu primo tum in actu secundo." Ita ille (cf. etiam illa, quae exstant apud *Migne,* Curs. compl. theol. XI, col. 1498).

III. Qua auctoritate moderatus probabilismus utatur.

264. Si ii, qui, postquam *Bartholomaeus de Medina* O. P. suam in 1, 2ae *S. Thomae* commentationem anno 1577 primum

[1] Cf. tamen *Suarez,* De leg. l. 6, c. 1, n. 3; *Sanchez,* De matrim. l. 8, disp. 2, n. 10; *Laymann,* De leg. c. 7, n. 27; *Wernz,* Ius decretal. I, n. 100; *Laurentium,* Instit. n. 290.

edidit usque ad medium saeculum decimum septimum, ubi *Mercorus* item O. P. aliique contra Medinam eiusque sententiam surrexerunt, de hac quaestione scripserunt theologi, audiendi et considerandi soli essent, facile constaret, quid esset de hac quaestione dicendum. Gravissimi enim et doctissimi vix non ad unum omnes theologi ei in substantia sententiae adhaeserunt, utut ipsa apud Medinam minus castigata et nimis ampla exstat. Etenim non satis moderatum, sed vagum quendam Medina probabilismum professus est. Audi, quae in commentario in 1, 2 ad art. 6 quaestionis 19, § „Ceterum magna" eloquitur. „Nihilominus tamen", inquit, „haec sententia non videtur mihi vera. Nam in omnibus negotiis, etiam magni momenti *et in maximam iniuriam tertii,* licitum est sequi opiniones probabiles. *Ergo etiam in materiis sacramentorum.*" Antecedens et consequens huius enthymematis falsa sunt, ut supra n. 242 sq demonstravimus. Et quamvis ipse conclusionem de sacramentis postea neget, ideo scil., quia sacramenta, nisi premit necessitas, eo modo administrari oporteat, quo omne periculum invaliditatis excludatur: antecedens tamen, licet ipsum quoque nimis latum et falsum sit, retinetur. Insuper docet, iudici licere in iuris quaestionibus probabilem sententiam praeferre probabiliori, quamvis minime concedat ipsum id facere posse in quaestionibus facti. Hic enim recte statuit, probabiliora testimonia probabilibus omnino anteponenda esse. Sunt sane haec eiusmodi, quibus Medinae sententia, licere sequi minus probabilia, etsi opposita probabiliora sint, nimis extendatur minusque probabilis reddatur. Posteriores tamen theologi ita principalem Medinae assertionem amplexi sunt, ut his naevis mederi minime neglexerint. Quod vero probabilioristae saeculi decimi septimi et deinceps contra tunc communissimam hanc sententiam probabilismi opposuere, id maxime hoc est: Probabilismum dicunt usque ad Medinae tempora in Ecclesia fuisse inauditum, dominatum unum esse prioribus saeculis probabiliorismum. Immo non deerant, qui contenderent, eum ab apostolis ad nos pervenisse. Hoc si esset

verum, cum probabilismo male ageretur; sed numquid est verum? Hoc videamus.

265. *Dico: Plane immerito praetenditur, probabilismum usque ad Medinae tempora fuisse in Ecclesia sententiam plane inauditam.*

Patet id 1°, quia per omnem retro antiquitatem probabilitatis principium sufficienter agnitum fuit. Tantummodo, quod in certis conditionibus certo licere ab omnibus agnoscebatur, idipsum consequenter prosequi oportebat, et probabilismus, qualis saeculo decimo sexto et deinceps communiter proponebatur, totus aderat. Etenim docebant Patres et omnes theologi posteriores, obligari religiosum voto oboedientiae ita, ut oboedire debeat semper, dummodo ne ei superior intra sphaeram suae competentiae quidquam manifesto contra legem superiorem pugnans iniunxerit. Non requirunt, ut sit id, quod iubetur, probabilius, sed contenti sunt, quoties est probabile (cf. supra n. 257). Ergo cum voto oboedientiae non fiant licita, quae de se et antecedenter fuerunt illicita, constat, licere per se sequi ea, quae tantum sunt vere probabilia.

Huc pertinent illa etiam, quae ex libro 22 *S. Augustini* „Contra Faustum, Manichaeum" c. 75 sumpta in capite „Quis culpatur" causa 23, q. 1 exstant. „Vir iustus", inquit, „si forte sub rege etiam homine sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, civicae pacis ordinem servans, cui, quod iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est." Quamdiu igitur liceitas actionis probabilis est, licet oboedire. Per se illicita autem numquam licet operari, etsi a superiore iubentur. Ergo per se sunt licita, quae sunt probabilia.

266. Idem 2° patet ex alia etiam doctrina, quam diutissime et communissime ante Medinam tradiderunt: scil. absolvi deberi a confessario omnem eum, qui sententiam probabilem vult sequi, etsi confessarius contradictoriam censet esse probabiliorem, quia id poenitens facere vult, quod sibi licet. Si igitur ipsi licet id, quod tantum probabile est, facere, certo licet sequi probabilem

sententiam [1]. Nec ullus postulat, ut ipsum interroget confessarius, habeatne probabiliorem eam sententiam, quam sequi velit, sed contenti sunt, modo probabilis sit censeaturque sententia.

267. Neque 3^io^ desunt auctores, qui etiam ante Medinam pro sententia simpliciter probabili diserte pronuntiarunt. Nominatur ut talis a D. Antonino et a Ioanne Nyder *B. Albertus Magnus*. Hic praeclarus doctor videtur, ait *Nyder* in Consolatorio timoratae consc. P. 3, c. 11, hoc documentum tradidisse, „quod frater simplex vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius magni doctoris opinionem sequatur" (cf. *S. Antoninum* P. 1 Summae tit. 3, c. 10, § 10). Iam vero magnus doctor reddere quidem potest sententiam per sese probabilem; ut talis vero et ob suam auctoritatem eam reddere probabiliorem oppositis non potest. Ergo licet operari, S. Alberto auctore, probabilia. — Verum quidem est, Alberto locum hunc prorsus certo a S. Antonino et Nyder non adscribi: si autem ipsius non est, est certo veteris cuiusdam magnique doctoris, cuius responsa „in veteribus ordinis praedicatorum libris" — ita illi — asservabantur.

268. Alterum autem et omnino disertum testimonium *B. Alberti* sine dubio eius est. Exstat in ipsius Summa 2, q. 221. Hic quaestionem ponit: „Utrum conscientia semper obliget ad faciendum?" Aliquibus interiectis respondet: „Ad id, quod ulterius quaeritur, solvendum, recolenda est distinctio, quam supra posuimus, scil. quod *aliud est dubium, et aliud ambiguum, et aliud persuasum, et aliud creditum, et aliud scitum*. Unde quod est in conscientia, habet se per aliquem istorum modorum et secundum hoc magis et minus obligat.

[1] Hanc sententiam defendunt inter alios *Angelus de Clavisio*, qui circa annum 1480 floruit; decessit de vita 1493; vide Summam Angelici sub voce „Confessio" § 2; *Ioannem Nyder* O. Pr. circa annum 1430 in „Consolat. timoratae conscientiae" P. 3, c. 12 et 15; *Victoriam* in Summa de Confessione n. 278, citantem *Paludanum* et *Gottfredum*, quos etiam *Nyder* l. c. attulerat; alii multi idem sentiunt. Vide apud *Lacroix*, Theol. mor. l. 1, n. 445; apud *Sanchez* l. 1 in Decal. c. 9, n. 28; *Schmitt*, Zur Gesch. des Probabilismus 12 sq.

Sed sine praeiudicio dicimus loquendo, quod non obligat ad faciendum, nisi sit opinatum vel creditum vel scitum id, quod est in conscientia, et tunc obligat, sive conscientia sit erronea sive non erronea, et hoc propter contemptum, sicut probat obiectio." Ergo ea, quae sunt in conscientia ut dubia vel ambigua, non obligant; quae vero ipsis certitudine superiora sunt, ea obligant. Quae autem haec sunt, quae sunt certitudine eis superiora? *Respondit* ipse q. 160 hoc modo: „Dubium est indeterminatus motus rationis super utramque partem contradictionis. Ambiguitas autem est motus rationis ambiens utramque partem contradictionis per aequalia media. *Opinio autem est* [alio loco ipsum nominaverat persuasum] *opinio igitur est acceptio unius partis cum formidine alterius, ita tamen, quod ad illam, quam formidat, non habeat rationem expressam; formidat tamen propter debilitatem rationis alterius partis.* Fides autem est perfecta persuasio unius partis per multa probabilia Sed scientia est eorum, quae cognoscimus per causam, et quoniam impossibile est aliter se habere." *Opinio igitur, quae secundum B. Albertum incipimus primum ad faciendum aliquid obligari, est ea opinio, quam hodie dicimus unice probabilem;* quae vero infra ipsam haerent, ut v. g. ambiguitas, quae tunc adest, quando utraque contradictionis pars probabilis est, nihil obligat. Nullum igitur videtur superesse dubium, Albertum iam unius nobiscum sententiae fuisse seu censuisse, neque probabiles neque probabiliores, nisi sint unice probabiles, nos sententias obligare.

269. Testatur idem 4° *S. Thomas,* qui in loco celeberrimo q. 17 De veritate a. 3 haec habet: „Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti"; ubi ex comparatione facta cum ligatione corporali, qua totus homo ligatur et tenetur, evidens est, vocem scientiae significare eum saltem cognitionis modum, quo nobis aliquid saltem lato modo seu, ut dicunt, moraliter saltem certo innotescit; quod idem ceteroquin etiam constat ex ipsa significatione voci scientiae propria. Nullo enim modo dicimur ea scire, quae tantum

probabiliter aut etiam probabilius cognoscimus. Ergo notitia rei mere probabilis aut etiam probabilior nullam nobis auctore *S. Thoma* agendi necessitatem imponit. Ergo circa probabilia vel etiam probabiliora amplectenda moraliter liberi sumus (cf. supra n. 227).

Praeterea duo docet *S. Thomas,* quibus positis probabilismus implicite, sed manifesto statuitur. Unum, errorem vel ignorantiam invincibilem, etsi obiective contra legem agimus, excusare a peccato — ita statuit v. g. 2 sent. dist. 22, q. 2, a. 2; q. 3 De malo a. 8; q. 17 De verit. a. 3 ad 4; 1, 2, q. 76, a. 3; 2, 2, q. 10, a. 1; Quodlib. 8, a. 15; alterum, *ignorantiam vel errorem vincibilem* haberi, quando ea ignorantur vel circa ea erratur, *quae quis scire potest et debet; esse vero ipsa invincibilia,* quoties ea ignorantur vel circa ea erratur, *quae quis aut scire non potest aut quae scire saltem non tenetur* — 1, 2, q. 76, a. 2; q. 17 De verit. a. 3 ad 4; Quodlib. 8, a. 15. Iam vero quando debita investigatione facta nihil cognoscitur de aliqua re, nisi probabiliter vel etiam probabilius: saltem scientia de ea re, etiam sensu lato, haberi non potest aut saltem ad scientiam de ea habendam iam non tenemur. Ergo secundum D. Thomam invincibiliter ipsam ignoramus vel circa ipsam erramus. Ergo legem tantummodo probabiliter vel etiam probabilius cognoscentes invincibiliter legem ignoramus. Quare contra legem talem agentes nihil peccamus. Nam ignorantia invincibilis excusat a peccato. Ergo probabilis aut etiam probabilior sententia propter invincibilem ignorantiam, quam secum fert, liberos nos ab obligatione relinquit.

270. *Opponunt* Quodlib. 8, a. 13 propter duo. Unum est dictum *S. Thomae* hoc: „Illud, quod agitur contra legem, semper est malum nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam"; alterum dictum, quod opponitur, est hoc: „Ex conscientia obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario eius, quod agit, sive habeat opinionem cum aliqua dubitatione." Ex priore textu habetur, omne, quod fit contra praescriptum legis, semper esse formale peccatum.

Ergo omne id, quod tantum probabiliter licet, quoniam potest contra praescriptum legis offendere, proximo nos exponit periculo peccandi. Ergo id agentes sine dubio peccamus.

Ad hoc *respondetur,* eadem difficultate atque eodem modo premi etiam adversarios, qui probabiliorismum defendunt. Nam etiam id, quod probabilius est, exponit periculo proximo agendi aliquid, quod est a parte rei contra legem. Ergo... — Ceterum evidens est, dictum *S. Thomae,* si accipitur, prout sonat, falsum esse, etiam ex ipsa S. Thomae doctrina (cf. locos modo laudatos). Quomodo autem in contextu interpretandum sit, dissentiunt[1]. Probabilior multo, opinor, est ea interpretatio, quae accipit dictum de lege facile cognoscibili, quae igitur ignorari non potest nisi vincibili ignorantia (cf. *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 15, n. 452 sqq, ubi omnino plurimi et gravissimi doctores pro hac interpretatione afferuntur). Faciunt pro ea interpretatione quoque clarissima, quae *S. Thomas* habet Quodlib. 8, a. 15; Quodlib. 3, a. 10; 1, 2, q. 76, ad 2 et 11; ib. q. 19, a. 6. — Quidquid est, hoc certum est, hunc subobscurum locum locis claris, quos vel supra vel modo attulimus, non posse officere. Ergo contra defensores simplicis probabilismi ipso nihil effici potest. — Alterum autem dictum nocere quidem potest iis, qui omnia directis cognitionibus dimetienda esse iudicant; iis vero, qui directas cognitiones reflexioni subiciunt, nihil nocet. Nam hi clare vident, non posse oriri veram et proximam obligationem aliquam, quando utraque contradictionis pars est probabilis. Opinio igitur cum aliqua dubitatione hic directam solam cognitionem, qua dubii remanemus, significat. Quicumque autem agit contra conscientiam directam dubiam,

---

[1] Circa hunc locum cf. inter alios *S. Antoninum,* Summa P. 1, tit. 3, c. 10, § 10; *Hadrian.* in quaest. De restitut. § „Quia iam dictum est"; *Terill.,* De consc. q. 29, n. 8 sqq; *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 258 sqq; imprimis *Cardenam* l. c. P. 1, disp. 15, n. 450 sqq; *Moyam,* De opin. prob. q. 6, n. 23 sqq; *Herincx,* Summa theol. disp. 4, n. 34; *Illsung,* Theol. pract. tr. 1, disp. 1, n. 74.

non prius instituta necessaria reflexione, qua tollitur dubium, is sine dubio peccat.

271. Hos duos magnos celeberrimosque doctores probabilismum seu eius saltem principia profitentes per se manifestum est, alios multos esse secutos. Quomodo igitur dici illud potuit, usque ad Medinae tempora probabilismum in Ecclesia fuisse inauditum?

Accedit, ut *S.* quoque *Bonaventura* idem senserit (cf. *Bonaventurae* commentarium ad l. 4, dist. 16, P. 1 in expositione textus dub. 12 et dist. 9, a. 2, q. 3 in corp. etc.). Vide etiam, quomodo aliquam sententiam ut minus probabilem reiciens (l. 3, dist. 39, a. 3, q. 2), nihilominus fateatur, ei, qui ipsam sequi vult, *tantum consulendam esse* contrariam.

Quod idem clarissime etiam docet l. 2, dist. 24, P. 1, a. 2, q. 2. Disputat quaestionem, sitne peccatum mortale, permissive se habere circa motus pravos sensualitatis exortos, quando animadversa est eorum pravitas. Distinguit hoc modo: „Aut advertit [qui eos patitur] periculum [liberi consensus in eam delectationem] aut non advertit. Si non advertit periculum delectationis nec repellit eam, peccat, sed non mortaliter. . . . Aut advertit periculum et delectationem non repellit, sed mentem in talibus cogitationibus revolvi sinit, et tunc dicunt magistri, quod peccat mortaliter, quia, quamvis non sit consensus verus, est tamen interpretativus . . . quia, cum eam compescere debuisset et teneretur, non tamen compescuit. *Hoc tamen, quod nunc ultimo dictum est, non est usquequaque certum. Negant enim aliqui esse mortale in negligentia reprimendi*, ubi est displicentia, quantumcumque quis periculum advertat. Sed tamen securior via tenenda est, quidquid sit rei veritas. Et si cui hoc contingat, *sanum est consilium,* quod de ipso ut de mortali poeniteat; in dubiis enim securior via eligenda“ [scil. de consilio]. Hic in ipsam traditam doctrinam nihil attinet nos inquirere. Quantam vero S. Bonaventura doctrinae certitudinem exigat, ut stricte ea obligemur, id considerandum. Circa hoc punctum *Terillus,* Regula mor.

q. 63, n. 12 recte haec observat: „Hic doctor loquitur de duabus opinionibus contradictoriis praxi poenitentium deservientibus. Ipse tutiorem sequitur eamque veram reputat et, ut ex modo loquendi apparet, eam ut longe probabiliorem et quodammodo certam habet. Sed *quia non erat usquequaque,* ut ait, *certa,* cum aliqui docerent oppositum, ita pro praxi casum resolvit, *ut sanum sit consilium* in rebus huiusmodi securiorem partem tenere. Ergo S. Bonaventura existimavit nullam esse obligationem sectandi partem aut tutiorem aut probabiliorem, sed hoc ad consilium pertinere; ideoque cuique licitum esse sequi in praxi partem minus tutam minusque probabilem; nec ipse tamquam theologus aut confessarius quemquam obligandum censebat ad conformandum se opinioni sui confessarii, modo bona fide alicui opinioni probabili inhaereat. Porro quia S. Bonaventura in tali re nil temere contra communem doctorum effutiit, recte colligitur, communem tam fidelium praxim quam auctorum sententiam fuisse, quod cuilibet liceret, sequi quamcumque opinionem practice probabilem, etiam minus tutam."

Quinimmo vel ii doctores, qui S. Thomam non raro impugnarunt, in hac tamen doctrina tradenda unius cum ipso fuerunt sententiae. Sic *Durandus,* qui obiit 1331, fatetur l. 4, dist. 15, q. 11 tertiam, quartam et omnem deinceps in die comestionem contra legem ieiunii factam iam sine peccato, i. e. licite, fieri, quoniam probabile sit, legem ieiunii alteram tantum comestionem (plenam) vetare, quamvis contraria quoque sententia, ut ipse Durandus ait, sit probabilis, immo sit ipsi, ut ex toto contextu patet, probabilior. Nec ea, quae docet l. 4, dist. 17, q. 13, contrarium continent, quatenus ibi ait, illud, quod est tutius, semper esse tenendum. Praeterquam enim, quod probabiliorismo nihil favet, nam aliud est probabilius, aliud tutius, agitur ibi de sacramento poenitentiae ob cordis impoenitentiam ficte suscepto, quod aliqui (v. g. *S. Thomas* l. 4, dist. 17, q. 3, a. 4) putarunt sublata fictione reviviscere. Certo, etsi illa sententia de sacramento poenitentiae

valide, sed ficte suscepto et reviviscenti olim fortasse probabilis fuit, invaliditatem tamen a sacramento, quando aderat, non tollebat; et ideo propter periculum salutis, cui exponebatur is, qui ita tantum suscepto sacramento decedebat, sacramentum sine dubio fuit repetendum. Nam qui uni tali susceptioni fictae sacramenti confidens, sine securiore iustificationis medio, immoritur, „committit se dubio, quod est valde periculosum in his, quae tangunt salutem vel damnationem animae". Recte igitur conclusit Durandus: „Illud, quod est tutius, semper est tenendum", i. e. in omnibus iis eventibus, ubi de salute aeterna agitur. Hoc autem ipsi supra diximus (cf. *Terillum,* De consc. q. 22, n. 146 sq).

272. Plures *opponunt Scotum,* qui quidem hanc quaestionem nusquam explicite tractavit[1], quoniam in Prologo sent. q. 2, n. 15 (immediate ante q. 3) asseruit, nos debere abstinere ab omni sententia dubia.

Quae autem sententia tantum probabilis est, aiunt, ipsa est dubia. Possemus *respondere,* idem dici posse de sententia probabiliore. Nam quae ratio dubii convenit sententiae probabili, eadem in substantia convenit probabiliori. Sed audiamus ipsum Scotum: „Et si obicias, multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis doctorum et expositorum [Sacrae Scripturae], respondeo: non est dubia via salutis simpliciter, quia a talibus tamquam a periculosis debet homo sibi cavere et custodire se, ne homo, dum se exponit periculo, incidat in peccatum. Quodsi noluerit quaerere salutem, sed non curando exponat se periculo, ubi forte de genere actus non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter se tali periculo exponendo." *Respondeo:* Dubia, quae remanent, sitne actio peccatum mortale, etiam suppositis omnibus doctrinis doctorum et expositorum Sacrae Scripturae, intelligi per se dubia maxime proprie

[1] Idem communiter de eius temporis scriptoribus dicendum est: quaestionem propositam explicite non tractarunt.

dicta seu dubia, quae propria sunt iis sententiis, quibus ne probabilitas quidem liceitatis actionis per se competit. Palam est autem ab huiusmodi sententiis sequendis hominem debere saltem interim prorsus abstinere. Nam ita nullum solidum adest fundamentum pro liceitate actionis. Aio, ipsum debere abstinere interim, donec scil. casum examinaverit. Nam si casu non examinato continuo id agit, de cuius licentia dubitat, committit sine dubio peccatum. Ergo in tali dubio agere est peccaminosum. Ergo a tali actione oportet interim abstinere. — Ceteroquin satis patet, particularibus decisionibus Scoti, liceitatem probabilis sententiae ab ipso agnosci. Sic in lib. 4, dist. 15, q. 2, n. 37 docet, auferentem rem alienam in extrema necessitate non teneri ad restitutionem, quando forte ad meliorem fortunam pervenerit, etsi opposita sententia sit tutior, et secundum aliquos etiam probabilior (cf. ib. q. 17, q. unic. n. 20). — Alii alios excitant locos, ut doceant, Scotum velle in dubio sectanda esse tutiora, ut l. 3, dist. 25, q. 1, n. 8; l. 4, dist. 17, q. unic. n. 14 etc.; sed quam priora haec etiam minus efficacia sunt (cf. Commentar. *Poncii* ad Prolog. Scoti q. 2, n. 61; *Henricx,* Summa theol. P. 2, dist. 4, q. 3, n. 36 sqq; *Mastrius* in lib. 2 sent. disp. 5, n. 46; *Esparzam,* Appendix etc. n. 153; *Terill.,* De consc. q. 22, n. 151 sqq; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 490). Scotum favisse defendentibus sententiam minus probabilem etiam ex hac re satis liquet, quod omnes fere Scotistae, Scoto addictissimi, eam palam profitentur.

273. Et haec quidem ita se habent. Nihilominus, quoniam quaestio de probabilibus sententiis ut sic olim nondum systematice et ex principiis propriis nec tractata nec mota fuit, sed vix non omnia occasionaliter et incidenter dicebantur, mirum esse non potest, multa fuisse superioribus aetatibus confuse et inaccurate dicta, etiam propterea, quia terminis adhibitis non constanter eadem subiciebatur notio. Sic locos habes, qui videntur omnino probabilismum profiteri; at saepe aliquid additur, quod non minus sonat probabiliorismum. Ita v. g. *S. Antoninus,* Summa P. 1, tit. 3, c. 10, § 10 plura dicit, quae

videntur omnino suadere probabilismum, additiones vero quasdam apponit, quae maiorem videntur requirere probabilitatem, ut aliquam sententiam tuto possimus sequi. Nam explicite hanc apponit clausulam: „Modo formet sibi bonam conscientiam de eo, quod credit, *tamquam de probabiliore parte.*“ Et similiter paulo ante dixerat: „Dummodo adhaeret opinioni alicuius doctoris et *habet rationes probabiles pro ipsa magis quam pro opposita opinione.*“ Tandem hoc profert: „Licet unam opinionem ex moralibus tenere, *iuxta limitata superius, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium,* et paratus est oboedire Ecclesiae et Scripturae, si ei errorem explanavit“; quam limitationem Bouquillon ipsis verbis S. Antonini determinat, ut probabilis sententia, quam sequi possumus, nihil proferat, quod sit „contra auctoritatem expressam Sacrae Scripturae nec contra determinationem Ecclesiae catholicae, et quod ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, *sed bonam sibi conscientiam et credulitatem formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliore parte*“. Non potest negari haec verba Antonini secundum obviam considerationem magis videri favere probabiliorismo. Attamen nescio, an recte explicentur hoc modo, ut dicamus, S. Antoninum nihil voluisse aliud, quam ut probabilis sententia, quam sequi possumus, *nobis videatur esse vera;* scil. ut considerantes rationes, quae pro ipsa afferuntur, et simul videntes solutionem earum rationum, quae ei opponuntur, dicamus, *videri* haec vere dici. Talia enim si sunt argumenta, „magis sunt pro ipsa quam pro contraria parte“, et sic opinans „de eo, quod credit, formet bonam sibi conscientiam et credulitatem tamquam de probabiliore parte“. Et ita sane sentimus, quando vere probabiles rationes audimus. His congruunt ea, quae addit, nos posse tenere unam partem, quam sequamur, „quando quis adhibet diligentiam inquirendo an liceat, *nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc, quod sit illicitum*“ [1]. Recte

[1] Huc etiam facit illud, quod habet *S. Antoninus,* Summa P. 2, tit. 1, c. 11, n. 28: „Si diceretur hic esse usuram; et usura est contra decalogum;

igitur *Terillus,* De consc. q. 22, n. 96 his considerationibus haec addit: „Et sane existimare, Antoninum in alio sensu exigere maiorem probabilitatem pro conscientiae securitate, omnino alienum est ab eius intento, quia intendit ponere regulas practicas et faciles pro formanda conscientia in perplexitate et causa dubitandi. At exigere, ne quis sectetur opiniones doctorum, nisi illae sint reapse probabiliores oppositis, non tollit, sed auget perplexitatem novamque dubii causam praebet, quia statim cuique occurreret: „Fortasse contraria opinio habet rationes aut auctoritates aequales vel etiam potiores"; atque ita nemo aut fere nemo uti posset regula ab ipso proposita, quod certo intento eius repugnat. Atque ideo Antoninus non dixit formandam esse conscientiam „de probabiliore", sed solum „*tamquam* de probabiliore parte", ut indicaret conscientiam debere formari per absolutum iudicium de honestate operis. Nota etiam illud, quod *S. Antoninus* ib. regula 7ª tradit: „Inter duram et benignam circa praecepta sententiam, pro benigna est potius ceteris paribus interpretatio facienda" (cf. *Terill.* l. c. n. 215).

274. Diximus de theologis et vidimus, eam oppositionem probabilioristarum, probabilismum usque ad Medinae tempora fuisse aliquid in Ecclesia plane inauditum, prorsus falsam esse. *Sed quid de SS. Patribus dicendum?* Etiamne probabilismus

---

respondetur, usuram esse contra praecepta decalogi verum est reductive; sed hunc contractum esse usuarium non est clarum, cum sapientes contraria sibi invicem in huiusmodi sentiant."

Etiam illa, quae in prima parte Summae tit. 3, c. 10 approbans laudat, videntur nostrae sententiae favere. Affert illud *Hostiensis,* Extrav. „De cognatione spirituali" super cap. „Si vir": „Ubi sunt diversae opiniones et diversa iudicia, semper humanior est praeferenda"; deinde illud *Guilelmi* in glossa *Raymundi,* quod „in apicibus iuris, ubi dubitant etiam sapientes, excusabilis est ignorantia". Accedit *Paludanus* in l. 4, dist. 17, qui statuit hoc modo: „Si confessarius dubitaret, utrum illud, de quo confitens non poenitet nec confitetur, esset mortale, et ille confitens dicit, quod consilio peritorum illud fecit, de quibus ex vita et conscientia probabile est, quod non consulerent nisi bene, illi iudicio potest se conformare."

apud ipsos ullo modo locum habuit? Hoc modo videamus. *S. Augustinus* l. 1 De coniugiis adulterinis c. 26 (*Migne,* P. L. 40, 469) fatetur, se baptizare catechumenos, qui decumbentes et impotentes sui nec petere baptisma nec ad interrogata *respondere* possunt, quippe quorum in fide christiana iam satis nota sit voluntas. Hanc autem, quam sequebatur sententiam pro mere probabili habebat, secus non potuisset non damnare saltem obiective eos, qui contrarium modum agendi observabant, quique pro eo afferebant illud Christi: „Nolite sanctum dare canibus neque proieceritis margaritas vestras ante porcos", quos tamen ipse, ut ait, nullo modo vult damnare. Ergo S. Augustinus agnoscit probabilitatem sententiae sufficere ad licite agendum. Progrediamur ad c. 28 (*Migne,* P. L. 40, 470). Ibi etiam catechumenum adulterum in extremis iacentem baptizandum dicit, quamvis is nulla poenitentiae signa antea dederit, quia probabiliter supponit, ipsum noluisse in prava voluntate perseverare. Sed en! etiam in quaestione, quid liceat marito, cuius uxor adulterium commisit, agere: quod ad praesentem quaestionem attinet, nobis consentit. Quaerit, liceatne tantum eam dimittere an etiam aliam ducere. Quoniam quaestio haec nondum eliquata erat, hanc mediam viam arripiendam censuit, ut huiusmodi maritos, quantum possent, arcerent quidem a novis nuptiis contrahendis, neque tamen, si novas contraxissent, a baptismo repellerent. *Siquidem ageretur de quaestione difficillima et obscura, ubi venialiter quisque fallitur.* Ita De fide et operibus c. 19, 35 (*Migne,* P. L. 40, 229). Supponit igitur, quoniam sententia, in eo eventu non licere tantum adulteram dimittere, sed etiam aliam ducere, eo tempore putabatur probabilis, etsi minus probabilis, illum maritum minime dici posse mortalis peccati reum. Accipe eius verba: „Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit et aliam duxerit, non videtur aequandus eis, qui excepta causa adulterii dimittunt et ducunt: *et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est,* utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen

habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum aestimo, *venialiter ibi quisque fallatur.* Quamobrem *quae manifesta sunt impudicitiae crimina, omni modo a baptismo prohibenda sunt,* nisi mutatione et poenitentia corrigantur; quae autem *dubia,* omni modo conandum est, ne fiant tales coniunctiones. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere? Si autem factae fuerint, nescio, utrum ii, qui fecerint, similiter ad baptismum non debere videantur admitti." — Item ib. tradit, suo iam tempore matrimonia christianorum cum infidelibus non censeri peccata, „quoniam revera in Novo Testamento nihil inde praeceptum est", inquit, „et ideo aut licere creditum est *aut velut dubium derelictum*", quamvis, ut monet, B. Cyprianus ea matrimonia antea detestatus sit (cf. *S. Augustini* De coniug. adult. l. 1, c. 25, n. 31 [*Migne,* P. L. 40, 468]). Vides S. Augustinum hic supponere, quae tantum probabiliter illicita sunt, practice non prohiberi. — Satis evidentia etiam ea sunt, quae exstant in epistola Augustini 54 ad Ianuarium c. 2, n. 2 sqq (*Migne,* P. L. 33, 200); ubi imprimis nota haec eius verba: „Quod", inquit, „neque contra fidem neque contra bonos mores esse *convincitur,* indifferenter est habendum", i. e. de eo non est disceptandum, ut multi aliunde venientes contentiose faciunt, quia utrumque est similiter bonum. Ergo ea tantum peccaminosa sunt, quae convincuntur esse contra fidem aut contra bonos mores, qualia ea, quae probabilia sunt, certo non sunt.

275. *Ipsae, quae inter S. Augustinum et Hieronymum olim vigebant controversiae, idem evincunt.* Neque censendum, alterutrum suam sententiam pro certa habuisse; vetabat hoc iam auctoritas adversarii; nam unus alterum plurimi faciebat; nihilominus singulos suas probabiles sententias secutos esse indubium est. Sic S. Hieronymus simulationem quandoque licitam esse arbitratus est provocatque ad suam defendendam sententiam ad auctoritatem S. Chrysostomi, Origenis, Didymi etc. Contra S. Augustinus prohibet simulationem omnem, maxime vero ne dicatur aliquid simulate prolatum esse in Scriptura

(cf. Epist. *S. Hieronymi* [inter epistolas S. Augustini] ep. 75 [*Migne,* P. L. 33, 252 sqq]; *S. Augustinum*, Epist. 40 et 82 [*Migne*, P. L. 33, 154 et 275]). Similiter diversae fuere sententiae de liceitate iurandi. Hieronymus defendit, numquam licere iurare; contra S. Augustinus (cf. *S. Hieronymi* in Ieremiam c. 4 [*Migne,* P. L. 24, 705]; *S. Augustinum,* Epist. ad Galat. c. 1, n. 91 [*Migne*, P. L. 35, 2110]; Epist. 47 ad Publicolam n. 2 [*Migne,* P. L. 33, 184]; cf. etiam *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 15, n. 437 et disp. 56, n. 744). Item aliis ipsi consentientibus Hieronymus bigamum ante baptismum vel eum, qui priore uxore mortua alteram post baptismum demum duxerit, non subiacere prohibitioni apostolicae de non ordinando bigamo, licet alii plurimi contrarium tenerent, defenditque id posse exsecutioni mandari; sane non quia id certum sit, sed quia probabile (cf. *S. Hieronymum,* Epist. ad Oceanum [Epist. 69, c. 2, alias 83; *Migne,* P. L. 22, 654]; Comm. in epist. ad Titum [*Migne,* P. L. 26, 563]; l. 1 Contra Rufinum c. 7).

276. *S. Ambrosius* contra ineptos zelatores legis haec profert: „Sunt etiam in nobis (i. e. inter christianos), qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinae, opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturae, non aestimant possibilitatem.“ Hinc argumentor: Quae certae sunt leges honestatis, eae sine dubio mitiorem explicationem non admittunt; iis debemus colla submittere, etsi observatu difficiles videntur. Ergo leges solae incertae humano modo explicandae sunt; in his favendum mitiori acceptioni, dummodo hoc rationabili modo fieri possit. Hoc autem nihil videtur aliud dicere, quam favendum esse minus durae legis acceptioni, modo vere probabilis sit. Vide apud *Ambrosium* in Ps 118, sermo 5, n. 37 (*Migne,* P. L. 15, 1264).

S. Gregorius Nazianzenus redarguit quendam Novatianum prohibentem secundas nuptias etiam iuvenibus viduis his verbis: „Aut rem ita esse proba; aut si id nequis, ne condemnes.

Quodsi res dubia est, vincat humanitas et facilitas.“ Ita Oratio 37 „In sancta lumina“ n. 18 sq. Quae igitur obligatio non demonstratur, ea saltem practice secundum S. Gregorium non adest. Probabilis autem vel probabilior obligatio nequaquam demonstratur. *S. Basilius* vult, ut iusiurandum, quod quis emisit de non accipienda ordinatione, tunc stricte observetur, quando expensis omnibus „nulla prorsus sit rei leniendae ratio“. Probabilis igitur ratio leniendi, quae certo gravis est, a severiore exsecutione iurisiurandi excusat *S. Basilius,* Epist. 188, can. 1, c. 10 (*Migne,* P. L. 32, 679); cf. *S. Bernardum,* Epist. ad Hugonem de S. Victore s. Tractatus de bapt. c. 5, n. 18 (*Migne,* P. L. 182, 1043).

IV. De aliis obiectionibus contra probabilismum.

277. Praeter querelam igitur iam refutatam, probabilismum in Ecclesia usque ad tempora Bartholomaei Medinae ignotum fuisse, insuper contra ipsum adversarii alia multa opponunt, sed pleraque sine valore. Sic haud dubie prorsus nullius momenti est, quando obiciunt illud Domini apud Ioannem 14, 6: „Ego sum veritas.“ Dicunt, ipsum se dixisse veritatem, non probabilitatem; vel si opponunt alterum: „Ante omnia opera verbum verax praecedat et ante omnem actum consilium stabile“ (Eccli 37, 20). Tale autem profecto non est sententia mere probabilis. Ita illi. Sed neque hoc dixit: „Ego sum probabiliorismus“, „Ego sum error invincibilis“ etc. — Conemur igitur ad ipsam, quantum possumus, veritatem pervenire; at quid, quando eam consequi non possumus? De hac autem sola quaestione hic agitur, quid liceat facere, quando veritatem adipisci non valemus. Verbum autem verax et consilium stabile actioni praemittimus, quatenus *iudicium reflexum certum praemittimus aut saltem probabilissimam sententiam ad licite agendum postulamus.* — Nec maioris momenti sunt ea, quae loquuntur de porta angusta deque lata porta apud Mt 7, 13. Nam etiam apud genuinos probabilistas arcta manet porta salutis. Observandae enim sunt secundum ipsos

omnes omnino leges saltem moraliter certae, quae sunt et plurimae et gravissimae et ex omni genere virtutum. Hae autem sunt hominibus ad observandum omnino difficiles; unde etiam plurimi ab ipsis observandis aberrant (cf. *Esparzam,* Appendix etc. a. 38). — Neque *Billuart* (diss. 6, a. 1, 1°) allatis plurimis laxis opinionibus aliud quidquam probat, quam plures probabilismo abusos esse; quod non est vitium probabilismi, sed hominum vitium probabilismum male intelligentium vel applicantium male. Idem tamen vel ipsi probabiliorismo accidit.

278. Addunt magna cum emphasi, Scripturas frequentes esse in admonendo, debere nos quaerere, debere nos scrutari, diligere, custodire, implere ex toto corde et ex tota anima legem Dei. Sed quis non videt, quam abs re haec afferantur? Profecto debemus diligenter quaerere, scrutari legem Dei et inventam ex tota anima custodire; debere vero nos implere legem Dei, quae qualis sit, detegere non potuimus, his locis ne innuitur quidem et per se satis absonum est. — Sed en! aliud efferunt. Nonne dicit Scriptura: „Qui amat periculum, in periculo peribit" (Eccli 3, 26)? Qui autem sententiam minus probabilem sequitur, nonne se conicit in manifestum periculum peccandi? — *Respondeo:* Verba ex Scriptura petita esse fateor; sed aliud est de sensu. Agitur nimirum de eo, qui duro corde statum peccati mortalis, in quo haeret, flocci facit, et sic periculum non cavens in barathrum aeternae damnationis ruit; de probabilismo vero nihil ne leviter quidem innuitur hoc loco.

279. *Pergunt:* Apostolus 1 Thess 5, 19 sqq monet inter alia christianos: „Omnia autem probate, quod bonum est, tenete; ab omni specie mala abstinete vos." Certo non ab omni specie mala is abstinet, qui sequitur id, quod tantum probabiliter, non certo est bonum. — *Respondetur:* Idem posse contra probabilioristas proferri. Ceterum in loco de prophetiis ea aetate in Ecclesia sat communibus agitur. Monet igitur, attendendum et examinandas ipsas esse; solas certas ad-

mittendas. Sed haec ad praesentem quaestionem nihil. — Et haec quidem et similia ea sunt, quae ex locis et verbis Scripturae contra probabilismum excitarunt. Nullius sane ponderis sunt (cf. si placet *Terill.*, De consc. q. 25, n. 9 sqq; *Rassler,* Norma recti disp. 3, n. 675 sqq; *Wirceburg.* III, n. 232 et 341 sqq).

280. Sed non contenti provocant probabilioristae ad quaedam *exempla S. Scripturae,* quibus putant se probabilismum debilitare et conficere posse. Sunt peccatum primorum parentum et peccatum Saulis, regis, parcentis regi Amalec et optimis gregibus eius contra expressum praeceptum Domini, et alia pauca similia. Sed quam inepte haec afferantur, manifestum est. Nihil enim Adam et Evae vere probabile potuit esse, Deum non stricte et graviter prohibuisse esum ex arbore scientiae boni et mali; et similiter Sauli mandatum Dei de non parcendo ulli homini reive ulli indubie constabat. De epikeia autem aliqua non potest hic esse sermo, quia agitur de praecepto his hominibus in particulari dato. Epikeiae vero locus tantum est in lege communiter lata (cf. *Suarez,* De legibus l. 6, c. 7 sq). Ergo concludi nequit, ut faciunt adversarii, Adam et Eva graviter nihilominus peccarunt, quamvis ipsis probabile esset, lege Dei se non obligari. Ergo probabilitas a lege observanda non excusat. Non ita. Nam id Adam et Evae nullatenus probabile fuit, siquidem contrarium iis certum fuit; si vero id, postquam iam peccato superbiae interius peccarunt, aliquo modo putaverunt, non probabiliter, sed inordinate et leviter ita censuerunt. — Similiter *respondendum* ad exemplum Saulis. Ei cum de mandato stricto Dei (cf. 1 Rg 15) certo constaret, quoniam certitudo nullam oppositam probabilitatem secum compatitur, oppositum nullo modo probabile esse potuit. Et similia ad cetera, quae ab adversariis ex S. Scriptura afferuntur facta, reponenda sunt. Uberiora de his vide apud *Esparzam,* Appendix etc. a. 1 sqq; cf. a. 54 sqq; *Terill.,* De consc. q. 25, n. 27 sqq; *Rassler* l. c. disp. 3, n. 691; *Wirceburg.* l. c. n. 244 sqq; cf. etiam *S. August.,* De civit. Dei l. 14, c. 11 sqq (*Migne,* P. L. 41, 417 sqq); et Lib.

retract. 1, c. 15 (*Migne,* P. L. 32, 609), ubi multis modis effert primos parentes scientes deliquisse.

281. Etiam *quibusdam dictis SS. Patrum* insistunt adversarii. Sic laudant illud, quod olim *S. Augustino* adscribebatur: „Tene certum, dimitte incertum" ex l. 5 Homiliar. 41 ex 50. Iam vero incerta est omnis probabilis sententia. Sed revera non est ad rem. Agitur enim de poenitentia non differenda. Est, quasi dicat auctor: Age poenitentiam sanus; hoc te certum et securum reddet. Nam si usque ad mortem distuleris poenitentiam, seriane sit, valde incertum erit, incurresque maximum salutis periculum. — Similis omnino locus ex genuinis S. Augustini libris excitatur. Exstat in l. 1 De baptismo contra Donatistas c. 3 (*Migne,* P. L. 43, 110); cf. c. 5. Hic statuitur hoc axioma: „Graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus vel eo solo, quod [homo] certis incerta praeponeret." Sed, ut iam supra diximus, in rebus ad salutem animae pertinentibus, qualis est baptismus — de hoc enim agitur —, necesse est certiora sequi. Deinde vero ille Donatista, qui ob oculos S. Augustini versatur et incertus haeret, num recte possit accipi baptismus apud Donatistas, quem certus est recte accipi in Ecclesia, certo peccat, si apud Donatistas baptizatur. Nam ratio, cur de baptismate apud Donatistas accipiendo dubitat, eorum schisma est. Quis autem dubitat, liceatne a schismaticis baptizari? Posset aeque dubitare, num liceret ab Ecclesia apostatare (cf. *Cardenam,* Crisis P. 1, disp. 15, n. 411 sqq; *S. Alph.,* Theol. mor., ed. *Gaudé,* I 456).

Dicunt, *S. Augustinum* l. 6 De utilitate credendi c. 11 affirmare (*Migne,* P. L. 42, 83), numquam esse sine vitio opinari. Dicit id sine dubio; sed attende eius vocis explicationem. „Tria sunt", inquit, „alia hominum genera profecto improbanda et detestanda. Primum est opinantium, i. e. eorum, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt." Profecto eiusmodi opinionis genus numquam sine vitio est. Sed quantum haec opinio ab opinione nostra distat! Ergo hic quoque textus inepte ad propositum laudatur.

282. Testem etiam evocant *S. Gregorium Nazianzenum,* Orat. 27: „Atque plerisque, inquit, secus videtur. Quid vero mea interest, qui veritatem magis curo, immo solum curo; hoc enim me vel condemnaverit vel absolverit." Nihil hoc ad probandum propositum valet. Nam cum de suis calumniatoribus loquatur, qui eum ambitionis incusabant, nihil curat eorum suspiciones et dicteria, una sua conscientia contentus, unam sequitur veritatem.

S. quoque *Basilium* prodire iubent. Afferunt illud, quod exstat in eius commentariis psalmi 61 ad verba: „Mendaces filii hominum in stateris" (*Migne,* P. G. 29, 478 sq). Ait: „En tibi datur libra, quae sufficiens discrimen boni et mali demonstrat. Corporea namque pondera in librae lancibus comprobamus; quae vero ad instituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium, ratione scil. regulatum, discernimus, quod et stateram nominamus, quod momentum aequale ad utramlibet partem capere possit." Quibus consona *S. Augustinus* habet l. 2 Contra Donatistas c. 6, n. 9 (apud Gratian. causa 24, q. 1, c. „Non afferamus" [*Migne,* P. L. 43, 131]). Ibi exstant haec: „Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus et quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes: Hoc grave, hoc leve est; sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis tamquam thesauris dominicis, et in illis, quid gravius, quid levius appendamus, immo non appendamus, sed a Deo appensa recognoscamus." — Sed profecto quis negaverit vitam ratione regulatam instituendam esse, ut ait S. Basilius, et omnia agenda esse secundum divinas, quantum mente eas assequi possumus, Scripturas, ut ait doctor gratiae? At quid tum agendum, quando id ex divinis Scripturis cognoscere non possumus? — Et ad textum S. Basilii in particulari quod attinet, discrimen inter adversarios et nos hoc est: adversarii omnia volunt dirimere directis de ipsis rebus iudiciis; et sic res dubiae sine dubio semper dubiae manent; nos vero etiam reflexis utimur cognitionibus, quibus sublato dubio cognoscimus, iudicia directa ex utraque parte contradictionis certo probabilia

nullam posse producere agendi aut non agendi obligationem. Et hic sane procedendi modus magis consonat verbis S. Basilii. Stateram autem S. Basilius idcirco rationem appellat, quoniam rationes pro utravis contradictionis parte in se aeque recipere easque inter se comparare et quasi appendere potest. — Quod vero spectat locum S. Augustini in particulari, comparat S. Doctor peccatum schismatis et traditionis sacrorum librorum inter se. Horum autem prius gravius esse censet ex iudicio Dei, quoniam prius crimen Deus quam alterum severius punivit. Hac igitur occasione S. Doctor verba laudata profert. Aliis verbis: S. Augustinus hunc canonem statuit: Quando de aliqua re divinum possumus ex sacris libris habere certum iudicium, id tenendum; et tunc nihil attendenda sunt humana iudicia. Quis non ex toto his subscribet? quis haesitabit? At quid haec ad propositionem, quam agimus?

283. Unum adhuc afferam testimonum *S. Chrysostomi* (Hom. 13 in 2 ad Corinth. [*Migne,* P. G. 61, 497]), quo adversarii suam stabilire sententiam tentant. Postquam ostendit de paupertate et divitiis aliter mundum, aliter Christum Dominum iudicare, addit: „Ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Quomodo autem non absurdum, propter pecunias aliis non credere, sed istas numerare et supputare; pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter, praesertim, cum habeamus omnium exactissimam trutinam et gnomonem et regulam, divinarum, inquam, regularum assertionem? Ideo obsecro et rogo vos omnes, ut relinquatis, quidnam huic vel illi videatur, deque his a Scripturis omnia inquirite et veras divitias discentes eas sectemur, ut cetera bona assequamur.“ Haec porro videntur opponi benignae sententiae. Nam 1° benigna nos minime iubet sententia, quod tamen S. Chrysostomus exigit, res ipsas inquirere, sed secundum ipsam potest omnis alienam sequi opinionem, modo eam probabilem esse existimet. — *Respondetur tamen:* Etiam nos iubemus, ubi et quantum prudenter possumus, inquirere in res ipsas. Sed quaestio iam est, quid agendum sit, quando circa

ipsas nihil certi ipsi invenimus. — Neque, pergunt, 2° licet secundum doctrinam S. Chrysostomi amplecti simpliciter omnes hominum opiniones, sed examinandum, num cum exactissima virtutis regula, divina Scriptura, conveniant. — Sed quid haec ad nos? Traditur unum hoc, ut in rebus, quae divino testimonio certae et exploratae sunt, hominum opiniones nihil curemus. Quid et quomodo in ceteris agendum sit, nihil hic attingitur, nisi ad summum aliquatenus indirecte, quatenus scil. indicatur, non simpliciter, non statim et temere amplectendas esse hominum opiniones. Sed idipsum nos etiam dicimus[1].

---

[1] Provocant adversarii, etiam ad quaedam dicta *S. Bernardi,* De praecepto et dispensatione c. 14, n. 35 et 40 (*Migne,* P. L. 182, 880 sq). Priore loco ait: „Ut interior oculus sit simplex, duo illi arbitror necessaria, caritatem in intentione et in electione veritatem"; altero hoc loco haec: „Sive itaque malum putes bonum, quod fortasse agis, sive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum est." Hinc inferunt: 1°. Cum is certo non habeat veritatem in electione, qui probabilia sequitur, secundum S. Bernardum peccat. — 2°. Quicumque probabilitatem in operando sequitur, facile pro bono habet ipsum malum, quod operatur. Ergo iterum dicendum est, eum secundum Bernardum peccare. — Respondetur ad priorem textum: Simplici agere oculo apud S. Bernardum idem significare ac ponere actionem ex omni parte et omni modo perfectam; quod locum habere non posse, palam est, quando aut in intentione aut in praelucenti cognitione aliquis defectus etiam involuntarius adest, ut sine dubio adest in omni cognitione tantum probabili (cf. ib. n. 37). *Praeter hanc tamen absolute perfectam operationem simul aliam simpliciter bonam cognoscit et agnoscit Bernardus.* Eam hoc modo describit: „Est qui bonum diligit et malum nescius agit. Huius quidem bonus est oculus, quia pius, non tamen simplex, quia caecus" (ib.). Quid igitur dices, quando quis asseruerit, eum, qui probabiliter agit, ad hanc posteriorem classem agentium pertinere, quorum oculus pius quidem et bonus, sed caecus est, quippe qui malitiam actionis invincibiliter ignoret? Invincibiliter autem malitiam actionis ignorat omnis probabiliter agens (cf. n. 269). Huc ea quoque pertinent, quae exstant ib. n. 40: „Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam; nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas."

Ad alterum locum repono: Ratio peccati potest in huiusmodi operanti diverso modo adesse: Ratio peccati formalis adest, quando malum censet bonum esse errore vincibili; ratio autem peccati materialis adest, quando materialiter et sine culpa erratur, ut fieri posse patet in omni operatione vere et mere probabili. Atque hoc posterius videtur omnino respicere

Auctoritas doctrinae traditae etiam locis ex Iure canonico quaesitis impetitur. Sed quae ex eo excitantur difficultates, supra iam solutae sunt (vide supra n. 145). — Sunt etiam recentiores, qui sibi vel hoc persuaserunt, ipsam Sedem Romanam aversatam esse probabilismum. Id sane immerito. Ceterum differam hanc quaestionem, donec alias contra nostram assertionem ex ratione haustas difficultates absolverim.

V. Difficultates rationis contra propositam sententiam.

284. Transeo igitur continuo ad difficultates, quas ex ratione petiverunt, quarum tamen magna pars iam in superioribus inefficax demonstrata est.

Obiciunt 1°: Sententia, quae docet, licere sequi minus tutam et minus probabilem sententiam, non est certa. Ergo eam sententiam sequi non licet. Probatur consequentia. Nam certam solam licet sequi sententiam (cf. supra n. 94). Antecedens vero constat. Nam negari nequit, legem de necessario sequenda probabiliore sententia saltem esse probabilem. Ergo opposita certa esse nequit. — *Respondetur: Negatur antecedens.* Est enim omnino certa. Ad eius probationem item antecedens nego. Nam quamvis multi sint, qui eam defendunt, rationes tamen, quibus defenditur per se et intrinsecus et ob perfectam certitudinem partis oppositae, infirmae sunt. Id saltem evidens est pro omni, qui rationes contrariae partis

---

S. Bernardus, prout ex eodem numero patet. Prosequitur enim: „Attamen *sine quocumque malo non erit decepta simplicitas*“ etc. Hoc satis clare edicit, erratum quidem esse sine culpa et sine formali peccato; at licet peccatum formale ita absit, peccatum tamen materiale et quaedam obiectivi ordinis laesio certo adest, et ita non est sine quocumque malo decepta simplicitas.

Ad illud, quod interdum ex epistola S. Augustini 44, n. 4 (*Migne,* P. L. 33, 186) opponunt *„Si quis putaverit bonum esse,* quod malum est, et fecerit hoc putando, *utique peccat“*, responde, probabilistas in dictamine ultimo et operationi proximo nihil omnino putare, sed certo scire, actionem hanc concretam in particulari nihil formaliter mali habere admixtum (cf. *Rassler,* Norma recti disp. 703 sqq; *Terillum,* De consc. q. 27; *Wirceburg.,* De act. hum. § 4, n. 246 sqq; *Bouquillon,* Theol. mor. n. 298).

penetravit; si vero aliquis non penetraverit eas, viderit ipse. Audi *Caietanum* in Summa s. v. „Opinio“: „Non propterea aliquid opinione tenetur, quia diversi doctores contraria sentiunt; quia cum huiusmodi contrarietate stat, quod una pars sit ratione sufficiente ad moralem certitudinem fulta; et iam non est opinio apud capientes rationem.“ Ergo solida probabilitate meo iudicio ea sententia minime utitur. — Esse autem argumenta adversariorun positiva et ex auctoritate petita infirma modo vidimus. Nihil enim solidum in iis detegere licuit. Argumenta vero ex ratione petita etiam sunt insolida. Percurramus singula.

Dicunt 1° probabilem sententiam probabiliore elidi. Ostensum est supra id in unico eventu contingere (cf. n. 199 sq). — *Dicunt 2°:* Quod est probabilius, est moraliter certum. Id quando asseritur simpliciter, est manifesto falsum; quoties vero probabilitas tam excedens est, ut oppositam sententiam a probabilitate deiciat, est quidem verum, et ipsum fatentur omnes; sed tunc ad sententiam probabilem impugnandam ineptum est. Nam sic iam nulla superest opposita sententia probabilis. — *Dicunt 3io*, id, quod est probabilius, esse vicinius veritati. Id plane incertum est, et ideo hoc argumentum imponere certam obligationem non potest (v. supra n. 196). — *Dicunt 4°:* Summam, quam possumus, debemus adhibere diligentiam, ne peccemus. Id autem non facimus, si probabilia dumtaxat sectamur. — *Respondetur:* Si vere probabilibus sententiis omne periculum peccati formalis tollitur, ut reapse tollitur, nihil secundum ea operando formaliter et proprie peccamus (cf. n. 247). Ceterum si id, quod asseritur, verum esset, extremus rigorismus, quem damnavit Ecclesia, esset sectandus. — *Dicunt 5°:* Veritas non potest esse ibi, ubi sunt pauciores vel leviores, ut videtur, rationes. Est reapse idem argumentum ac tertium. — *Dicunt 6°:* Ubi rationes probabiles pro sententia probabili et contra eam sunt in aequilibrio, est tantum electio inter libertatem humanam et auctoritatem Dei. Haec autem procul dubio est praeferenda. — *Respondetur: Distinguo*

maiorem: Si eiusmodi probabilitas apta esset ad certo ostendendum, divinam auctoritatem imponere obiecto necessitatem obligationis, *concedo;* et revera sic tantummodo esset electio inter libertatem humanam et auctoritatem divinam; secus, *nego.* Est autem huiusmodi probabilitas inepta ad hoc praestandum ex argumentis supra allatis. — *Dicunt 7°:* Oportet nos agere semper secundum prudentiam. Atqui qui operatur probabile, relicta sententia probabiliore, non agit prudenter. — *Respondetur: Maior conceditur; minor negatur.* Nam operantes probabile prudenter agimus; licet fortasse ageretur prudentius, si id, quod probabilius est, sequeremur (cf. n. 188). — *Dicunt 8°:* Ne peccemus, requiritur certum iudicium, concretae operationi, quae exercenda est, non inesse periculum peccati. Atqui huiusmodi periculum adest semper, quando sequimur probabile. Ergo.... — *Respondetur: Maior conceditur; distinguitur minor:* Huiusmodi periculum adest semper, quando id, quod est probabile, directe ut tale amplectimur et operando exsequimur, *concedo;* sed attende, etiam tunc idem periculum adesse, quando directe probabilius sequimur. Adest etiam huiusmodi periculum, quando in obiectum directe probabile reflectentes videmus, esse utramque contradictionis eius partem vere probabilem adeoque ineptam ad imponendam nobis obligationem, *nego* (cf. n. 247).

285. *Hinc nihil mirum, plurimos ex omni ordine et conditione theologos statuere nostram sententiam ut omnino certam.* Vide apud *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 342; apud *Terillum,* De consc. q. 22 per totam[1]; cf. etiam *Lehmkuhl,* Theol. mor. n. 94 sq, apud quos *ingens plane numerus gravissimorum theologorum pro hac sententia laudatur.*

286. *Opponunt 2°:* Nemo prudens vitam corporis ita negligit, ut audeat uti cibo aut pharmaco solum probabiliter sano. Quare ne exponat se probabili aut probabiliori periculo mortis, eligit aliud certo innoxium et salutiferum ferculum. Ergo

[1] Hic tamen facilius sibi plures theologos vindicat.

idem in quaestionibus, quae attingunt animi salutem, multo magis faciendum est. Ita *Aguirre* l. c. n. 24. — *Respondetur: Distinguo antecedens:* Id propterea facit, quia agitur de re materiali, quae subiecta est et manet, quidquid opinamur, legibus physicis; scil. agitur de conservanda vel recuperanda corporis valetudine, ad quam nihil iuvat praelucens dictamen rationis, quando in medio eligendo erratur; *concedo antecedens;* idem faciendum est etiam, quando agitur de imponenda quadam obligatione, ubi praelucens dictamen rationis plurimum facit, *nego* (vide supra dicta n. 226). Ergo paritas utrius casus nulla est.

287. *Opponunt 3^io:* Laxum est et irrationale, quando ambae partes contradictionis probabilibus rationibus fulciuntur, eam mente amplecti, pro qua infirmiores seu pauciores sunt rationes, alteram vero tamquam falsam abicere. Atqui ita agunt probabilistae. Ergo. . . . — *Respondetur:* Nihil irrationale fieri, quando sententiam rectae rationi consentaneam ut prudentem accipimus eamque ut talem operando sequimur; nec agimus imprudenter et laxe, quando attendentes veram probabilitatem utriusque partis contradictionis pronuntiamus, neutras rationes obiectum certo attingere atque adeo nec ei posse ullam necessitatem atque obligationem relate ad nostram liberam voluntatem vinciendam imponere. Haec autem potissima argumenta fuere, quibus supra licitum usum probabilis sententiae demonstravimus. Ergo non abicimus ullam neque infirmiorem neque firmiorem rationem, sed utramque ut vere probabilem agnoscentes dicimus, nos posse causa ita stante operando utramlibet sententiam libere sequi[1]. Licet etiam, maiorem hoc modo distinguere: Hoc verum est, quando agitur de formanda speculativa de re sententia, seu in ordine cognitionis, *concedo maiorem;* hoc etiam verum est, quando agitur causa

[1] Aliquos tamen probabilistas de amplectenda probabili sententia non semper rationi satis consentanee locutos esse, concedimus (cf. v. g. *Sanchez* l. 1 Decalog. c. 9, n. 18; *Vasquez* 1, 2, disp. 62, c. 5, n. 22 etc.).

sic stante de operatione, *nego maiorem.* Nam operari licet, quoties est nulla contrarii obligatio; haec autem hic non adest (cf. *Noldin,* De principiis n. 207 in fine).

288. *Obiciunt 4°:* Inconstantiae et laxitatis est, non insistere iisdem principiis ad libertatem restringendam et extendendam. Iam vero id faciunt probabilistae. Nam utuntur quidem axiomate: „Melior est conditio possidentis", ut extendant libertatem, neque tamen ut legem contra libertatem vindicent. Ergo. . . . — *Respondeo: Distinguo maiorem:* Inconstantiae et laxitatis esset non uti iisdem principiis in libertate extendenda et restringenda, si conditio libertatis et legis esset omnino eadem, *concedo maiorem;* si sunt valde diversae, *nego maiorem. Contradistinguo minorem:* Ita faciunt, quoniam vident, legis et libertatis conditiones diversas esse, *concedo minorem;* facerent etiam, si id nequaquam viderent, *nego minorem.* Negatur igitur consequens. Est igitur nulla inconstantia et laxitas non iisdem uti principiis, quando agitur de libertate, et quando agitur de lege. Nam in restringenda libertate libertas, ut supra n. 234 et 252 diximus, se habet ut rea, lex vero ut actor. Est autem principium iuris: „Actore non probante, qui convenitur, etsi nihil praestiterit, obtinebit" (l. 2, tit. 12, c. 2). Lex igitur suum petitum debet omnino demonstrare, ut aliquid obtineat. Ergo oportet, lex certa sit aut quasi certa, i. e. probabilissima, ut libertas ligetur; si est incerta, libertas manet integra. Quare recte quidem axioma „Melior est conditio possidentis" applicatur libertati, quae loco rei est, neque tamen legi, quae actor est; haec plenam debet probationem afferre, ut praevaleat. Unde quando lex eo momento, quo ligare debet, propter probabilem suam cessationem iam est dubia, nihil potest ligare (cf. ceteroquin supra n. 232).

289. *Opponunt 5°:* Probabilistae necessario sibi contradicunt. Docent enim (vide supra n. 242), in mediis ad salutem necessariis necesse esse sequamur tutiora. Sed en! legem observare naturae est medium ad salutem necessarium, et nihilominus permittunt vel in ipsa lege naturae sequi probabilismum. —

Respondeo: Nego assertum. Ad probationem, concessa maiore, distinguo minorem: Legem naturae observare est medium ad salutem necessarium, quando et quoties particularis quaedam lex naturae etiam debite inquirentibus non innotescit, *nego omnino minorem;* huiusmodi enim particularis lex certissime non est *de se et natura sua medium ad salutem necessarium.* Observatio legis naturae est aliquid necessarium, *subdistinguo minorem:* ut removens prohibens, concedo; quasi sit de se *verum salutis medium,* nego minorem. Nam tale potest tantum esse aliquid stricte supernaturale, quale de se et natura sua non est observatio legis naturalis. Ceterum probabilistae, quoniam requirunt et postulant, ut omnia impedimenta salutis removeantur, minime permittunt leges divinas naturales negligi, sed omnino exigunt, ut in eas data occasione, exsistantne, serio inquiramus et, si eas reapse exsistere cognoscimus, eas exsequamur. Tantummodo leges non innotescentes dicunt non esse observatu necessarias. Et hoc merito.

290. *Obiciunt 6°:* Ut operando sequamur licite sententiam probabilem, oportet nos ei prius directe assentiri. Nam necesse est, praeluceat *mihi* dictamen conscientiae, ut agam. Minus autem probabili sententiae directe assentiri non possumus. Etenim quomodo possum id affirmare ut verum, quod potius mihi apparet falsum? — *Respondetur: Nego maiorem.* Sufficit enim, sententiam ex utraque parte contradictionis probabilem esse, me vere et certo cognoscere; eo ipso enim video, veram obligationem circa obiectum numquam ita enasci posse (cf. n. 247). Ceterum minor est etiam satis incerta. Negant ipsam inter alios *Cardenas,* Crisis P. 1, disp. 15, n. 303 sqq; *Lessius,* De iust. et iure l. 2, c. 29, dub. 5, n. 37 sq; *Terill.,* De consc. q. 8 et 9; *Illsung,* Theol. pract. disp. 1, n. 40; *Wirceburg.,* De act. hum. n. 236 et 276; *Rassler,* Norma recti n. 85 sqq; *Lacroix,* Theol. mor. l. 1, n. 415; *Bouquillon,* Theol. mor. n. 263.

291. *Opponunt 7°:* Quod est probabilius illicitum, non potest fieri certo licitum. Ergo. . . . — *Respondeo: Distinguo ante-*

cedens: Non potest id, quod est probabilius illicitum, fieri licitum, quamdiu directe tantum et speculative ipsum contemplor, *concedo;* quando vero directam de obiecto cognitionem ut factum certum reflexioni subicio, *nego.* Nam quod iam pluries dictum est, rursus est repetendum: Speculativa et directa probabilitas utriusque partis contradictionis, si reflexioni subicitur, cognoscitur ut incapax ad producendam obligationem circa obiectum; immo exhibet obiectum ut ab omni obligatione liberum (cf. n. 247).

292. *Oppones 8°:* Famulus id faciens, quod est probabilius contra voluntatem domini sui, imprudenter operatur. Ergo homo faciens id, quod probabilius offendit Deum, valde imprudenter operetur, necesse est. — *Respondeo: Transeat antecedens; nego consequens et consequentiam.* Nam multo diversa est relatio et conditio famuli ad dominum suum temporalem et hominis ad Deum. Famulus conducitur, ut utilitati et commodo sui domini provideat ac serviat; Deus autem hominem non creavit ad suum commodum et suam utilitatem, sed ad gloriam suam. Ad gloriam autem Dei pertinet, ne homo in omnibus ad tutiora vel probabiliora obligetur, talis enim obligatio innumeris nos exponeret anxietatibus et periculis peccandi iugumque Domini intolerabile redderet. Immo Deus pro suavi sua providentia contentus est, ut, ubi certum nihil circa obligationem invenitur, sectemur dictamen rectae conscientiae, i. e. vere et solide probabilia. Id est unum, quod in hac re certum est. — Neque tamen licet vel ipsi domino temporali cum famulo rigorosius agere, ne famulus nimia sollicitudine nimioque labore fractus opprimatur. Quare si famulus reflexo iudicio cognoscat, dominum suum nolle, ut nimio suo incommodo utilitatem ipsius procuret, materiale quoddam domini detrimentum potest permittere. Vides, cur antecedens transmiserim.

Obiciunt 9°: Si licet omnem sententiam vere probabilem exsecutioni mandare, non est, cur studium theologiae ultra continuetur, neque est, cur Romani Pontifices varia de moribus

denuo statuant. Ergo.... Probatur antecedens. Nam quid tunc perfectior veritatis cognitio quaeritur aut iuvat, ut christianus populus perfectius legem Dei cognoscat et observet? Possident enim omnes iam regulam morum certam, cui merito acquiescant. — *Respondeo: Nego consequentiam antecedentis.* Nam etsi liceat probabilem sententiam interim exsequi, quamdiu directe vera et certa sententia inveniri a nobis non potest, tamen haec conditio per se neque homini optabilis est neque antecedenter intenta a Deo. Opera igitur danda est, ut antecedens intentio Dei de nobis inveniatur a nobis et impleatur. Haec enim una per se est hominis conditio optabilis (cf. *Terill.*, Reg. mor. q. 14, n. 56 sqq et q. 27, n. 9 sqq).

VI. Liceatne probabiles omnes promiscue sententias in eadem materia vel in eadem actione vel in eodem actionum tractu simul usurpare?

293. Respondendum, id facere minime semper licere. Sic manifesto non licet usurpare duas sententias in eodem actionum tractu, quae singulae probabiles quidem sunt, sed quarum probabilis liceitas nititur variis suppositionibus, quae simul verae esse non possunt. Casus accidit in diversis horologiis. Sit horologium A, quod communiter horas recte indicat, sonet modo horam duodecimam noctis feriae sextae; sit etiam alterum horologium eiusdem communiter rectitudinis; sed hodie non sonabit horam duodecimam nisi post quadrantam. Utrumvis horologium per se fundat probabilitatem. Nihilominus non possum comedere carnes, quia abstinentiae dies iam praeterierit ex probabili sententia, quam formare possum ex horologio A, *et simul* apud me statuere, quod vero attinet communionem sabbatho faciendam, sequor probabilitatem, quam praebet horologium B, secundum quod adhuc integer quadrans superest, donec sabbathum incipiat, atque adeo ex hac norma observo ieiunium naturale a media praecedentis noctis secundum indicationem horologii B. Ratio, cur hoc non liceat, est, quia praeteriisse feriam sextam et

nondum praeteriisse simul verum esse non potest; atque adeo sic agendo certum est, me violare unum ex duobus praeceptis, aut praeceptum abstinentiae feriae sextae aut praeceptum de non accipienda sancta communione nisi observato ieiunio naturali sabbato. — Similiter horologium A sonet undecimam noctis cum dimidia. Anselmus presbyter et vehementer studiis addictus apud se statuit: Sequar horologium B, quod modo sonuit undecimam dicamque vesperas et completorium post dimidiam horam; et ita continuat studia sua. Interea horologium A sonat et indicat mediam noctem, et nunc sequens hoc horologium se absolvit a recitando breviario, quia onus diei cum die iam praeterierit. Numquid recte? Sine dubio male. Nam differendo recitationem breviarii post dimidiam horam obligationem in se suscepit sequendi alterum horologium, secus non potuisset horas sine peccato mortali diutius differre. Habet enim Ecclesia ius certum ad obligandum te, ut totum officium cotidie recites, et revera te ita obligavit; defraudas igitur ita agendo legem certo officio, quod sine dubio praestare debuisti. Similis est casus, quando certum est, aliquem debere ieiunare probabiliter hodie, sed etiam probabile est, cras demum esse ieiunandum. Hodie non ieiunat, sed differt in crastinum. Cras non ieiunat, quia dies ieiunii iam probabiliter praeteriit. Huiusmodi sine dubio ipse sibi illudit. Ex his et similibus eventibus *Lugo,* De Euchar. disp. 14, n. 49 hanc regulam abstraxit: Numquam licet mutare sententiam semel assumptam, si hoc foret certo in praeiudicium [certae] alicuius legis, quae violaretur per talem mutationem; quia singulae leges ius habent certum, ne fraudentur suo fine. Hinc eligens unam partem (probabilem) se obligat ad illam non mutandam in praeiudicium alterius; quod nisi teneas, haberes in doctrina de probabilitate licite sequenda medium certissimum illudendi quasdam leges omnino certas. — Huc reducitur etiam ille casus, quem communiter afferunt: Alexander accepit haereditatem ex testamento informi, quod in foro interno per se probabiliter valet; legata autem solvere recusat,

quia probabiliter sit invalidum. Hoc omnino male. Nam ad misso testamenti valore et ita accipiens haereditatem, eam accepit cum omnibus oneribus ipsi inhaerentibus, atque adeo cum obligatione solvendi legata; quare legatarius ius ad ea accipienda habet[1] (cf. praeter *Lugonem* l. c. n. 45 sqq; *Esparzam,* De act. hum. q. 23, a. 1 ad 3 et a. 4; *Reuter,* Theol. mor. n. 110 „Si dices"; *Lacroix* l. c. n. 370 sqq).

VII. Liceatne agenti, qui habet propriam opinionem, quam ipse veram esse putat, operando sequi alienam, quam ipse directe falsam esse censet.

294. Priusquam respondeam, adnoto, plures habere hanc quaestionem gravissimam. Neque tamen est. Nam si ob iudicium propter rationes intrinsecas libere factum, actionem quandam non licere, iam non possem eam actionem, ita stante causa, ullo modo licite amplius exsequi: possum tamen, quoniam assensus et iudicium, ut supponitur, liberum est, ipsum omni momento deponere vel suspendere et sic meras probabilitates utriusque partis contradictionis nactus et ante oculos habens possum utramvis partem libere amplecti et exsequi, prout id supra ostensum et explicatum est (cf. supra n. 247; cf. etiam *Terill.,* De consc. q. 30, n. 1). — *Respondeo* iam ad quaestionem. Hic distinguendae sunt diversae conditiones pro modo, quo propriam sententiam aliquis veram esse censet. 1°. Si ita ipsi de veritate suae sententiae persuasum est, ut reiciat oppositam ut improbabilem, immo ut certo falsam, palam est habere ipsum suam sententiam pro unice probabili, immo saepe pro omnino certa. Consequens est, ut debeat eam operando sequi. Quod idem ex eadem ratione dicendum, quoties sibi de probabilitate oppositae sententiae aut nullum format

[1] Probabile igitur est seorsum, testamentum non sollemne valere, et probabile est seorsum, ipsum non valere; nullo vero modo probabilis est simultas obiectiva validitatis et invaliditatis eiusmodi testamenti. Si igitur ambas probabilitates eodem actu amplecti et usurpare vis, certum est, te contra unam legem obiectivam offendere.

iudicium aut formare etiam non potest, quamvis hoc posterius, ubi graves doctores probabilitatem oppositae sententiae testantur, difficile et admodum raro tantum evenire potest. — Potest tamen 2° aliquis sententiam aliquam ita affirmare et veram censere, ut nihilominus sibi conscius sit, formaliter aut aequivalenter, etiam oppositae sententiae assistere rationes probabiles et validas, idque etiam comparative et relative, gravesque etiam auctoritates; atque adeo, ut, etsi suae sententiae utpote sibi probabiliori assentiatur ut verae, tamen iure formidet, ne altera sit reapse vera. Hic igitur suae sententiae ut verae assentiens, eius tamen veritatem non invictam, sed incertam et probabilem tantum esse agnoscit. Ergo nequit certo affirmare, eam obiectum suum omnino certo attingere, eo minus, quoniam videt, etiam contradictoriae parti graves et solidas, etiam comparative, rationes vel auctoritates assistere. Nihil igitur impedit, quominus sibi dicat, obiectum ab omni obligatione liberum manere, quia plane incertum est, num suae rationes an alienae in ipsum cadant. Quare ipsum a fortiore etiam ab omni necessitatis impositione liberum censendum est, ut iam pluries est dictum. Ergo etiam iure sibi dicet, licere sibi, quidquid theoretice vel speculative ipse censet, utramvis partem contradictionis sequi, dummodo obiectum ob honestatem, quae ei probabiliter convenit, amplectatur; est enim obiectum ab omni vera obligatione liberum.

295. *Confirmatur 1°:* Minime repugnat evenire religioso, ut superior ipsum aliquid agere iubeat, quod ipse iudicat non licere. Nihilominus potest tamen, immo debet ipsum operari, superiore in suo imperio perseverante, quoties iudicat vel potest saltem rationabiliter iudicare, contrariam sententiam esse probabilem, prout fere accidet. Ergo alienam contra propriam, quam theoretice veram esse putamus, sententiam sequi licet (cf. n. 256).

Confirmatur 2°: Si iudicem hominem e longinquo a me visum Titium esse, alii vero, qui mecum una sunt, censent, Titium eum non esse, certo possum prudenter aliorum sententiae ut probabili assentiri. Ergo in quaestionibus subobscuris, quales

sunt omnes, quae probabiliter tantum solvuntur, alienae sententiae prudenter ut probabili adhaerere possum.

Confirmatur 3°: Passim apud gravissimos auctores invenimus, ipsos unam sententiam tradere ut propriam et veram, nihilominus oppositam proponere ut probabilem et *in praxi tutam.* Ergo ipsi quoque in sententia sunt, licere in praxi eam sequi sententiam, quam speculative et theoretice falsam esse censent.

Quae cum ita sint, nihil mirum, plurimos et gravissimos auctores professos esse eam sententiam, quam supra tradidimus, quamvis aliqui aliter censeant (vide *Tanner* II, disp. 2, n. 6, n. 33; *Azor* l. 2, c. 67, § Septimo; *Illsung* disp. 1, a. 51 sqq; *Terill.,* De consc. q. 30, n. 2 sqq: *Sanchez,* Decal. l. 1, c. 9, n. 15; *Lessium,* In 1, 2, q. 19, n. 46; *Lacroix* l. 1, n. 377, qui alios multos pro hac sententia laudat).

296. Quando vero *Esparza* in Appendice n. 140 et 143 contra hanc sententiam opponit, fieri non posse, ut aliquis in eliciendo actu voluntatis dirigatur cognitione et opinione, quam ipse actualiter non habet, dirigatur vero aliena cognitione, cuius ipse contrariam habet, *respondetur,* verum id esse, quoties ab eius intellectu abest cognitio eo modo, quo ab ipsa dirigitur; falsum est, si exigitur, ut alio etiam modo, quam ab ipsa dirigitur, cognitio in eius intellectu praeexsistat. Scilicet operans secundum opinionem alienam non dirigitur ea (aliena) opinione et cognitione formaliter, sed tantum obiective, quatenus nimirum cognoscit, alienam auctoritatem ostendere et vere probabile reddere obiectum ob motiva, in quibus aliena auctoritas fundatur, quidquid est de sua speculativa opinione, alienam sententiam esse falsam. Hac autem cognitione, quae iam sua est, formatus et ductus format sibi iudicium plane certum, licere sibi etiam hanc alienam sententiam ut vere probabilem amplecti et sequi, licet suam et propriam per se probabiliorem et speculative affirmandam esse, censeat (cf. *Illsung* tr. 1, disp. 1, n. 54).

297. *Oppones 2°: S. Thomas,* Quodlib. 3, a. 10 haec habet: „In iis, quae pertinent ad fidem et bonos mores, nemo ex-

cusatur ex alterius asserto." Ergo non possumus in quaestionibus moralibus licite sequi alienam auctoritatem. — *Respondetur,* verba et sententiam S. Thomae plane alia esse, quam modo allata sunt. Verba eius sunt haec: „In iis vero, quae pertinent ad fidem et bonos mores, nullus excusatur, si sequatur *erroneam* opinionem alicuius magistri; in talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opiniones Arii, Nestorii et aliorum haeresiarcharum. . . . *Qui ergo assentit opinioni alicuius magistri contra manifestum Scripturae testimonium sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem,* non potest a vitio erroris excusari." Patet hic nullatenus agi de aliena sententia probabili, sed de aliena sententia prorsus improbabili et certo falsa, verbo: de sententia haeretica, quam S. Thomas erroneam appellat. Nos autem quaerimus non: Liceatne sequi sententias manifesto falsas et haereticas, quod inepte sane quaereretur; sed liceatne sequi alienas, quas quidem falsas esse, ipsi censemus; quas tamen esse vere et solide probabiles, simul cognoscimus?

298. *Oppones 3^io:* Omnis operans secundum aliquam opinionem debet, ut licite agat, iudicare, obiectum eius esse licitum. Iam vero omnis, qui iudicat, opinionem alienam liceitatis obiecti esse falsam, non potest iudicare, obiectum eius vere esse licitum. Ergo secundum ipsam non potest licite operari. — *Respondetur: Concedo maiorem. Minorem distinguo:* Is non potest iudicare, i. e. simul *directe* et absolute affirmare, eius obiectum licitum esse, *concedo minorem;* is non potest iudicare, i. e. non potest simul affirmare, eius obiectum *posse* nihilominus a parte rei esse vere licitum, utut ipse iudicat, ipsum a parte rei esse illicitum, *nego minorem.* Ad consequens: Non potest secundum ipsam licite operari, vi directae apprehensionis et iudicii, *concedo consequens;* vi reflexionis, quatenus videt, liberum esse obiectum ab omni vera obligatione, quoties substat duabus inter se contradictoriis probabilitatibus, etsi una altera sit probabilior, *nego consequens.*

VIII. Romana Sedes num suam contra probabilismum aversionem manifestaverit.

299. Sunt non pauci, qui contendunt, S. Sedem suam contra probabilismum aversionem manifesto declarasse. Ne hac assertione gravis error concipiatur, oportet nos ante omnia scire, quomodo S. Sedes sua circa aliquam doctrinam sensa prodat. Certum est, non omnem alicuius Pontificis subiectivam opinionem vel sententiam, etiam manifestatam, S. Sedi posse adscribi. Homo enim est Summus Pontifex et manet; quare etiam multa ut merus homo agit, sentit, opinatur, dicit. Id inter alios clare eloquitur Benedictus XIV in praefatione operis sui „De synodo dioecesana", ubi haec Melchioris Cani verba l. 6 „De locis theologicis" approbat et sua facit: „Cum edunt libros", inquit Canus, „de re qualibet Romani Pontifices, sententiam suam ut homines alii docti exprimunt, non tamquam Ecclesiae iudices de fide pronuntiant." Ergo non privatae omnes opiniones singulorum Romanorum Pontificum, etiam exterius manifestatae, auctoritatem omnibus communem excedunt, sed tantum authenticae et auctoritativae, i. e. eae, quas ipsi ut iudices fidei, doctores et caput Ecclesiae edunt; hae solae maiorem et specialem auctoritatem sibi vindicant. Supremam tamen et irreformabilem auctoritatem eae solae Summi Pontificis sententiae habent, quas Pontifex ex cathedra loquens definit. Quid autem hoc sit e cathedra loqui, Vaticanum Concilium sess. 4, c. 4 his verbis explicat, ut Romanus Pontifex tum loquatur ex cathedra, *„cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens,* pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus *ab universa Ecclesia tenendam definit"*. Definit autem, non quando „absque credendi obligatione sententia profertur, puta adhortandi causa, aut [quando] ut Pontifices opinionem significant et quid sibi probabilius aut certius vindeatur; sed necessaria est intentio Pontificis decidendi veritatem; quod est apud S. Thomam ‚finaliter determinare' ea, quae fide (divina aut ecclesiastica) teneantur, seu *ut sic* eius sententia a tota Ecclesia firmiter

teneatur" (*S. Thomas* 2, 2, q. 1, a. 10. *De Groot,* Summa apologetica de Ecclesia Christi). Nemo autem est, qui vel opinatur, ab ullo umquam Pontifice Romano definitionem irreformabilem contra probabilismum editam esse. Id patet. Nam ubi ipse Pontifex ut omnium christianorum pastor et doctor universae Ecclesiae quidquam circa probabilismum tenendum umquam proposuit? — Num quidquam alio modo, per Congregationes v. g., auctoritative Pontifices pronuntiarunt? Nec hoc videtur dici posse. Quid igitur de illo decreto Innocentii XI censendum, quod datum die 26 Iunii 1680 vix editum latuit et vix non in totalem oblivionem abiit? Annis quidem 1693 et 1710 rursus apparuit, sed vix ad aliud quidquam, nisi ut dein essentialiter vitiatum totam percurreret Europam, donec tandem post duo integra saecula anno 1902 ex Archivo S. Inquisitionis verum et authenticum resuscitatum prodiret[1]. Quid igitur hoc decretum, in quo adversarii toti sunt laudando, revera continet? Dat quibusdam hominibus, scil. membris Societatis Iesu, praesertim vero Thyrso Gonzalez, plenissimam libertatem defendendi etiam probabiliorismum, manente interim iisdem eadem plena libertate defendendi etiam probabilismum: „prout sibi libuerit". Hoc totum est, quod decreto continetur. Ubi hic est praecipuus quidam favor, qui probabiliori sententiae exhibeatur? Supponit quidem decretum, fuisse aliquando in Societate Iesu interdictum, ne pro probabiliorismo scriberetur. Id falsum erat, nihilominus causa fuit, cur haec licentia Iesuitis quasi restitueretur. Falso igitur supposita quaedam P. Thyrso Gonzalez et similibus (v. g. P. Michaeli de Elizalde) in defendendo probabiliorismo facta iniuria per superiores Societatis Iesu hoc decretum progenuit. Ita si ipsum accipis, intelliges tenorem decreti; cur scil. P. Thyrso animus addatur ad defendendam viriliter suam sententiam,

[1] Fata huius decreti paucis delineare opportunum esse censemus, ut percipiatur, multum abfuisse, ut Sancta Inquisitio id magni vel maximi faceret; quod tamen fieri oportuisset, si tantum ei momenti inesset, quantum adversarii arbitrantur.

curque ei favor Summi Pontificis in hac causa promittatur. Nam Innocentium XI ipsum probabiliorismo personaliter valde addictum fuisse, indubium factum est. Quare non potuit ipsi non iucundissime accidere, ut P. Thyrsus probabiliorismum defendendum in se susciperet. Voluit igitur, ut utraque causa, probabiliorismus et probabilismus, pari in defensione libertate abhinc uteretur. Evidens autem est, tali decreto de doctrina statutum esse nihil, sed fuisse totum disciplinare. Quare neque quidquam ex eo pro veritate probabiliorismi contra probabilismum colligi potest. Liquet etiam ineptas esse querelas, quas probabilioristae contra probabilistas attollunt, quasi hi causam defendant, quam sese aversari S. Sedes hoc decreto manifesto declaraverit. Homo, qui tunc S. Sedem occupabat, favorem probabiliorismo exhibebat; sed quando agebat ut Pontifex et ut Pontifex aliquid statuebat, erat unum hoc, ut ambae partes eadem libertate uterentur in defendenda utravis parte. Sed quid hoc pro probabiliorismo?

300. Iam accipe hoc decretum, prouti nuper die 19 Aprilis 1902 ex Archivo S. Inquisitionis erutum et publici iuris factum est:

Feria 4ª die 26 Iunii 1680.

„Facta relatione per Patrem Lauream contentorum in literis Patris Thyrsi Gonzalez Soc. Iesu SS^mo^ D. N. directis, Eminentissimi DD. dixerunt, quod scribatur per Secretarium Status Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut significet dicto Patri Thyrso, quod Sanctitas Sua, benigne acceptis ac non sine laude perlectis eius literis, mandavit, ut ipse libere et intrepide praedicet, doceat et calamo defendat opinionem magis probabilem nec non viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et iudicata licitum sit sequi minus probabilem, eumque certum faciat, quod, quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit, gratum erit Sanctitati Suae[1].

[1] P. *Ter Haar,* Das Dekret des Papstes Inonzenz' XI., vertit p. 126 sq haec verba sic, ut vere iubeatur P. Gonzalez probabiliorismum defendere:

„Iniungatur Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et iudicata licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam *scribat* omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam; eisque iubeat, ut mandato Sanctitate Suae omnino se submittant."

„Die 8 Iulii 1680. Renuntiato praedicto ordine Sanctitatis Suae Patri Generali Societatis Iesu per Assessorem, respondit, se in omnibus quanto citius pariturum, licet nec per ipsum nec per suos Praedecessores fuerit umquam interdictum scribere pro opinione magis probabili eamque docere."

Testor ego, infrascriptus S. Officii Notarius, suprascriptum exemplar decreti, editi feria 4ª die 26 Iunii 1680, fuisse depromptum ex actis originalibus eiusdem S. Congregationis eisque, ut constat ex collatione de verbo ad verbum facta, ad amussim concordare.

Datum Romae ex aedibus S. O., die 21 Aprilis 1902.

Can. Mancini,
S. R. et U. I. Not.

„Dem Jesuiten Gonzalez wurde der Befehl erteilt, die probabilior zu verteidigen und die minus probabilis sic cognita et iudicata zu bekämpfen." Estne hic reapse verus sensus mandati? Fuissetne P. Gonzalez Pontifici inoboediens, nisi probabiliorismum deinceps defendisset? Mihi sensus omnino alius videtur esse. Scil. Pontifex mandavit, „ut ipse *libere et intrepide* praedicet, doceat, calamo defendat opinionem magis probabilem" etc. Aliis verbis: mandavit Pontifex, ut Patri Gonzalez prorsus libera iam potestas sit omni modo defendendi sententiam probabiliorem, quod supponebatur ipsi hucusque interdictum fuisse; ita, ut ipse quidem non sit inoboediens, si id non faciat, alius vero nemo ius habeat eum impediendi, si faciat. Quam sententiam nisi sic accipias, erit ineptum id, quod additur: „eumque certum faciat, quod, quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit, gratum erit Sanctitati Suae." Nam Pontifici placere, si a se vere iussa fecerit, non erat, cur adderetur. Haec falsa decreti intelligentia subest etiam iis, quae P. Ter Haar postea dicit et concludit.

301. Introducta est haec „Publica decreti S. Officii de probabilismo communicatio“ expressa declaratione assessoris S. Officii Ioannis Bapt. Lugari, data die 19 Aprilis 1902, „hunc esse *unicum textum verum,* atque ideo omnes alios, qui quomodocumque et quo demum cumque tempore publicati fuerint, pro apocryphis habendos esse. Et si quae forsitan unus ex illis signa etiam indubia authentiae prae se ferat, hoc mero errore accidisse existimandum est“ [1].

302. Sed concludamus. *Unum hoc certo notissimum,* sub ipsis oculis Romani Pontificis in celeberrima Universitate Gregoriana, sicut in plurimis scholis theologicis, ex plurimis iam annis probabilismum moderatum constanter tradi ac defendi. Opus autem esset uno verbo Sanctissimi et dispareret; hoc tamen condemnationis verbum numquam locutus est Pontifex.

---

[1] Nihil igitur est, cur moremur falsa lectione, quae olim circumferebatur, quasi scriptum in decreto fuerit: „Iniungatur Patri Generali Societatis Jesu de ordine Suae Sanctitatis, ne ullo modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione minus probabili . . .“; quae lectio adversariis maxime placebat (cf. *Concina,* Apparatus II, l. 3, diss. 1, c. 6; *Döllinger-Reusch,* Moralstreitigkeiten 127 sq; *Mandonnet* O. Pr., Revue Thomiste IX 525). — Sed esto, ita fuisset scriptum; ne sic quidem multum obesse probabilismo potuisset ob particularem plane indolem decreti, prout testis est S. Alphonsus in „Vindiciis Alphonsianis“ 59; cf. *Lehmkuhl,* Probabilismus vindicatus 99 sq. — Ceterum ipse iam Gonzalez habet decretum in suo „Libello supplici“ ad Clementem XI eadem, qua nunc publicatum est forma, nulla alicuius momenti differentia exsistente (cf. apud *Concina* l. c. c. 8, n. 6; *Lehmkuhl* l. c. 81).

APPENDIX.

DE AUCTORITATE ET DOCTRINA S. ALPHONSI.

303. I. *Auctoritas S. Alphonsi* in rebus moralibus fundatur quidem in interioribus eius mentis dotibus: sano iudicio, non communi mentis acie, multa experientia, prudentia et circumspectione insigni, eruditione maxima omnibusque iis virtutibus, quae sanctum efficiunt. Quare nihil mirum, eius in theologia morali sententiam apud cordatos omnes plurimum valere. Accedit vero approbatio Ecclesiae multa et varia. Prodiit 1° decretum super revisione et approbatione operum Venerab. Alphonsi (in causa beatificationis die 18 Maii 1803). Ibi testatur SS. Rituum Congregatio, in iis nihil censura dignum fuisse repertum. Eodem pertinet 2° responsum S. Poenitentiariae ad dubia ab Eminentissimo Card. de Rohan-Chabot, archiepiscopo Vesuntino, ei proposita die 5 Iulii 1831. Quaerebatur 1°: „Utrum sacrae theologiae professor opiniones, quas in sua theologia profitetur B. Alphonsus a Ligorio, tuto sequi possit et profiteri. 2°: An sit inquietandus confessarius, qui omnes B. Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi S. poenitentiae tribunalis hac sola ratione, quod a Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit.

„Confessarius, de quo in dubio, non legit opera B. Doctoris nisi ad cognoscendum accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesve, quibus variae nituntur opiniones, sed existimat se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter iudicare queat sanam esse, tutam nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam.

„Ad 1^{um} quaesitum: Affirmative, quin tamen reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.

„Ad 2^um^ quaesitum: Negative, habita ratione S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis."

3^io^ in bulla canonizationis die 29 Maii 1839 haec exstant: „Illud vero imprimis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, eiusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit."

4°. Eodem conferunt ea, quae in Literis Apostolicis 7 Iulii 1871 habentur super confirmatione tituli Doctoris: „Plurimos libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive inter implexas theologorum tum laxiores tum rigidiores sententias ad tutam muniendam viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent. . . ."

Alias laudes, quas S. Doctori Roma impertita est, vide in Vindiciis Alphonsianis 13 sqq vel apud *Clement. Marc,* Institutiones Moral. Alphons. I 7 sqq.

304. His praemissis *consequitur, posse omnes et singulas sententias S. Alphonsi haberi ob solam eius auctoritatem vere et practice probabiles, nisi aliquid in particulari obstat;* ita tamen, ut nullus, qui alius auctoris vere et solide probabiles sententias sequitur, ob id iure reprehendatur.

Dicimus, S. Alphonsi sententias posse haberi vere et practice probabiles, ita ut sequi eas liceat; non dicimus, eas omnes veras esse. Neque umquam aliquid ab Ecclesia edictum est, quod ostendat, veras esse omnes, immo contrarium in nonnullis accidit, prouti mox videbimus. Nec declaratio Congregationis SS. Rituum, nihil censura dignum in operibus D. Doctoris esse repertum, id indicat; dicit enim tantum, nullam esse a S. Doctore suis operibus insertam sententiam, quae censura digna sit. Multa autem, quae censuram non merentur, sunt nihilominus falsa.

Deinde dicimus, licere sequi eas; non dicimus, licere aliis eas imponere. Nam si poenitens sequi vult sententiam a S. quidem Alphonsi diversam, ceteroquin vere et solide probabilem,

id ipsi a confessario neque prohiberi neque ei propterea denegare absolutionem minime licet.

305. Denique dicimus, licere eas sequi in genere, nisi aliquid in particulari obstat. Obstant vero plura: 1° reprobatio alicuius doctrinae ab Ecclesia aut prius aut postea facta[1]. Sic reprobata est sententia decreto S. Officii 10 Maii 1770, quam tradidit *S. Alphonsus,* De baptismo n. 156, catholicum posse esse patrium in baptismo, quem minister protestans administrat[2]. Item reprobata est doctrina, secundum quam episcopus regularis liber est a regula sui ordinis. Ita quidem *S. Alphonsus* l. 4, n. 2; sed contrarium constat ex resolutione S. Congr. Ep. et Reg. die 6 Maii 1864[3]. Reformata etiam est decreto S. Congr. Concilii die 20 Decembris 1905 doctrina S. Doctoris, secundum quam *videtur* requiri ad cotidianam communionem animus ab omni affectu peccati venialis saltem habitualiter alienus (cf. *S. Alphonsum,* De frequentia sacram. n. 151 sq). Reiecta est decreto S. Officii die 20 Februarii 1866 sententia, qua non denuntiandus dicitur confessarius, qui sollicitationi mulieris simpliciter consentit (*S. Alphonsus* l. 6, n. 481)[4]. — 2° obstant consuetudines in aliqua regione legitime introductae, v. g. in ieiunio. — 3ⁱᵒ obstant mutatae temporis conditiones, v. g. circa valorem pecuniae. 4° obstat nova lex, etiam civilis, quoties haec nihil statuit, quod extra ambitum potestatis eius situm est; 5° obstare etiam possunt factae fortasse certae demonstrationes de tradita aliqua particulari doctrina ut falsa. Nam id etiam fieri posse nihil absolute repugnat (cf. *Noldin* n. 228).

Contra hoc ultimum *obicies,* cum Vindiciis De auctoritate doctrinae moralis S. Alphonsi, neminem posse demonstrare falsitatem alicuius doctrinae S. Doctoris, quia declaratio Ecclesiae singulis dedit positivam et singularem approbationem (cf. Vindiciae De auctorit. etc. 9, n. 3). — *Respondeo:* Decla-

---

[1] Prius facta, quia nihil repugnat, talem reprobationem S. Alphonso non innotuisse (cf. Vindiciae, Appendix III, § 2, IV, 1).

[2] Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 72. [3] Cf. Vindiciae l. c.

[4] Cf. *Gaudé* ad hunc numerum.

ratio Ecclesiae effecit, ut singulae sententiae S. Doctoris *praesumendae sint vere probabiles,* donec contrarium efficiatur, *concedo;* plus, *nego.* Quando igitur discussione DD. iam communiter et moraliter certo constaret, rationes, quibus innititur, certa quaedam doctrina S. Alphonsi, esse revera infirmas et insolidas, communis praesumptio in casu cessaret.

306. II. Ad doctrinam quod attinet S. Alphonsi de probabilitate, certum est, ipsum sic edoctum a suis magistris initio vitae suae sacerdotalis fuisse probabilioristam, prout ipse fatetur in Theologiae moralis l. 1, n. 82 et alibi. Postea causa melius cognita et experientia doctus probabilismum professus est ipsumque per multos continenter annos, etiam pluribus scriptis editis, strenue defendit. Iam erat senex 66 annorum (1762), quando primum probabiliorismum, saltem apparenter, suscepit. Sunt, qui censeant, ipsum tunc, aequiprobabilismi professione, suam priorem omnino immutasse sententiam; ita ut id ipsum, quod docuerit prius, nunc negaverit, et aequiprobabilismum a vero et solido probabilismo revera differentem amplexus sit (Marc). Alii vero existimant, eum vix aliud quidquam quam modum loquendi immutasse respective correxisse. Hi tamen sunt in duplici, valde inter se diversa, differentia. Nam uni censent, eum vel eo ipso tempore, quo probabilismum strenue et, ut videtur, toto animo defendebat, nihilominus revera magis aequiprobabiliter sensisse, restrinxisse tamen tunc temporis semper sermonem, *quia iustam formam animi eloquendi nondum reperisset.* Ita *Haringer,* Vindiciae Alphonsianae c. 2, *Gaudé,* Theol. mor. S. Alphonsi, Praefatio auctoris p. XIX De morali systemate S. Alphonsi etc. n. 63 sqq; alii. Sed id creditu admodum difficile est. Praeiverant enim ei in aequiprobabilismo defendendo inter alios *Rassler, Ant. Mayr, Amort* etc. Alii igitur censent, moderatum quendam probabilismum semper eius fuisse et mansisse sententiam, at *ob varias rationes* ipsum postmodum praetulisse modum loquendi aequiprobabilem. Ita *Ballerini, Lehmkuhl, Bouquillon,* Fundam. theol. n. 310, cf. n. 311, *Noldin* et alii. Inter varias

rationes, ob quas modum loquendi immutaverit, tres eminent. Una affertur haec, quia ita magis caveatur abusus sententiae probabilis. Nimis enim ambigua videbatur esse S. Alphonso formula: Licet minus probabilem sententiam sequi in concursu probabilioris. Altera fuit, quia existimabat, hac via magis propulsari prohibitionem librorum suorum a quibusdam regnis Iesuitis tunc maxime infestis atque suppressionem congregationis religiosae a se fundatae. Tertiam demum efferunt hanc, quoniam iudicabat, hac se posse formula melius et efficacius defendere sententiam suam ab adversariorum impetu, i. e. tutioristarum et probabilioristarum. Quid nos dicimus?

307. III. *Respondemus:* Quod ad tempus attinet, quod ab anno 1741 usque ad annum 1762 vel circiter decurrebat, videtur S. Alphonsus verus fuisse probabilista. Id imprimis docent dissertationes, quas 1749 et 1755 „Pro moderato usu opinionis probabilis in concursu probabilioris" publici iuris fecit. Idem concludimus ex pluribus locis, quibus iterato Iesuitas ut veros in theologia morali magistros contra sectatores Concinae Dominicanosque recentiores, et aliis similibus encomiis celebrat. Fuerunt autem Iesuitae communiter probabilistae (cf. Epistolas l. 3, ep. 9 10 11 etc.). Immo seipsum probabilistam esse, libere profitetur, non probabilioristam aut rigoristam (ib. ep. 10). Idem recte inferes ex dissertatione S. Doctoris pro usu opinionis minus probabilis anni 1755, ubi n. 55 reputat palmare argumentum adversariorum, quasi maior probabilitas minorem elidat. „At recte", inquit, „respondent *auctores nostri* falsum esse, maiorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis, et probabilitas opposita ex diversis principiis, ut fere semper accidit in opinionum concursu, vim accipiat. *Tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur.*"

308. Addit *Lehmkuhl,* Theol. mor. n. 87, 3 his testimoniis aliud minime despiciendum et quod vel hodie in operibus S. Doctoris adhuc invenitur (cf. Theol. mor. S. Alphonsi, ed. *Gaudé,* I 456 initio [l. 3 De blasphemia n. 132], Epistola responsiva etc.). Ibi inter alia exstant haec: „*Ad hoc, ut dicatur, quod actio non sit peccatum grave, sufficit, ut vera probabilitas habeatur, quod tale non sit,* quemadmodum omnes fatentur. Intelligo illam, quae fundamento non tenui innititur, talem esse, ut tuto (iuxta sententiam communem *seposita quaestione de probabiliore et minus probabili*) possit teneri et doceri." Et paulo infra: „*Sed ut affirmetur absolute, aliquam actionem esse peccatum mortale, non sufficit opinio probabilis nec etiam probabilior; nam probabilior non excludit rationalem timorem errandi; unde non efficit, quod lex non remaneat dubia* et quod opposita non possit esse vera, si vere probabilis est." Tandem concludit: „Hinc *sapientissime* Benedictus XIV in suo opere De Synodo in plerisque capitibus nihil aliud episcopos monet, *ne umquam peccati gravis eas damnent opiniones, quas uti probabiles DD. utriusque partis*[1] *defendunt.*" In fine epistolae post insertam aliquam epistolam Reverendissimi Abbatis Bartholomaei de Marco adiungit: „Subiungo pauca. Praefatus Abbas Reverendissimus, ut scribit, videtur supponere a me opinionem meam dumtaxat ut probabilem haberi. Hoc a me dictum non est; dixi tantum, quod *ad hoc, ut affirmari possit culpa gravi aliquam actionem carere, sufficiens sit, quod probabile sit non esse gravem.*" Et haec quidem sufficiant de priore periodo deque defensa tunc ab eo probabili sententia (cf. etiam *Koch* in der Theol. Quartalschrift 1897, 110 sqq).

309. IV. Ab anno 1762 et deinceps, maxime ab anno 1768, maiore semper studio diversitatem suae sententiae a Iesuitarum urget. Constat id ex plurimis epistolis et scriptis

---

[1] Intellige: probabiliter affirmantes aliquid licere, aut id licere tantum probabiliter negantes (cf. *Bened. XIV,* De synodo l. 7, c. 13, n. 9; l. 8, c. 13, n. 9).

editis ita, ut negari nullo modo possit. Atque ut antea probabilistam se esse professus est, ita postea non semel probabilioristam seipsum nuncupavit (cf. v. g. ep. 217, 315 etc.). Quo igitur sensu pobabiliorista fuit? Maxime id videtur elucere ex sententia, quae modo etiam in octava et nona (ultima vitae eius) editione Theologiae mor. l. 1, n. 56 continetur, si nimirum conferatur cum iis, quae in sexta et septima editione continuo addebantur: „Dico igitur 1°", inquit, „quod, si opinio, quae stat pro lege, videatur certo probabilior, ipsam sectari tenemur; nec possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate, amplecti." Qualis autem haec opinio certe probabilior sit, id in sexta et septima editione n. 55 hoc modo statim explicuit: „Dico", inquit, „*certe probabilior,* quia, dum opinio pro lege est *certe et sine haesitatione* probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi *notabiliter* probabilior. Et eo casu opinio tutior non erit dubia (intelligendo de dubio stricte sumpto[1]), sed est moraliter aut quasi moraliter certa, saltem nequit dici amplius stricte dubia, *cum pro se certum habeat fundamentum, quod ipsa sit vera.* Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris, adeoque non est prudentia, sed imprudentia velle eam amplecti." — Qua igitur re S. Alphonsus, probabiliorista factus, ut ipse ait, a superioribus probabilioristis, quos impugnare numquam destitit, differt? *Illi* dicebant, *prohibita esse omnia, nisi ea licere sit probabilius; quod plerumque ita explicabant, ut moraliter certum esse debeat, ea licere* (cf. supra n. 221). *Ipse* vero affirmabat, *omnia licere, nisi certo probabilius sit, ea non licere.* Explicabat, nisi sit sine haesitatione et notabiliter probabilius. *Probabilistae moderati* et graves ita suam temperabant sententiam, ut exceptis excipiendis dicerent, *omnia licere, iis solum exceptis, quae non licere, aut est moraliter saltem certum*

[1] Dubium stricte sumptum est S. Alphonso sententia probabilis (cf. Theol. mor. l. 1, n. 20).

aut probabilissimum. Discrimen igitur inter probabilioristas simpliciter dictos et S. Alphonsum est clarum ac manifestum, quia illi volebant, plurima esse prohibita, quae ipse statuebat esse licita. Obscurius est discrimen inter ipsum et moderatos probabilistas. Nam ipse vult quidem, omne, quod non licere notabiliter probabilius est — hoc enim solum statuit esse certo probabilius —, reapse esse prohibitum; hi vero a licito id tantummodo excludunt, quod probabilissimum est aut moraliter certum, aut circiter, non licere [1]. Nam haec sola ea sunt, quae ipsorum opposita, etiamsi absolute et de se vere et solide probabilia essent, nihilominus a ratione sententiarum vere et solide et simpliciter probabilium in ordinem improbabilium, tenuiter et dubie probabilium detrudunt.

310. Tota igitur differentia et controversia S. Alphonsum inter et probabilistas moderatos haec est: Itane sententia notabiliter et sine dubio probabilior oppositam saltem ad dubiam vel tenuem probabilitatem semper deprimat, etsi absolute et de se vera probabilis est, quemadmodum id probabilissima vel certa erga suam contradictoriam semper facit. Quod si rem mere theoretice consideres, non adeo facile id affirmabis, quemadmodum id ex iis, quae superius dicta sunt, elucet. *Practice vero id vix non semper eveniet,* imprimis quando illa notabiliter maior probabilitas certa est et indubitata, prout eam talem esse S. Alphonsus supponit. Nam quomodo dici merito potest aliquid esse certo et sine dubio notabiliter, i. e. multo probabilius, nisi id summum quasi probabilitatis gradum attingit? Et profecto, si S. Alphonsus, ut notabiliter probabilior sit sententia, exigit, ut „pro se certo habeat fundamentum, quod ipsa sit vera", opinio vero minus probabilis tali fundamento, ipso teste, tunc caret, liquet: fundamentum notabiliter probabilioris sententiae debere esse ad minus probabilissimum, oppositam vero sententiam debere omni ratione vere et solide

[1] Nam in subobscuris, qualia sunt omnia probabilia, mathematice exacta tradi non possunt.

probabili carere. Si enim secus esset, quomodo dici posset, unam habere fundamentum solidum et certum veritatis, alteram eo carere? Certo eo non caret omnino, si solide probabilis est, sed ad summum, si dubie vel tenuiter est probabilis, sicut dici non potest sententiam habere *certum* et solidum fundamentum veritatis, nisi sit probabilissima. Ergo quae est inter S. Alphonsum et moderatos probabilistas adhuc sentiendi differentia, si omnino est, admodum levis sit oportet (cf. *Schindler*, Lehrbuch der Moraltheologie I 221 sqq).

311. *Dices:* Si ita est, cur S. Doctor non amplius usurpavit modum loquendi probabilistarum eorumque formulam dicendi reliquit? — *Respondeo:* Fortasse, quia ipse non adeo clare vidit suam sententiam re a sententia *moderatorum* probabilistarum non multum differre, at nos posteriores id videmus. Loquendi enim modus ab ipso valde immutatus fuit. Accedebat, quod sibi persuadebat sua formula caveri facilius et melius abusum sententiae probabilis. Praeterea sua formula consequebatur hoc, ut et se et suos suaque etiam scripta a furore inimicorum Societatis Iesu tunc maxime furentium posset melius et efficacius defendere, usurpando scil. modum loquendi, qui ab eo Iesuitarum, apparenter saltem, multum differebat. Potuit denique ita facilius impugnare primarios suos adversarios, sumendo vocem probabilius eodem sensu, atque ipsi eam sumebant; ipsis enim id tantum erat vere probabilius, quod habebant ut moraliter aut quasi moraliter certum.

312. Probabilistae vero suum quoque modum loquendi iure retinebant, 1° quidem, quia ipsis videbatur esse theoretice et scientifice exactior et multo clarior; 2° quia terminus ipse „notabiliter probabilius“ videbatur et videtur ipsis aliquid vagi et indeterminati habere, quod suis limitibus non satis circumscribatur. Id vitatur in modo loquendi ipsorum. Nam secundum ipsos omnes licet sequi sententias, quae sunt et manent, etiam comparatae ad contradictoriae partis rationes, solide et vere probabiles, i. e. retinent magnam semper apparentiam veritatis. Hoc autem ut in se certum aliquid est et

determinatum, ita etiam est aliquid facile perceptibile (cf. *Schindler* l. c.).

313. Quae cum ita sint, nihil mirum, librum Theologiae moralis S. Alphonsi etiam post novum systema semper substantialiter idem mansisse et vix quidquam alicuius momenti in ipso fuisse immutatum. Id enim supposita sententia, quam modo exposuimus, facile intelliges. Id vix ac ne vix quidem intelligere poteris, quando prior S. Alphonsi sententia et posterior gravius inter se discrepent[1].

314. *Dices:* Nisi S. Doctor sententiam substantialiter immutavit, quomodo tam frequenter, tam vehementer urgere potuit, suum systema a systemate Iesuitarum esse diversum? Id tamen saepe et gravissimis verbis fecit. — *Respondetur:* Asserui S. Doctoris systema non prorsus aliud esse ab eo cordatorum Iesuitarum; esse tamen prorsus idem, non asserui. Hinc nihil incredibile dico, quando assero, visum esse S. Doctori suum systema valde ab illo Iesuitarum differre; idque potissimum tunc ipsi videbatur, quando ipsius plurimum intererat suam causam non confundi cum causa Iesuitarum iamiam desperata. Confert enim plurimum ad aliquid reddendum credibile animi affectus. Desideravit autem S. Alphonsus multum ac debuit desiderare, ne sua causa cum causa Iesuitarum permutaretur (cf. v. g. ep. 102 103 104 etc.). Quis autem S. Doctori vitio vertet, si summo studio in id incumbebat, ne ipse et suum institutum suaque opera ruina et calamitatibus Iesuitarum obruerentur? Unde etiam videmus, quo graviores calamitates in Iesuitas paulatim incidebant, eo magis operam dare ipsum, ut ab eis secernatur.

315. Quod autem ipse supra dixit, elapsi saeculi auctores communiter laxam doctrinam tradidisse, cum sat magno grano salis intelligendum de pluribus, remanentibus tamen permultis

---

[1] Si *Koch* l. c. 120 sqq opinatur Theologiam moralem tantum exhibere elenchum variarum sententiarum, ex quibus secundum systema propositum convenientem ipsi sententiam eligere debeamus, videtur id cum modo, quo singulae sententiae a S. Doctore proponuntur, non convenire.

et gravissimis probabilistis in sana doctrina. Cuius rei testis est ipsa theologia S. Alphonsi. Ea enim auctoritate gravissimorum probabilistarum fere innititur. Quod confirmatur S. Doctoris diserto testimonio (ep. 298), quo gravissimos quosque Iesuitas ab hac condemnatoria sententia eximit. „Profecto", inquit, „non omnia opera Iesuitarum sunt corruptae doctrinae. Libri cardinalis De Lugo, Suarezii, Laymann, Castro-Palai et similium non sunt corruptae doctrinae." Quis autem negabit, hos fuisse probabilistarum antesignanos et duces? Quando igitur magistri et duces agniti in sana doctrina permanebant, quis crediderit, discipulos communiter ab ea defecisse? Cf. de his quaestionibus *Lehmkuhl* I, n. 85 sqq; *Noldin,* Summa theol. I, n. 225; *Wetzer* und *Welte,* Kirchenlexikon[2] s. v. Moralsysteme; *Bouquillon* n. 309 sqq; *Bucceroni,* Instit. theol. I, n. 131; *Pruner,* Moraltheologie I[3] n. 84; *Schindler* I 221 sqq. Vide etiam alios de sententia S. Alphonsi apud *Döllinger-Reusch* I 439 sq.

Index alphabeticus.

A.

Actus deliberatos nostros multos honestos aut inhonestos esse directe et perfecte constat n. 1.

Quicumque *actum externum* peccaminosum esse *certo cognoscit*, is ne per accidens quidem censere potest, efficax eius desiderium licitum esse n. 136.

Adagium: In dubio tutiorem partem eligendam esse, est omnino verum et strictum, quando dubium practicum est et aut deponi non potest aut saltem non deponitur; aliis vero in conditionibus est per se merum consilium, quod impune negligitur. Ostenditur, varios textus iuris, qui in contrarium afferuntur, immerito afferri n. 145.

Adagii sensus, bonum requirere integram causam, accuratius determinatur, et S. Thomam in eadem nobiscum sententia esse, ostenditur n. 115 sq.

Aequiprobabilismus quid statuat n. 223. Nonnemo pro eo laudatur, qui eum revera non defendit n. 223 et 238.

Pro aequiprobabilismo argumenta afferuntur et refutantur, imprimis argumentum, quod Ter Haar et Wouters nuper attulerunt n. 224 sqq.

Nomina quorumdam aequiprobabilistarum afferuntur n. 238.

Quam card. *Aguirre* in Prologo ad concilia Hispaniae n. 24 affert similitudinem de cibo probabilius venenato, ut doceat, nos probabilem sententiam sequi non posse, reprobatur, quoniam deest paritas n. 286. Ceteroquin a cibo etiam probabiliter tantum venenato merito abstinemus.

B. Albertus Magnus probabilismum moderatum diserte tradit n. 268.

S. Alphonsi auctoritas in rebus moralibus permagna quidem est et auctoritative agnita, neque tamen sola per se omnino est peremptoria, plures enim eius sententiae iam antiquatae iacent; aliae possunt infirmari n. 303 sqq. S. Alphonsi auctoritate ostenditur, S. Thomam numquam eam, quae tantum probabilior est, sententiam, nisi sit excessive probabilior, ita ut contrariam opprimat, pro sententia habuisse, quae obligationem inducat n. 227.

S. Alphonsus initio probabiliorismum docuit, deinde videtur omnino ad simplicem probabilismum transiisse; demum (1762) aequiprobabilismum amplexus est. Quo sensu id fecerit, disputant. Variae sententiae enarrantur n. 306.

S. Alphonsum ab anno 1741 usque ad annum 1762 ex animo defendisse probabilismum moderatum, videtur esse certum n. 307.

Ab anno 1762 et deinceps *S. Alphonsus maiore semper studio diversitatem suae sententiae a Iesuitarum urget.* Quo se sensu eo tempore probabilioristam iterato appellaverit, inquiritur. Eius a probabilioristis et probabilistis sentiendi diversitas effertur. Practice videtur discrimen inter S. Alphonsum et probabilistas moderatos minimum esse, si scil. eam solam sententiam cum S. Alphonso probabiliorem dixeris, quae est certo et sine haesitatione iudicii atque adeo etiam notabiliter probabilior n. 309 sqq.

Explicantur causae, cur *S. Alphonsus* priorem modum loquendi

deseruerit, probabilistae vero suum retinuerint n. 311 sq.

Liber theologiae moralis S. Alphonsi substantialiter, quod attinet ad singulas sententias traditas, semper idem mansit. Quid inde concludendum? n. 313. Causae afferuntur, cur *S. Alphonsus* differentiam sui systematis a probabilistarum, etsi per se minima erat, adeo urserit n. 314.

Quando *S. Alphonsus* ait, praeteriti saeculi auctores communiter laxam tradidisse doctrinam, id magno cum grano salis intelligendum n. 315.

S. Ambrosius aperte probabilismo favet (Ps 118, sermo 5, n. 37) n. 276.

S. Antoninus videtur potius pro probabilismo quam contra probabilismum stare n. 273.

Aristotelis dictum l. 6 Ethic. c. 2 explicatur: „Activae mentis veritas est, quae recto appetitui est consentanea“ n. 91.

Auctor (classicus) unus potest sententiam aliquam per se vere probabilem reddere n. 181.

S. Augustinus quid l. 3 De libero arbitrio c. 18, n. 51 sq doceat, exponitur n. 58.

S. Augustinus ep. 194, n. 30 omne genus formalis peccati enumerans nullum formale peccatum ex invincibili ignorantia novit n. 59.

Obiectiones Iansenistarum ex pluribus operibus *S. Augustini* contra traditam a nobis doctrinam de invincibili ignorantia excitatae refutantur n. 50 sqq.

S. Augustinus patrocinatur manifesto probabilismo moderato pluribus locis. Idem dic de S. Hieronymo n. 272 sq.

B.

S. Basilius videtur simplici probabilismo aperte favere ep. 188, can. 1, c. 10 n. 276.

S. Bernardi ex opere „De praecepto et dispensatione“ sententia (c. 14, n. 35 et 40) exponitur n. 283 nota.

Bona et laudabilis est, immo etiam meritoria esse potest actio iussu invincibilis conscientiae facta n. 132.

Eam doctrinam S. Thomae esse, ostenditur n. 132 sqq.

Bona nequit esse actio sine explicito dictamine conscientiae de bonitate actionis ponendae n. 74 et 79 sq.

S. Bonaventura pluribus locis probabilismum moderatum manifesto tradit, v. g. l. 3 sent. dist. 39, a. 3, q. 2; l. 2, dist. 24, P. 1, a. 2, q. 2 etc. n. 271.

C.

Caietanus pro sententia rigorismi frustra laudatur n. 218 nota 2.

Certitudo probabilismi moderati existentia contrariae sententiae, quatenus a multis ut probabilior et certior traditur, minime evertitur n. 284.

Classici qui vocentur scriptores n. 169 et n. 182 § „Ostenditur“.

Cognitionis directae et reflexae obiectum plane idem non est n. 106.

Commodum, quod ex doctrina probabilismi moderati resultat n. 187.

Conscientia quid proprie significet. Variae sententiae n. 65.

Conscientia proprie est actus intellectus n. 66.

Conscientiae definitio S. Thomae et Suarezii n. 73.

Conscientia cur et quomodo iudicium practicum vel etiam practico-practicum vocetur n. 67.

Iudicium practico-practicum *vel conscientiam* nihil opus est semper esse efficacem n. 73.

Conscientiam sive iubentem sive prohibentem semper debemus sequi, nisi errans prius deponatur n. 81 et 111 sq.

Conscientia vera et recta aut est simpliciter et physice talis aut saltem moraliter n. 91.

Conscientia de variis *nostris* actibus et affectionibus est, aut simpliciter an sint aut quales moraliter sint n. 90.

Conscientia saltem practice vera et moraliter certa necesse est praefulgeat omni actui moraliter bono et recto n. 93 sq.

Conscientia ex parte motivi dividitur in certam, probabilem, dubiam, scrupulosam; quid singulis significetur n. 92.

Conscientiam obligare et legem obligare proprie non duo sunt n. 83.
Contradictoriae duae sententiae possunt simul esse probabiles n. 190. — Num ex duabus sententiis *contradictoriis* soli probabiliori assentiri directe possimus n. 191.

In *controversia* de liceitate sequendae probabilis opinionis nihil interest, possimusne tantum probabiliori sententiae an alterutri pro libitu et directe assentiri n. 190, cf. n. 290.

D.

Debita in inquirenda veritate *diligentia* pro variis hominum statibus et conditionibus varia est n. 8.
Debitam in inquirenda veritate *diligentiam* a nobis adhibitam fuisse, constare nobis satis facile potest n. 108.
Denominationes variae vincibilis et invincibilis ignorantiae n. 10.
De dispositione poenitentis probabilis cognitio confessario ad absolvendum poenitentem sufficere debet, quia maior notitia communiter obtineri non potest n. 105.

Locus Patrum Concilii *Diospolitani* contra Pelagium excutitur n. 57.
Dubia conscientia tantum abusive conscientia dicitur n. 92.
Dubium de morali indole obiectorum varium n. 1.
Dubium strictum apud veteres quid communiter significet n. 76.
Dubium strictum quid requirat n. 76.
Dubium latum apud veteres quid n. 76.
Dubie probabiles sententiae quae sint n. 179.

Etiam secundum *Durandum* probabilem sententiam contra probabiliorem sequi licet (l. 4, dist. 15, q. 11) n. 241 § „Quinimmo".

Falso tradit *Durandus* (l. 2, q. 39, a. 5, n. 6), nos non posse male agere, si conscientia in actu intellectus posita sit n. 72.

E.

Elidere vim alicuius motivi ad assentiendum quid sit n. 193.
Non eliditur per se minus grave motivum graviore motivo in contrarium. Argumenta contraria solvuntur n. 194 sqq.
Eliditur interdum probabilis sententia probabiliore. Affertur hic gravis distinctio inter motiva similia et dissimilia. De prioribus tantum verum est, ea sese elidere n. 204 sqq.
Errare conscientiam et nihilominus nos teneri facere id, quod errans praecipit, nulla est contradictio n. 127.
Erronea nos conscientia invincibilis a peccato omnino excusat; vincibilis nos reos constituit, sive sequimur ipsam sive non sequimur n. 115 117 sq.
Error de morali indole obiectorum varius n. 2.
Error formalis est studiose quaesitus assensus falsi; error materialis et communiter dictus est assensus mentis ad aliquid quidem falsum, quod tamen antecedenter veri quandam speciem habet; dividitur hic error in vincibilem et invincibilem n. 109.
Errorem vincibilem *hic et nunc* sufficienter animadvertere opus est. ut hic et nunc peccetur, non sufficit eum aliquando animadvertisse n. 125.

F.

Etiam *faciens quod in se est*, potest ius Dei tam positivum quam naturale invincibiliter ignorare n. 29. A fortiore ius positivum humanum.
Factum late propagatae propositionis probabilismi moderati in publicis literarum universitatibus et in ipsa urbe Roma commemoratur; inde demonstratur, probabilismo nullam umquam, ne levissimam quidem notam a Romanis Pontificibus inustam esse n. 302.
Ut factum in mente certo exsistens includitur in syllogismo, cuius conclusio conscientia est, cognitio probabilis directa, non ut principium, unde conclusio per se et directe deducitur n. 107.
Quam *falsam* homo reputat opinionem, ipsam saepe sequi ei licet n. 294.

Ex hac re, quod *famulus* agens id, quod est probabilius contra voluntatem domini, imprudenter facit, nihil concludi potest in favorem probabiliorismi n. 292.
Bonae fidei antecedens possessio aut quasi possessio dubium practicum de liceitate actionis saepe tollit n. 137 sqq.
Plura fidei dogmata per se addiscere debemus; alia discenda sunt ratione operis sequentis n. 18.
Formido erroris stricta, lata, actualis, radicalis quid sint n. 76 nota.

G.

Gradus triplex ignorantiae culpabilis n. 9.
S. Gregorius Nazianzenus a partibus probabilistarum stat (Oratio 37, In sancta lumina n. 18) n. 276.

H.

Haeresis non est proprie certa quaedam species actus contra fidem, sed aliquid consummatum in specie peccati contra fidem n. 20 sqq.
Honestas formalis convenit actui voluntatis, quo amplectimur id, quod probabile est, ab honestate obiectiva, quae convenit obiecto, prout probabiliter ante mentem nostram ut bonum et honestum versatur n. 229 et 260.

I.

Ignorantia, de qua tertio hoc volumine agitur, diligentius circumscribitur n. 3.
Ignorantia una actualis, quae idem est atque *inconsideratio et inadvertentia*, actum nostrum moralem qualificat n. 4 et n. 16 nota.
Ignorantia bonae in obiecto circumstantiae nihil nostro actui prodesse potest n. 3.
Ignorantia quomodo differat a nescientia n. 3.
Ignorantiae pravae dispositionis quid n. 5.
Ignorantia mere privativa quid n. 5.
Ignorantia vincibilis et invincibilis quid; invincibilis stricte et late dicta n. 6.
Ignorantia speculativa et practica quid n. 11.
Ignorantia iuris et facti n. 12.
Ignorantia vincibilis peccatum formale non impedit n. 13 sq.
Ignorantia vincibilis ipsa rationem formalis peccati habet; quomodo n. 17.
Ignorantia olim vincibilis, quando negligentia, quae fuit, serio retractata est, nihil amplius nocere potest, etsi ad scientiam non perveniatur n. 23.
Ignorantia invincibilis iuris divini positivi actionem a ratione peccati excusat n. 33 sqq; idem dicendum de ignorantia invincibili iuris divini naturalis n. 42 sqq; idem de invincibili ignorantia facti n. 47 sqq.
Ignorantia invincibilis primorum principiorum iuris naturalis et immediatarum ex iis conclusionum perspicuarum homini usum rationis habenti repugnat n. 37 sq; non repugnat ignorantia conclusionum remotarum aut quae ob additas circumstantias obscurius cum iis principiis cohaerent n. 39 sq.
Ignorantia physice libera potest nihilominus moraliter esse necessaria n. 54.
Ignorantia multorum praeceptorum iuris naturalis invincibilis nihil per se repugnat n. 24 sqq; quod idem valet de iure Dei positivo n. 26 et n. 28 sqq; idem valet de iure humano et in materia facti n. 27.
Impleto iam probabiliter aliquo legis praecepto, quid censendum sit de obligatione remanente n. 235 sqq.
Qui in statum *inconsiderationis* peccaminose incidit homo, non per se reus evadit omnium peccatorum materialium, quae in eo statu committit n. 49.
Inerudíti etiam homines directas suas cognitiones reflexioni cuidam saepe subiciunt n. 104.
Innocentii XI decretum in favorem P. Thyrsi Gonzalez die 19 Aprilis 1902 ex Archivo S. Inquisitionis demum erutum unum ex variis authenticum est n. 300 sqq.
Iudicium, abesse ab aliqua actione omne periculum peccandi, est duplex, unum certum, alterum cum formidine n. 102 et n. 197.

Iudicium iam latum quae sequitur maior apparentia veri, communiter sententiam nihil probabiliorem reddit n. 154.
Iudicium, quod de se est probabile tantum, potest per accidens videri alicui omnino certum et firmum n. 103.

L.

De *laxismo* n. 239. Nequaquam patet thesim 3iam ab Innocentio XI iure damnatam de probabilitate tenui ad ammussim reddere sensum Angeli Tamburini (Explicatio decalogi l. 1, c. 3, § 3, n. 3), quamvis verba ex eius opere petita sint n. 239, cf. n. 177 sqq.
Laxismi iure arguitur Caramuel de Lobkowitz O. Cisterc. ob laxa et falsa, quae profitetur, principia moralia n. 239. Multi immerito laxismi moralis arguuntur ibidem.
Quando *pro legis cessatione* adsunt vere probabiles sententiae, lex amplius non obligat. Argumenta afferuntur n. 232 sqq. Neque quidquam contra hoc efficitur, quando opponunt, manere tamen perfectam eligendi libertatem, etsi ostenditur, legem probabiliter adesse; etenim deest paritas ibidem, cf. n. 288.
Lex numquam agendi contra conscientiam est absolute indispensabilis n. 84.
Legi Dei homo subiectus nascitur et manet n. 252 § „Dices rursus".
Pro libitu deponere conscientiam vincibiliter errantem non licet n. 120 sq.
Lumine increato et infallibili Dei ut sic in actibus nostris immediate non dirigimur, sed lumine rationis, quod nobis proxime inest, et quod tamdiu praeconem Dei agnoscere debemus, quamdiu contrarium non sufficienter nobis constat n. 112.

M.

Magnum in aliquo genere quid dicatur et sit n. 198.
Maiusne peccatum sit agere contra conscientiam vincibiliter errantem an sequi illam n. 123.
Mala actio nihil opus habet formata prius conscientia 75.
Malitia operis, quod cum vincibili ignorantia fit, est eadem, ac si fiat scienter n. 19.
Mediocriter doctus vir aptus est, qui iudicet de externa probabilitate alicuius sententiae n. 184.
Etiam ante *Barthol. Medinae* tempora probabilismus moderatus non fuit in Ecclesia inauditus. Id demonstratur n. 265 sqq.
Mensura actionis factae etiam conscientia est; et quatenus iudicium de actu facto a nobis revera elicitur, conscientia consequens vocatur; hoc iudicium consequens est de se mere speculativum, provocans tamen simul varios in voluntate affectus n. 71 sq.
Munus qui suscipit, cui implendo se imparem esse cognoscit ob ignorantiam, eo ipso multorum peccatorum reus evadit n. 16, Coroll. 2.

N.

Naturalis cogitatio quid et ad quid n. 7.
Numerus profitentium aliquam sententiam solus eam probabilem non reddit n. 168.

O.

Obligetne vere et proprie vincibiliter errans conscientia n. 120 sq.
Opinio proprie dicta prorsus ab eo, quod probabile est, differt n. 151.
Opinio quid sit n. 151.
Opinio probabilis varie dividitur 1° in opinionem immediate et mediate probabilem n. 163 sq; 2° in opinionem probabilem tantum absolute et in opinionem probabilem etiam vere et relative n. 165; 3io in opinionem intrinsecus vel extrinsecus probabilem vel utroque modo. Exponitur hic, quid requiratur, ut opinio vere extrinsecus probabilis sit; quique auctores vocentur classici n. 166 sqq. 4° dividitur in opinionem certo probabilem et probabiliter probabilem n. 172 sq, cf. n. 240 § „Excluditur". Quid aestimandum sit de sententia ex probabilibus probabiliter deducta n. 174. Dividitur in opinionem

magis vel minus vel aequaliter probabilem n. 175. Dividunt denique 5° in opinionem probabilem quoad se et quoad nos n. 176.

Ordines religiosi, qui dicuntur olim sententiam probabilioristarum suis praecepisse, enumerantur n. 219 sq.

Origo propria formidinis errandi in dubio late dicto contentae n. 76 nota.

P.

SS. Patres multis in quaestionibus moralibus simplicem probabilismum profitentur n. 274 sqq.

Periculum proximum peccandi duplex, omnino inter se diversum n. 96 nota.

Perplexus quis dicatur et sit, et quas per se in agendo regulas sequi debeat n. 98.

Perplexus is, qui vincibiliter errat, dici nequit n. 118 § „Oppones".

In perplexitatem mox casurus, nisi dubia, quae modo habet, solvantur, quid agere debeat n. 124.

Praecepta singula legis naturalis observare nullo modo est medium salutis necessarium n. 289.

Praeco Dei quomodo et quatenus conscientia dici possit et sit n. 82.

Probabile quid recte dicatur et sit n. 152 sqq.

Duae aliae definitiones *probabilis* proponuntur, et cur ut verae definitiones admitti non possint, ostenditur n. 155 sq.

Affertur alia recta definitio *probabilis,* quae tamen tandem ad primam reducitur n. 157 sqq.

Probabile nostrum radicaliter diversum est a probabili Academicorum n. 162.

Probabile duo requirit, ut eius contradictorium nullo modo sit certum et ipsum fulciatur gravi et solida ratione n. 92 et n. 152 sqq.

Probabile intrinsecus et probabile mere extrinsecus quid sint n. 92.

Probabile ut sic relinquit hominem acturum semper in proximo et immediato periculo peccandi n. 101.

Probabilitate utriusque partis contradictionis non potest inferri, legi deesse sufficientem promulgationem n. 263.

Quae *unice probabilis* est *sententia,* non solum amplecti et exsequi licet, sed etiam, quoties aliquid iubet vel vetat, amplectenda et sequenda est n. 207 sqq.

Probabilis probabiliore sententia admodum raro eliditur; regula elisionis affertur n. 200 sqq.

Probabilioristarum systema n. 218.

Argumenta contra probabiliorismum n. 221.

Multi auctores, qui theoretice *probabiliorismum* defendunt, practice ab eo deficiunt n. 222.

Probabilis sententia, quam defendit probabilismus moderatus, quae? Excluduntur ab ea plura, quae aliquo modo probabilia dici possunt n. 240 sqq.

A probabilismo moderato excluduntur omnia, quae vere probabilia non sunt n. 240.

A probabilismo moderato excluduntur *omnes quaestiones et opiniones circa finem necessario consequendum,* et cuius consecutio una reali positione proprii medii obtineri potest n. 241.

Plura probabilia excluduntur a probabilismo moderato, quae tantum remote probabilia sunt, et quae practice sequi ex pluribus causis non licet n. 241.

Probabilismo igitur locus non est 1° in iis omnibus rebus, quae necessariae sunt necessitate medii ad aeternam salutem n. 242. 2° idem dicendum, quando agitur de conficiendis sacramentis. Rationes afferuntur, cur probabilismus moderatus vetet, ne communiter adhibeamus probabilia in confectione sacramentorum. Confirmatur hoc propositione 1ª ab Innocentio XI damnata n. 242 sq. Corollarium quoddam infertur circa illum, qui recipit sacramentum n. 244. 3ⁱᵒ excluditur a probabilismo moderato communiter medicus ibidem. 4° excluditur iudex, cui in causis civilibus ordinarie probabili sententia uti minime licet. Confirmatur hoc propositione 2ª ab Innocentio XI reprobata ibidem. 5° excipiuntur casus, ubi damnum praecavendum

probabilem sequendo sententiam sufficienter non praecavetur ibidem.

Casus excepti ab usu probabilismi moderati veraene exceptiones sint a regula probabilismi n. 245.

Probabilem sequentes sententiam probabiliorem non reprobamus, sed hoc dicimus, ipsam plane incertam esse et propterea nihil evincere n. 287.

Probabilismum moderatum, qui in solo licito et illicito versatur, semper sequi licet. Id multis argumentis demonstratur n. 247 sqq.

Probabilismi moderati veritas clare et aperte indicatur verbis S. Pauli 1 Cor 14, 8 n. 255.

Plura, quae ex ex SS. Scripturis *contra probabilismum moderatum* afferuntur, prorsus inefficacia sunt n. 278 sqq. Quod idem ostenditur circa testimonia SS. Patrum, quae excitantur n. 281 sqq.

Prudentia stricte dicta elicit communiter dictamen conscientiae; saepe tamen ipsum est actus prudentiae latius acceptae n. 86 sqq.

Prudentia alicuius hominis vario modo cognoscitur n. 161.

Q.

Quaestio de practico usu probabilismi inter omnes quaestiones de moribus difficillima n. 215.

R.

Recentiores de re morali scriptores ob plures rationes minime negligendi sunt n. 171.

Regula actuum deliberatorum proxima est conscientia; prima et remota lex aeterna n. 61 sqq.

Rigorismi systema seu tutiorismus absolutus exponitur. Praecipui quidam eius patroni nominantur n. 216.

Rigorismi mitigati systema enarratur n. 217. Multi, qui probabilioristae audire volunt, reapse huc pertinent ibidem. Argumenta contra hoc systema sicut etiam contra systema rigorismi absoluti in medium producuntur ibidem § „Sit igitur".

Romanus Pontifex summa sua auctoritate aliquam sententiam moralem toti Ecclesiae ut scandalosam et reprobandam definitive denuntians, eo ipso falsam eam esse declarat n. 171 nota, cf. n. 299.

Romani Pontifices nihil umquam auctoritative et authentice contra probabilismum moderatum statuerunt, neque decreto Innocentii XI die 20 Iunii 1680 edito. Historia huius decreti breviter enarratur, ipsum nihil contra probabilismum moderatum continere demonstratur n. 299, cf. n. 300 nota.

S.

Scotus pro probabilismo contra probabiliorismum merito laudatur (l. 4, dist. 15, q. 2, n. 37; ib. dist. 17, q. unica, n. 20). Solvitur difficultas, quae ex Prologo q. 2, n. 15 petitur n. 272.

Scrupulosa conscientia proprie talis quid n. 92.

Scrupulosus conscientia intrinsecus certa generatim non caret n. 98.

Simultaneus usus duarum sententiarum probabilium, quae sibi contradictorie opponuntur, in eodem negotio non licet n. 293.

In *speciem peccati*, quod conscientiam vincibiliter errantem non sequentes committimus, inquiritur n. 122.

Speculative probabilis sententia nequaquam talis est semper practice n. 180.

Studium theologiae nihil ob licitum usum sententiae probabilis intermittendum n. 292 § „Obiciunt 9°".

Superioris praeceptum magisne obliget quam propria conscientia errans, sive vincibiliter sive invincibiliter errat n. 126. Sunt plures conditiones, ubi conscientiae dictamen, superiore iubente eius contrarium, deponere et mutare debemus ibidem.

Syllogismus communiter in formanda conscientia usuveniens n. 85 sq.

Synderesis habitum primorum principiorum moralium apud scholasticos communiter significat n. 38.

T.

Tenuiter probabilis quae sententia sit. Variae de hac quaestione sententiae scriptorum n. 177 sq, cf. n. 232.

S. Thomas maiorem probabilitatem ut sic numquam nomine scientiae denotavit n. 228.

S. Thomas moderatum probabilismum aperte profitetur q. 17 De verit. a. 3, implicite aliis multis locis n. 269.

S. Thomae dictum in Quodlib. n. 13: „Illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam“ explicatur n. 60.

S. Thomas 2, 2, q. 70, a. 2 quid intelligat voce certitudinis probabilis n. 98.

S. Thomae textum ex Quodlib. 3, a. 10 mancum afferunt et perverse intelligunt n. 297.

Tutum, tutius, minus tutum quid sit n. 185 sq.

U.

Unum iuniorem et modernum scriptorem suo uno testimonio sententiam reddere probabilem, falsum est. Thesis damnata ab Alexandro VII die 24 Septembris 1665 n. 183.

V.

Veracitas hominis, qui factum internum sibi soli per se notum testatur, certa nobis fieri potest n. 167.

Verborum ebriorum indoles quae n. 49.

Vilipendium divinae ordinationis nullum includit, quando in antecedentem Dei ordinationem non tendo, quia qualis ipsa sit, cognoscere nequeo n. 230.

Vincibilis sit ignorantia, nihil ab exitu inquisitionis dependet n. 7.

Vincibilis quoque ignorantiae origo a nobis independens est ibidem.

Voluntas Dei errante nostra conscientia numquam et nullo modo directe nos obligat ad faciendum id, quod antecedenter prohibuit, sed ne contemnamus id, quod voluntatem Dei esse iudicamus n. 114 et nota.

Voluntas Dei consequens quid dicatur et sit n. 112, cf. n. 131.

Ex voluntate Dei salvifica immerito colligitur, repugnare ignorantiam iuris divini naturalis et positivi n. 29.

Corrigenda.

Pag. 5 linea 8 verbum „est“ transponendum est in fine praecedentis lineae.
Pag. 45 linea 5 a parte inferiore lege pro „ista“ „ita“.
Pag. 70 linea 5 pro „est,“ lege „*et*“.
Pag. 75 linea 6 a parte inferiore pro „Hic“ lege „Hinc“.
Pag. 97 linea 5 unum „nobis“ dele.
Pag. 230 linea 3 a fine pro „Antonin.“ lege „Antonium“.
Pag. 297 linea 14 pro „probabiliorismum“ lege „aequiprobabilismum“.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
58.F75 C001 V003
CTIBUS HUMANIS FRIBURGI BRISGOVIAE
3 0311 00044 2017

WITHDRAWN

46468

241.1 22,091 F914D
v.3

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

2017